BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
4 N
19

14-40-6-35

14.4 N.19

REVERENDI PATRIS F. SILVESTRI PRIERIATIS

OR. PRAED. THEOLOGIAE PROFESS.

SACRIQVE PALATII APOSTOLICI

MAGISTRI DIGNISSIMI,

DE STRIGIMAGARVM, Dæmonumque Mirandis, Libri Tres,

VNA CVM PRAXI EXACTISSIMA,
Et ratione formandi Proceſſus contra ipſas, a mendis innumeris,
quibus ſcatebant, in hac vltima impreſsione purgati,
& Indice locupletiſsimo illuſtrati.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, In Aedibus. Po. Ro.

M. D. LXXV.

Cum Priuilegio.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. AVGVSTINO S.R.E. DIACONO CARDINALI TRIVVLTIO TT. S. HADRIANI,

F. SILVESTER PRIERIAS ORD. PRÆ. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter. S. D.

OPTABAT apud Homerum Dux Græciæ Agamennon, Reuerendiſsime Domine, decem ſibi Neſtoras diuinitus dari, non dubitans quin conſilio eorum breui eſſet Troia peritura. Quod profecto in maximam prudentiæ laudem cedere fatendum eſt, cum tanti viri iudicio ſola ipſa illud facile & cito potuiſſet, quod tot Imperatorum, tot Principum, tot copiarum fortitudo tam difficile, ac tam longo tempore vix potuerit. Quamobrem cum in bellis conficiendis, tum in reliquis humanæ vitæ rebus bene ge-

rendis prudentiam tantum excellere virtutibus cæteris, quas morales vocant, videmus, quantum Solem cernimus ſtellis omnibus antecedere. Si igitur clari Scipiones, clari Manlij, quod ob inuictas animi & corporis dotes, ob deletas vrbes atque prouincias, ob deuictos hoſtes, illi quidem Africani, hi vero Torquati dicti ſunt, quanto clarius & illuſtrius Gentis Triuultiæ cognomentum cenſebimus, quod ab ipſa bonorum omnium matre prudentia profectum eſt? Nam cum tres eſſe virtutis illius partes ſapiẽtes viri definierint, præteritorum memoriam, intelligentiam præſentium, futurorumque prouidentiam: Ianumque antiqui idcirco bifrontem finxerint, quod præterita atque futura proſpiceret: cur non Trifrontem ac Triuultiam eam Gentem dicamus, quæ ab Illuſtriſsimo tribuſque illis prudentiæ partibus clariſsimo Heroe originem duxerit, ſemperque talibus viris non ſecus atque cælum innumeris ſyderibus ornata terrarum orbi ſpectabilis ſemper fuerit, & admiranda? Et vt innumerabiles huiuſcemodi ſtellas præteream, ne me aut copia obruat, aut inuidia defatiget, illa tantum duo magna mundi lumina, quæ noſtra nuper ſæcula viderunt, attigiſſe ſufficiat Ioannem Iacobum, & Antonium Triuultios: quorum alter Famigeratiſsimus Imperator ad omnia noſtræ memoriæ bella conficienda, ea prudentia virtute & fortuna cunctis excelluit, vt & Hannibalis iudicio, inter Alexandros, Pyrrhos & Sci-

piones

piones digne veniat numerandus: Alter vero Comenſis Pontifex, & Cardinea dignitate inſignis, tanta omnibus in rebus temperantia, tanta conſtantia, tanta integritate, tanta fide claruit, vt in multis legationibus, quibus feliciſsime functus eſt, nulla res tanta fuerit ac tam difficilis, quam ille non & prudentiſsimo conſilio rexerit, & ſingulari virtute confecerit, Is demum, quem tu patruum habuiſſe ſemper grata cum recordatione læteris. Nam cum Triuultiorum ſplendorē omnibus gentibus illuxiſſe videas, tum maxima etiam gaudia ex illis virtutum ac dignitatis Cardineæ fulgoribus, qui hæreditario quaſi iure ad te peruenerunt, cor tuum tacitum pertentant, dum vere & teipſum in patruo, & in te patruum recognoſcis. Neque enim aliud quippiam de tuis laudibus in præſentia recenſebo, niſi quod ex Triuultijs vere Triuultius, ſummis, medijs, infimis, tua facilitate, tuo ingenio, tua humanitate facias ſatis. Tanto autem doctos uiros amore proſequaris, vt omnes obſtricti tibi ſint ac deuincti, neque mirari nō poſsint in te iuuene illas tres prudentiæ partes enitere: quandoquidem bonas litteras in primis colas ab ipſa certe adoleſcentia doctus, cum exemplorum vetuſtate, tum præſentium præceptis & futuræ gloriæ ſtimulis nihil magis a ſitu ac tenebris noſtri memoriam vendicare, quam litterarum lumen. Quas ob res iure optimo tuus eſt quicquid eſt liber iſte, quem ſuperioribus diebus De ſtrigimagarum dæmonumq.

monumque mirandis compoſui: atque ita nominatim tibi illum dedico, non quod partem aliquam tuorum in me meritorum hoc pacto referenda in gratia conſequi poſſe confidam, ſed vt maximi erga te amoris mei teſtis ſit, & obſeruantiæ ſempiternæ. Et quoniam in ipſo crudeles cacodæmonum pugnas aduerſus homines intueberis, conſideres tamen non minus formidandas mundi huius inſidias, domeſticaque vitiorum bella, quæ vt magna ex parte aliquando ſopiantur, optarem, quemadmodum Agamennon decẽ tui ſimiles darẽtur nobis diuinitus, Auguſtine Triultie, & patriæ & vrbis Romæ decus ternobile. Vale. Romæ Kal. Martijs. M. D. X X I.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM HORVM TRIVM LIBRORVM DE STRIGIMAGIS.

PRIMI LIBRI.

QVAE ſit Authoris intentio, capitulum primum.
Qui ſint dæmones ac ſtrigimagæ, & qui eorũ effectus, cap. 2.
Animam humanam eſſe ſpiritum, & non corpus; ſubſiſtentem, & non inhærentem, cap. 3.
Animam humanam immortalem eſſe, cap. 4.
Animam humanam immortalem eſſe de mente Ariſtotelis incidenter, cap. 5.
Aliquas eſſe ſubſtantias intellectuales humana anima præſtantiores, cap. 6.
Aliquas eſſe ſubſtantias intellectuales incorporeas, cap. 7.
Quid de ſubſtantiarum incorporearum, ſeu intelligentiarum natura ſenſerint Philoſophi, præcipue Plato & Ariſtoteles, cap. 8.
Quid de intelligentiarum natura & numero habeat philoſophia uera, & Chriſtiana traditio, cap. 9.
Aliquas ſubſtantias immateriales ſeu intelligentias poſſe peccare, & eſſe malas, cap. 10.
Aliquas intelligentias actu & reipſa eſſe malas, & peccatrices, cap. 11.
Qualiter & quot intelligentiæ peccarunt, cap. 12.
Intelligentias malas, ſeu dæmones in naturali ſapientia eſſe præſtantiſſimos, cap. 13.
Dæmones naturali uirtute eſſe potentiſſimos, cap. 14.
Ex dictis reddi poſſe rationem omnium mirandorum effectuum dæmonum, ac ſtrigimagarum, cap. 14.

LIBRI

LIBRI SECVNDI.

DE intellectu capituli Epiſcopi. 26. q. 5. cap. 1.
Eſſe in rerum natura maleficia, cap. 2.
Eſſe in rerum natura ſtrigas, ſeu lamias, cap. 3.
Eſſe in rerum natura ſtrigimagas, cap. 4.
Strigimagarum genus cum incubis & ſuccubis reſpectiue in illecebris flagitioſe, domeſticeque uerſari, cap. 5.
Mirandos effectus maleficiales ſtrigimagas habere circa uenerea, cap. 6.
Morbos omnes per ſtrigimagas a dæmonibus hominibus ac iumentis, & terræ naſcentibus læſiones ueraciter inferri, cap. 7.
Quod ſe & ſtrigimagas demon per uarias ſpecies formaſque demonſtret, cap. 8.
Quod aduerſus ſtrigimagarum ueneficia remedia multa præſeruatiua non deſint, cap. 9.
Quod aduerſus ſtrigimagarum ueneficia remedia uana non congruant, cap. 10.
Quænam aduerſus ſtrigimagas uera remedia congruant, cap. 11.
Aduerſus morbos omnes in genere, per exorciſmos remedia, ac de modo exorcizandi, cap. 12.

LIBRI TERTII.

AN in ſtrigimagas ut in hæreticum genus ſit animaduertendum, cap. 1.
Proceſſum in ſtrigimagas practice inchoari obiter, cap. 2.
Proceſſum in ſtrigimagas continuari practice & obiter, cap. 3.
Sententias pro terminatione proceſſus in ſtrigimagas uario modo ferri pro uarietate ſuſpitionum, probationum & confeſſionum, cap. 4.

INDEX LOCVPLETISSIMVS EORVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A

ABIVRATIO *delati de hæreſi ſuſpecti.* 248.249.
Abiurationis praxis. 248
Accidens omne corporeũ in ſua quidditate corpus includit. 38
Atheruntini pueri, qui. 130
Actio a phantaſia pendens ſolum vt obiecto, eſt potentiæ corpori non innitens. 42
Actio exterior in his quæ ſe ipſa mouent, procedit ex iudicio libero. 72
Actus proprij ratio eſt eſſe in propria potentia. 36
Actus ſunt ſuppoſitorum. 39
Actus eſt in ſuſceptiuo diſpoſito & conuenienti. 53
Actus participantis eſt, quod recipitur vt participatum. 62
Actus purus eſt quod eſt primum verum & primum bonum. 62
Adiuratio ad veras lacrymas maleficarũ. 237
Aduocatus quomodo delato dari debeat. 232
Aduocati partes, quæ ſint. 232
Aduocatus malus, qui. 233
Aeſopi exemplum de lingua. 157
Agens agit in quantum eſt actu, vnde eſt nobilius paſſo. 23
Agens in natura acta & mota poteſt eſſe extrinſecum. 32
Agens in natura libera eſt intrinſecum. 32
Agens omne agit ſecundum ſuam ſpeciem ſolam. 47
Agens naturale prius in vicinum agit quam in diſtans. 175
Amor laſciuus vnde oriatur. 200
Anaxagoras primus ad incorporea ſubſtantiæ notitiam deuenit. 43
Anaxagoras ſenſibilium mixtionem poſuit. 44
Anaxagoras primus poſuit incorporale rerum principium. 56
Anaxagoras credebat corporalia omnia, quæ cum eſſent mixta, non poterant diſtingui niſi per omnino immixtum. 56
Anaxagoræ poſitio de vnitate intellectus improbatur. 56
Anaxagoras intellectum illum non poſuit vniuerſale eſſendi principium, ſed ſolum diſtinguendi. 56
F. Andreas Genuenſis. 136
Angeli cur vocantur nuncij. 46
Angelorum, diuerſæ opiniones. 65
Angelos ſecundum Dionyſium & veram philoſophiam incorporeos & immateriales eſſe. 65. 66
Angeli in ſcripturis virtutes nũcupãtur. 65
Angelorum origo. 66
Angelos omnes a Deo productos. 66
Angelos originem a Deo traxiſſe ab æterno quemadmodum Platonici & Peripatetici aiunt, repugnat Chriſtianæ pietati. 66
Angelorum creationis tempus. 66
Angeli omnes ſpecie differunt. 67
Angelos lõge plures quam motus cæleſtes. 69
Angelorum & intelligentiarum multitudo maxima, & nobis incomprehenſibilis. 70
Angelorum multitudinẽ ipſa eorum cuſtodia probat. 71
Angeli, ſoli infimi ordinis nobis ſunt ad cuſtodiam. 71
Angeli cur intellectuales dicantur. 100
Angeli non intelligunt componendo & diuidendo. 101
Angelus ſe per ſe intelligit. 103
Angelus quilibet ſe ipsũ et alios ĩtelligit. 103
Angelus, quomodo alios cognoſcat. 103
Angelus ſiue bonus, ſiue malus quid circa naturalia intelligat. 105
Angeli tã boni quã mali qua intelligãt. 106
Angeli in ſuis cauſis futura longe acutius quam nos poſſunt agnoſcere. 108
Angeli futura in ſe ipſis noſcere minime poſſunt. 108
Angeli nõ cognoſcũt cogitationes cordiũ. 108
Angeli, quando cognoſcere poſſint cogitationes. 109
Angelici ingenij ſagacitas. 109
Angelorum virtus naturalis. 110
Angelus ſiue bonus, ſiue malus quomodo po-

teſt moueri ex loco in locum. 110.111
Angelum eſſe in loco quid. 110
Angelus poteſt tranſire ab extremo ad extremum ſine medio. 111
Angelus non poteſt corpoream materiam pro ſuo mutare formaliter. 112
Angelus nō poteſt mutare de forma in formā ſine medio agente corporeo. 112
Angelis etiam malis obediunt corpora inferiora quo ad motum localem. 113
Angelos malos corpora poſſe aſſumere, & in diuerſis ſpeciebus apparere. 116
Angelus, quomodo imaginationem tranſmutet. 118
Angeli, qua poſſint facere p motū localē. 121
Angeli dicuntur poteſtates. 149
Angeli boni dominantur angelis malis. 149
Angeli miniſtri diuinæ ſapientiæ. 149
Angelus bonus, quomodo diſpoſitiue operetur in gratiæ infuſione. 191
Animam humanam eſſe ſpiritum, & non corpus, contra Galenum. 8
Anima, ſi eſſet complexio elementorum, aut qualitatum elementorum ut Galenus uoluit, quamplura abſurda contingerent. 9
Anima nedum humana, uerum etiam brutorum atque plantarum qualitatibus elementorum præſtantior. 9
Animæ operatio omnis eſt ab intrinſeco. 9
Animam, quidam non ſonorum, ſed contrariorum harmoniam dixere. 10
Anima, ſi eſſet compoſitionis ratio, multa abſurda contingerent. 10
Animam aliqui corpus eſſe aſtruxerunt, quorū opinio quinq; rationibus reprobatur. 10
Anima in his inferioribus eſt principium uitæ, non omne, ſed quo primo uiuimus. 10
Anima humana, quæ mens vel intellectus dicitur, quid incorporeū & ſubſiſtēs eſt. 12
Anima brutorū ſubſiſtentes minime ſunt. 12
De Animæ intellectiuæ & ſenſitiuæ ſubſiſtentia, differentia inter Platonē & Ariſt. 12
Animam vtramque, ſenſitiuam & intellectiuam, incorporeo & immateriali principio Plato adſcripſit. 12.93
Anima ſenſitiua per ſe ſine corpore non habet eſſe. 12
Animā de corpore in corpus migrare putarūt Pythagoras, atque Plato, quorum opinio reprobatur. 13
Anima corporis & motor & forma eſt. 13
Anima hæc, non niſi huius corporis forma, & motor eſſe poteſt. 13
Anima humana per ſe corrūpi non pōt. 14
Animæ vera & Chriſtiana poſitio. 14
Animam rationalem ſubſtantiā eſſe a corpore minime dependentem. 14
Anima corp⁹ humanū viuificat et vegetat. 14
Anima ſecūdum humanorum corporum multitudinem multiplicatur. 14
Anima, corpore reſoluto, ſeparata ſubſiſtit, nulla alia corpora vlterius adiens. 14
Anima ſcientia & virtute perficitur. 15
Anima eo magis ſcientia perficitur, quo amplius immaterialia contemplatur. 15
Anima virtute perficitur cum corporis paſſiones aſpernatur. 15
Anima rationalis omni cōtrarietate caret. 15
Anima rationalis, ſecundum modum ſui eſſe, recepta ſuſcipit. 15
Anima rationalis, quæcunque recipit, abſque contrarietate recipit. 15
Anima humana habet cauſam æternam. 17
Anima non debilitatur debilitato corpore. 17
Anima brutorum nequaquam immortales putandæ. 18
Anima ſenſitiua non apprehendit niſi hic & nunc. 19
Anima brutalis non eſt capax ipſius eſſe perpetui. 19
Animam humanam immortalem eſſe de mente Ariſt. pluribus medijs probatur. 19
Anima rationalis non operatur niſi per potentias. 21
Animæ omnis potentia aut habet organum, aut in parte eſt intellectiua. 22
Animæ paſſionum notitiam accipere difficile eſt. 22
Animæ pars qua intelligimus actu, dicitur ſeparata non vtens organo. 27
Animæ ſeparationem poſt mortē apud Ariſt. non eſſe ſomnium. 31
Anima, ſi non habet propriam operationem, licet ei multa accidant, non tamen accidunt ei niſi in materia. 34
Anima, ſi non dependet a corpore ſecundum eſſe, certe nec ſecundum operari. 34.39
Anima eſt ſubiectum perpetuorum & immortalium accidentium. 39
Animabus non conuenit per ſe ea ſubſiſtentia quam

quam habent a corpore ſeparata. 51
Animæ eſſe extra corpus, non poteſt eſſe perpetuum. 51
Anima per accidẽs mouetur moto corpore. 54
Anima humana ſecundum eſſe vnitur corpori ſicut forma materiæ. 54
Anima, ſpeciẽ per ſe ipſam non habet, ſed pars eſt humanæ ſpeciei. 54
Animas medias inter animas cælorum & hominum non poſuit Ariſt. ſicut Plato. 63
Anima humana a perfecta intelligentiarum notione longe deficit. 67
Animalia irrationalia ſunt quodammodo liberi motus ſiue actionis, nẽ liberi iudicij. 73
Antropomorphitæ hæretici Deum lineamentis humani corporis figuratum, nihil ultra corpora eſſe putantes. 43
Aoraſia quid. 123
Apoſtaſia a fide quomodo committatur. 178
Appetitus naturalis fruſtra eſſe nõ poteſt. 16
Appetitus hominis naturalis, perpetuo eſſe efflagitat. 16
Appetitur eſſe ab omnibus eo modo quo apprehenditur. 16
Appetibile eſt mouens nõ motũ in genere mobiliũ; appetens uero & mouẽs & motũ. 59
In Appetibilium & appetentium genere primum eſt quod eſt ſecũdum intellectum. 59
Appetitus ſenſitiuus non poteſt attingere per ſe bonum. 59
Aqua benedicta congruit contra vexationem extrinſecam. 212
Aqua benedicta ordinata contra dæmonum moleſtias. 212
Ariſt. textus a 17. uſque ad 20. tertij de Anima explicatur, & defenditur expoſitio B. Thomę. 23
In Ariſt. doctrina nihil inuentum contra fidem nec in moralibus vel in logicis vel phyſicis aut diuinis, præter id quod de mundi æternitate probabiliter ſenſit. 29
Ariſt. tex. 3. de Anima, Non reminiſcimur, quomodo exponendus. 31
Ariſt. cæleſtis motus perpetuitatem æternam poſuit. 44
Ariſt. ad aſtruendas ſubſtantias incorporeas ex motus cæleſtis ppetuitate proceſſit. 44. 59
Arioli, qui. 139
Arreptitius homo, quid. 186
Auerrois opinio de anima reprobatur. 14
Auerrois ueram philoſophiam deprauauit. 30
Auerrois poſitiones tres in Philoſophia falſiſſima. 30
Auguſtinus Bocca de Salniano Doctor. 129
F. Auguſt. Papiẽſis ord. Præd. Inquiſitor. 133
D. Auguſtinus cõtra Arrium interdum exaggerat. 137
Auicenna quomodo ſubſtantiarum ſeparatarum numerum aſſignet. 59
Authoris intentio, operis propoſitum, ac eius diuiſio in tres libros. 2
Authoris Commentarium aduerſus opinionem de Animæ immortalitate antequam Perrettus ſcriberet. 19
Author qua de cauſa opuſculum hoc inceperit. 133

B

BALNEATRIX incinerata quid ſit confeſſa. 153
Baſiliſcus cur primo uidens occidat, & primo viſus pereat. 144
Benedictionis licitæ in infirmos ſeptem conditiones. 209
Benedictio licita in infirmos, quæ. 209
Blaſphemia quomodo hæreſim ſonet. 215
Bonifacij viij. conſtitutio de publicatione teſtium & accuſatoris. 231
Bonum per ſe, non cadit ſub apprehenſione ſenſus. 59
Boni participatione aliquid vniuerſaliter priuatum eſſe non poteſt. 85
Bonum eſt voluntatis obiectum. 86
Bruta ſua uoce paſſiones deſignant. 159
Bulla Innocentij viij. 133
Burbiæ comitatui quadraginta una de genere ſtrigimagarum igni aſſumpta. 172

C

CAELESTIA, ideo incorruptibilia, quia materia carent cõtrarietati obnoxia. 15
Camedrios herba. 238
Campanarũ ſtrepitus contra tempeſtates. 204
Campſores, qui. 207
Canoniſtæ cæcutiunt in lectione c. Epiſcopi. 26. quæſt. 5. 132
Cap. Epiſcopi 26. q. 5. non intellectus, licet credatur intellectus. 133
Cap. Epiſcopi 26. q. 5. non prohibet quod communiter tenetur prohibere. 133
Cap. Epĩ 26. q. 5. uerba ple interpretãda. 141
Carnis mollities, & tactus bonitas, ſigna bonitatis

nitatis intellectus. 48
Carminum uſus & abuſus, unde 208
Caſus in oppido Oburdorum. 115
Caſus de puero nobili. 130
Caſus cuiuſdam Comitis in finibus Argentinæ diœceſis. 141
Caſus de iuuene. 144
Caſus in oppido Rauenſp. 152.168.179.150
Caſus in diœceſi Argentina. 152
Caſus in oppido Valzhus ſuper Rheno Conſtan. diœceſis. 156
Caſus duo in Ciuitate Bononiæ. 159.202
Caſus in agro Bononienſi. 167
Caſus iuuenis maleficiati. 169
Caſus quidam. 171
Caſus in oppido Zabernio Argẽtinæ diœc. 172
Caſus in oppido Damñi Baſilienſis diœc. 173
Caſus de imolatione pueri. 173
Caſus in agro Maguntino. 175
Caſus in oppido Iſpruck. 176
Caſus duo. 177
Caſus Laude, de ſpiritu Siluano. 179
Caſus in diœc. Cõſtan. et grãdo mirabilis. 181
Caſus de Sacerdote arreptitio. 187
Caſus Malefica incineratæ. 18[illegible]
Caſus in ciuitate Spirenſi. 190
Caſus in capiendo malefico. 190
Caſus de Epõ quodã tẽpore Nicolai v. 197
Caſus de laſo vindicato contra maleficiũ. 198
Caſus in oppido Richoffen. 198
Caſus in ciuitate Conflnentiæ. 199
Caſus de virgine quadam. 199
Caſus ad Portum Salamina. 201
Caſus de mula ab Authore ſignata. 206
Caſus in conuentu Colonienſi. 209
Caſus in Sanltzburg. 210
Caſus in diœceſi Ratiſponen. 238
Caſus in Iſpruck. 238
Cautelæ Iudicum variæ. 257
Cautelæ a Iudice obſeruandæ. 237.238
Characteres & figuræ Magorum, quæ. 82
Character, quid. 83
Cherubin quid, & vnde nominetur. 90
Chorea diaboli humanis diſſimiles. 137
Chriſtum nobis dediſſe poteſtatem imperandi dæmonibus. 203
Chriſtianis etiam malis Chriſtus dedit poteſtatem adiurandi Dæmones. 208
Chriſtiani qui fiunt Iudæi, ſiue ad Iudaiſmum redeunt, vt hæretici ſunt puniendi. 218
Circes Vlixis ſocios mutauit in beſtias. 184
Cognoſcens aliqua, nullum eorum in ſua natura habet. 11
Cognitiuæ potentiæ, quod naturaliter ineſt, aliorũ cognitionem neceſſario præpedit. 11
Cognitiuũ unũquodq; eſt ſecundũ magis et minus ſecundũ remotionem a materia. 52
Cognitio alicui⁹ rei tripliciter haberi põt. 105
Colores ad uiſum ſe habent ut obiecta, non ut organa. 22
Comeſtio completa quattuor exquirit. 160
Concilij Anquirenſis eſt cap. Epi. 26. q. 5. 132
Conditionalis vera, cum ſit neceſſaria, vniuerſalem cathegoricam includit. 140
Conſonantia & diſſonantia inter Platonem et Ariſt. quo ad ſubſtãtias immateriales. 61
Conſtantij pater in equum mutatus. 184
Conſuetudo legum interpres. 219
Continens ſemper contentum excedit. 47
Corpora inferiora quo ad motum localem angelis etiam ſatanæ ad nutum obediunt. 7
Corpus omne mixtum harmoniam, & complexionem habet. 10
Corpus nullũ põt eſſe niſi a principiũ primũ. 10
Corpora duo in eodẽ loco ſimul impoſſibile. 11
Corporum cæleſtium vniformitatẽ in cæleſtibus motibus ſemper obſeruari. 44
Corpus ſuperius ſemper inferius cõtinet. 46
Corpora duo in inuicem ſe concludere impoſſibile. 47
Corporis nullius actio ſuper agens ipſum reflectitur. 47
Corporis actio ad actionem aliquam minime terminatur. 48
Corpus aliquod, quanto eſt propinquius materiæ primæ, tanto ignobilius. 49
Corpora elementorum ſecũdum ſpeciem ſuam ignobiliora corporibus mixtis. 49
Corpus omne viuens aliquo modo ſecundum animam localiter mouetur. 49
Corpus nullum animatum inter nos & cælum ſecundum Ariſt. 59
Corpora cæleſtia et terreſtria ĩ quo differãt. 100
Corporea natura ſpirituali inferior. 114
Corpora quæ ſumuntur a dæmone, ſunt vera corpora. 116
In Corpore dupliciter aliquid fit. 132
Corpus unum virtute diuina poteſt eſſe ſimul & eodem tempore duobus locis, ſecundum quoſdam Theologos. 133

Corpus

Corpus, quo incubus vel ſuccubius dæmon in actibus turpibus miſcetur, quale in ſubſtantia ſit. 158
Corpora naturalia poſſunt efficere illuſorias apparitiones, & ibi exempla. 182
Corrũpi poteſt aliqua res duplici ratione. 14
Corruptio non eſt alicubi, niſi etiam ibi ſit contrarietas. 15
Corruptibilis res apud Ariſt. aut corpus, aut uirtus in corpore. 37
Corruptibile omne apud Ariſt. eſt & alterabile. 38
Corruptio, non niſi per contrarietatem eſt, ſecundum quam alteratio inducitur. 38
Corruptibile omne apud Ariſt. ſicut debilitabile, ita & alterabile. 38
Corruptibilium omnium uiuentium uita per contrarietatis excellentiam corrũpitur. 49
Creaturas aliquas eſſe, quæ agunt per intellectum & voluntatem. 45
Creatura omnes & ſingulæ redeunt ad ſuum principium. 45
Creaturas aliquas eſſe quæ redeunt in Deum, nedũ natura verũ operis ſimilitudine. 45
Creaturæ intellectuales, corporales cõtinẽt 46
Creaturas aliquas eſſe in quibus ſecundum ſe forma diuini intellectus & exprimatur, & imprimatur. 46
Creatura omnis rationalis, in ſua natura contemplata, poteſt peccare. 74
Crucibus conſignandi qui ſint. 149

D

DÆMONES omnium malorum ex animo, vel occaſione principia. 3
Dæmones aliud nihil, niſi ſubſtantiæ intellectuales immortales, natura bonæ, uoluntate malæ. 3
Dæmones hominem poſſent tempore imperceptibili ferre ab ortu ſolis ad occaſum, ſi eius anhelitus pateretur. 7
Dæmones, quos Galli Duſios nuncupant, qui. 6
Dæmones inter nos & ſuperiores ſubſtantias mediatores eſſe aſtruebãt Platonici. 62
Dæmonum Plato quoſdam bonos, quoſdam malos aſtruxit ſicut & hominum. 62
Dæmonum innumerabilis multitudo. 88
Dæmones ſecundum Platonicos habent corpora naturaliter unita, ac partem ſenſitiuam & paſſiones. 93
Dæmon, etiam minimus, quã noſcat. 110. 120
Dæmones naturali uirtute potentiſſimos. 100
Dæmon quilibet ſcit rerum omnium uires & proprietates. 100
Dæmones poſſe ſimul plures homines portare & pene ſubito ad loca diſtantia. 115
Dæmon in forma diſci argentei apparuit B. Antonio. 116
Dæmon in forma puellæ. 116
Dæmones hominum ſenſus dupliciter immutare poſſunt. 117
Dæmones ex qua materia corpora ſumãt. 117
Dæmones quid poſſint circa homines. 117
Dæmones tripliciter norunt veritatem. 120
Dæmonum ſapientia. 120
Dæmon, niſi comprimatur a Deo, poteſt hominem etiam inuitum localiter ferre. 130
Dæmones poſſunt in deterius aliquid mutare, & ibi exempla. 142
Dæmon per maleficos mortem infert. 142
Dæmonum poteſtas. 145
Dæmones, & ſi nullos timeant, tamen ſubiacent meritis Sanctorum. 145
Dæmones humani generis inimici. 146
Dæmonum uis in Luxuria. 146
Dæmones incubi, qui. 146
Dæmones ſuccubi, qui. 146
Ex Dæmone incubo & muliere gigantes naſci. 6. 146
Dæmon per motum localem ſemẽ admouet mulieri multipliciter. 147
Dæmones mali poſſunt per angelos bonos cohiberi a ſordibus. 149
Dæmones inferiores tantum, exercent ſpurcitias incuborum & ſuccuborum. 149
Dæmon tribus modis uocat homines ad magica flagitia. 151
Dæmones ſũt inter ſe cõcordes ad nequitiã 151
Dæmon, quibus cauſis mouetur ad homagium & profeſſionem expetendam. 155
Dæmones, quas ſtrigimagas in tormentis auxiliantur. 155
Dæmon quare, & quam multipliciter homagium expetat ab hominibus. 155
Dæmon quare mulieres magis eligat quam viros ad maleficia. 157
Dæmones quomodo in aſſumptis corporibus cũ ſtrigimagis loquantur, videant, manducẽt, coeant, & generent. 158
Dæmones quomodo loquantur. 159
Dæmon quid viro ſancto reſpondidit. 160

Dæmon

Dæmõ in corpore aſſũpto poteſt exercere duas ex quatuor partibus ueræ coniũctionis. 160
Dæmones quomodo coire poſſint. 161
Dæmones quando cœperint in ſtrigimagas libidines exercere. 161
Dæmon quomodo ſe habeat in re uenerea. 162
Dæmon quibus ex cauſis diebus feſtis potius quam alijs, ſtrigimagas inducat in oblectationibus ueneréis. 162
Dæmones in quibus locis exerceantur res uenereas. 163
Dæmones in locis ſacratis non poſſunt res uenereas exercere. 163
Dæmones ſuccubi uel incubi an uiſibiles ſint in actu uenereo. 163
Dæmones uirgines uiolare, & uiduas maxime appetunt. 163
Dæmon quid poſſit. 164
Dæmon uiſibiliter & inuiſibiliter homines aggreditur. 164
Dæmon inuiſibiliter homines agreditur duobus modis. 164
Dæmones amorem ſenſualem inducere efficaciſſime poſſunt. 165
Dæmon quid agere poſſit circa intellectũ. 165
Dæmon quibus modis in amorem homines inducat. 165
Dæmõ per ſtrigimagas quibus modis impediat matrimonij effectus. 166
Dæmon poteſt multipliciter hominibus illudere. 170
Dæmones an poſſint indiſcrete eludere hominum ſenſus. 170
Dæmon non poteſt inuadere animam alicuius per pœnam, niſi ſanctis cogitationibus deſtitutam. 170
Dæmon homines Deo gratos non poteſt ludificare, licet in corpore & fortunæ bonis eos poſſit malis afficere. 170
Dæmones per ſtrigimagas multipliciter impediunt fœtus conceptionem. 172
Dæmõ põt hominibus obeſſe etiã in fama. 175
Dæmon quid circa morbos fecerit. 175
Dæmonum auxilio uti in effectibus corporalibus per eos inductis, an ſit malum. 178
Dæmones quid permittente Deo facere poſſint, iuxta Sacram Scripturam. 180
Dæmones per maleficos quomodo uentos & pluuias concitent. 180
Dæmon quibus nocere non poſſit. 180
Dæmon & ſe, & ſtrigimagas per uarias formas demonſtrat. 181
Dæmon bifariam phantaſia apparitiones uarias efficere poteſt. 183
Dæmõ põt multis modis homines illudere. 185
Dæmon ad ſtrigimagarum beneplacitum an poſſit homines poſſidere. 186
Dæmonem hominem inhabitare dupliciter intelligi. 186
Dæmones, cum per ſe ipſos homines lædere poſſint, cur ſtrigimagarũ opere utantur. 187
Dæmones cur tantopere expetant abuſus ſacramentorum. 188
Dæmonis poteſtas multis modis eneruatur, & ibi exempla. 189
Dæmon qua de cauſa aliquando nolit aliquem uexare. 190
Dæmonem inuocans, licet ad rem non iniquã, mortaliter peccat. 196
Dæmones incubi et ſuccubi quidam, etiam inuitos homines, & præcipue mulieres in uenerem inducunt. 199
Dæmonum ſuppoſitio loco filiorum, cur a Deo permittatur. 207
Dæmonum ſuppoſitorũ tria genera. 207
Dæmõ mulierib[9] proprijs filijs ſubtractis alios dæmones ſupponit. 207
Dæmon quomodo ſit præſens in maleficiatis & arreptitijs. 212
Dæmonum auxilio quomodo liceat uti. 212
Dæmones obſtinati. 214
Dæmon alteri non ſemper cedit. 259
Delatus multipliciter poteſt plecti. 233
Delatus infamiæ ubi noluerit ſe purgare, excommunicatur. 246
Deum eſſe, & rerum cauſam eſſe uoluntariã, oẽs & Philoſophi, et Theologi ſupponũt. 43
Deus bonus eſt, & bonitatẽ alijs elargitur. 45
Deus eſt prima cauſa uirtute continens omnes effectus. 46
Deus in genere non eſt. 53
Deus in rerum creatione uniuerſi perfectionem intendit. 70
Deus, qui ſubſtantia prima eſt, cum a corporũ natura maxime diſtet, iure in rerum ordine multi gradus interiacent. 70
Dei prouidentia erga res ſingulares, etiam minimas. 70
Deus in rebus ſingularibus quæ operetur. 70
Deus ſolus per ſuam eſſentiam habet notitiam

propriam omnium rerum. 97
Deus permiſit Chriſtũ portari a diabolo. 136
Deus multotiens permittit rationalem creaturam aduerſus ſua inſtituta operari. 147
Deus nõ permittit nos tẽtari ſupra vires. 148
Deus & natura nõ deficiũt in neceſſarijs. 189
Deus p ſemet gratiã noſtra mẽti infundit. 191
Deus vult claues eſſe in reuerentia. 200
Dei auxilium a Iudice implorandum. 239
Diabolici homines, & eorum effectus. 1
Diabolus mulieri moniali in ſpecie lactucæ apparuit D. Gregorio teſte in Dial. 7.116
Diabolus quandoque ſanat corpus, vt perdat animam. 8
Diabolica poteſtas ad quid ſe extendat. 120
Diabolus quid poſſit circa hominem. 121
Diaboli voluntas quid cupiat. 123
Diabolus conatur quibus poteſt modis humanum genus offendere. 135
Diabolus pueros paruos enecat, & præſertim non baptizatos. 135
Diabolus frequenter hominem tentat, ut ſaltem per tadium uincat. 151
Diabolus in minimis incipit tentare hoĩes ut inde ad maiora flagitia eosdẽ inducat. 152
Diaboli ars in tentando. 152
Diabolus uerſute in animas maxime uirgineas debacchatur. 153
Diabolus portas ad libitum reſerat. 173
Diabolus cupit adorari ut Deus. 193
Diabolus quas maleficas iuuet in quæſtionibus beneficio taciturnitatis. 236
Diabolus mundi dominium ambit. 193
Diaboli actus in lacrymis excutendis. 237
Diabolus, cur impediat lacrymas maleficarum. 237
Dictio, quid. 159
Differentia quæ eſt ex forma, ſpeciem: quæ uero ex materia, numerum uariat. 55
Diomedis ſocios in aues mutatos. 184
Diuinatrices inuocare contra delatorũ taciturnitatẽ ceſſantibꝰ alijs remedijs, an liceat. 238
Diuiſibile omne, ut corpus, continente indiget & vniente partes. 11
Diuinitatis inſigne eſt futura noſſe. 108
Doctores ſancti ea quæ ſunt philoſophiæ longe ſubtilius, copioſius & clarius tractarũt. 30
Doctores diſtingunt de maleficio perpetuo & temporali, non de uero & phantaſtico. 140
Duſii, qui. 146

E

EFFECTVS tunc maxime perfectus, quando redierit in ſuum principium. 41
Effectus omnes perfecti dicuntur, ubi cauſæ agenti ſimilantur. 45
Effectuum mirandorum creatura damnabilis ſiue angelica ſiue humana ratio. 124
Effectus creatura damnabilis quinque. 125
Effectus pœnales & noxij a voluntate proficiſcentes multiplices ſunt. 143
Effectus maleficiales mirandos. 164
Elementa, & ſi ſecundũ totũ incorruptibilia, partes tamẽ ſingulæ corruptibiles ſunt. 49
Energumeni qui. 213
Ens omne realiter aut diuinũ, aut phyſicũ. 36
Ens, quod maxime eſt, alijs eſſendi cauſa ſit oportet. 62
Epicureorum opinio de principijs. 56
Error in angelico intellectu, qualis. 95
Errores circa maleficium. 138
Erroneum fundamentũ ſumptum ab aliquibus ex canone per uerba c. Epiſcopi. 26.q.5. 139
Eſſe unumquodque illud dicitur, quod eſt in eo principale. 34
Eſſendi ratio, quorum diuerſa, horum ſpecies quoque diuerſa ſit oportet. 54
Eſſe animæ humanæ & intelligentiæ, non eſt unius rationis. 54
Euangelium portare an liceat. 210
Euchariſtia ſpiritus malos exurit. 203
Excipiẽs, iuxta modũ excipientis excipitur. 16
Executio ſententiæ latæ quando differtur. 241
Exempla multa ſuſpitionum. 242
Exorcizandi modus. 207.211
Exorciſta quid cauere debeat. 209
Exorciſmis et carminibus qũo utendũ ſit. 210
Exorciſmus congruit contra uexationem intrinſecam. 212
Exorciſmi & remedia alia quibus de cauſis quandoque non liberent maleficiatos. 213
Expoſitio D. Th. huius tex. Sed ſicut recto. 34
Expurgatio Authoris aduerſus Apologiam Petri Pomponatij. 19

F

FACIENS, nullo contradicente, nobilius eſt facto. 16
Faſcinatio cur accidat. 77
Faſcinatio quid. 144
Fauni qui. 146
Fauni ficarij. 147

Forma

Formæ determinata determinatam materiam ſubeſſe oportet. 13
Forma, quæ eſt actus, conuenit eſſe per ſe. 15
Formã ſubſiſtere, eſſe deſinere impoſſibile eſt. 15
Forma nulla corrumpitur, niſi aut actione cõtrarij, aut deſtructione ſubiecti, aut deſitione ſuæ cauſæ. 16
Formæ & ſimulacra rerum naturalium excipiuntur in paſſibilem intellectum ut ſunt actu intelligibiles. 16
Forma quæcunque a materia ſeparata, intellectiua in actu ſit oportet. 18
Forma omnis & actus poteſt dici habitus. 25
Forma non recipitur in corpore niſi indiuiduata. 47
Formæ ſimiles debentur ſimilibus mobilibus & motis. 49
Forma omnis corporis aliquam habet operationem propriam per corpus. 49
Formæ, quæ ſunt in materijs, actus imperfecti ſunt. 52
Forma omnis per ſe abſque materia ſubſiſtens, eſt ſubſtantia intellectiua. 52
Formæ materiales, ſi multiplicant ſpecies materialium, longe magis formæ immateriales ſpecies immateriales multiplicabunt. 70
Forma eſt cuiuſq; operationis principium. 72
Forma, quæ eſt ab ipſo agente, ex eo quod per ipſam operatur, etiam conſequentis operis dominium habebit. 72
Forma intellecta, ſeu conceptio, p quã ſubſtãtia intellectualis opat, ab ipſo eſt intellectu. 72
Forma ſubſtantialis in uiuentibus eſt principium uitæ, quæ dat eſſe uiuum. 80
Formæ quæ uidentur in præſtigijs, non niſi in ſenſu ſunt. 119

G

GIGAS, & non homo ſolum naſcitur ex hominis coitu cum ſpiritu. 6
Grando mirabilis. 181
Gubernatio omnis eſt ſecundũ rationẽ boni. 64

H

HABACVC ab Angelo portatus. 115
Habitus non ſignatur ut aliquid per ſe exiſtens, ſed alicuius habentis. 25
Hæreſim ſapit, qui negat eſſe maleficos & poſſe maleficia efficere. 139
Hæreſis eſſentialiter in intellectu eſt. 216
Hæreticus aliquãdo dicitur præſumptiue. 216
Hæretici diffinitio ſecundum D. Aug. 220
Hæreſis proprie & improprie. 220
Hæreticis redire uolentibus, poſtquã ſunt per eccleſiam condemnati, an ſit parcendũ. 256
Halec proprietas. 158
Harmonia ratio magis corporum qualitatibus quam animæ congruit. 10
Henricus Inſtitoris aduerſus Ant. de Roſell. ſcripſit. 131
Herba cuiuſdam uirtus. 119
Hieronymo Placentino Congr. S. Iuſtinæ, quid acciderit. 126
F. Hieronymus de Berthenorio. 137
Hieronymus a Violæ. 159
Homagium quod Diabolo datur, in quo differat a profeſſione. 155
Homo per intellectum omnium corporum formas & naturas cognoſcere poteſt. 11
Homo a brutis ſpecie differt per intellectum paſſiuum. 33
Homo quomodo locutione conceptum ſuum pra mat. 159
Homo a Dæmone poſſidetur aliquando pro maiori merito cumulando, & ibi exemplũ. 186
Homines a dæmone poſſideri permittitur multis ex cauſis. 187
Hominum genera tria quibus ſtrigimagæ non poſſunt obeſſe. 189
Homines, qui ſe remedijs Eccleſiæ Catholicæ tuentur, non poſſunt a maleficis uexari. 190

I

IMAGINATIO facit caſum. 77
Imaginarias apparitiones locali motione humorũ atq; ſpirituũ aliquãdo poſſe fieri. 118
Incantatores dicuntur etiam catholici in bonam partem. 209
Incubi ab incubando, id eſt, ſtuprando. 7
Incubonem Romani Faunum ficariũ uocãt. 7
Infideles quare a Diabolo non tenentur. 144
Inimicitia capitalis quæ ſit. 227
Inquiſitorum opiniones in puniendis ſtrigimagis. 214
Inquiſitores contra ſtrigimagas & alios dæmonũ inuocatores cõmuni iure procedunt. 217
Inquiſitoris iuriſdictio quæ ſit. 217
Inquiſitor et Iudex quomodo procedant in cauſis fidei. 223
Inſeparabile ab eo ſit oportet, quod alicui ſecũdum ſe conuenit. 14
Intelligere nullius corporis actus eſt. 11
Intellectionis noſtræ principium ſubſiſtens eſſe oportet,

INDEX.

oportet, & non inhærens. 11

Intelligere & uelle ſolum inter omnes animæ operationes, ſine corporali organo explentur ſecundum Ariſt. 12

Intellectus poſt maxima intelligibilia poteſt intelligere minora. 13

Intelligendo, ſi corpus fatigatur, per accidens eſt. 13

Intellectus agens nobilior ſit oportet intelligibilibus. 16

Intellectione homo perficitur formaliter, qua a brutis et cæteris, q̃ infra ſũt, ſecernit. 16

Intellecta re, effectiue homo perficitur, quæ cũ ſit uniuerſalis, incorruptibilis ſit oportet. 16

Intelligibile pmanẽtius eſt ipſo eſſe ſenſibili. 16

Intellectus & intellectum primum in ſeparatis a materia idem eſt. 18

Intellectus agens in tribus conditionibus conuenit cum poſſibili. 23

Intellectus agentis quattuor conditiones. 23

Intellectus in actu eſt idem rei intellectæ. 23

Intellectus agens non eſt ſubſtantia ſeparata, ſed magis aliquid animæ. 25

Intellectus poſſibilis & agens ſunt differentiæ animæ. 25

Intellectus agens eſt ſicut habitus, quod eſt lumen. 25

Intellectus agens facit hominem intelligere omnia, & eſt ſicut habitus. 25

Intellectus poſſibilis non eſt paſſibilis ſicut ſenſus. 25

Intellectus agens non eſt habitus per modum quo eſt in ſecunda ſpecie qualitatis. 25

Intellectus agentis effectus, quis. 25

Intellectus poſſibilis paſſibilis eſt. 26

Intellectus agens eſt ſicut cauſa efficiens, poſſibilis ſicut materia. 26

Intellectus poſſibilis eſt patiens quodammodo & potentia ens. 26

Intellectus agens eſt nõ patiens, et actu ens. 26

Intellectus poſſibilis quomodo fit actu. 26

Intellectus poſſibilis quomodo prior ſit tempore, quam intellectus in actu. 27

Intellectus poſſibilis quõ reducitur in actũ. 27

Intellectus agens, ſi eſſet ſubſtantia ſeparata, anima non intelligeret ex ſe, & libere. 28

Intellectus agens cur ita dicatur. 28

Intellectus in anima noſtra quadruplex. 29

Intellectus paſſiuus quid ſit. 33

Tam Intellectus poſſibilis quam agens, apud Ariſt. eſt pars animæ. 37

Intellectus uterq; tam agens quã poſſibilis immortalis eſt, et ĩcorruptibilis apud Ariſt. 37

Intellectus agẽs, poſſibilis & voluntas ſunt animæ potẽtiæ, q̃ poſſũt a corpore ſeparari. 37

Intellectus poſſibilis, ſi eſt in corpore, eſt in eo ut forma ſubſtantialis, vel accidentalis. 38

Intellectus poſſibilis non eſt in corpore exiſtenter, nec in toto, nec in parte. 38

Intellectus ſi eſſet in corpore exiſtenter, multa abſurda contingerent. 38

Intellectus poſſibilis non eſt in corpore exiſtenter ut ſphæra. 39

Intellectus poſſibilis & agens partes, ſeu potẽtiæ, vel accidentia ſunt animæ. 39

Intelligere eſt ſeparabilis a corpore aptitudine, licet non actu in iſta uita mortali. 41

Intellectus diuinus & voluntas productarum creaturarum eſt principium. 45

Intellectus, dum formas excipit, nõ corrumpitur, ſed perficitur. 47

Intellectus intelligit ex eo vel maxime, quod in ſe intellectorum formas excipit. 47

Intellectus ſupra ſeipſum agẽdo reflectitur. 47

Intellectus, ſicut rem intelligit, ita & ſe intelligere utique intelligit, & ſe intelligere ipſum intelligere, & ſic in infinitum. 48

Intelligendi modus perfectus, quis. 53

Intellectuales ſubſtantiæ incorporeæ ab anima ſpecifice diſtinguuntur. 54

Intellectus, quæ ſeparatim intelligit, non eſt neceſſe ut ſeparatim ſubſiſtant. 58

Intellectus primus ſeparatus toti ordini ſeparatorum intellectuum prouidet. 62

Intellectuum ſeparatorum numerum ad numerum cæleſtium motuum Plato non coarctauit. 63

Intellectus nec corpꝰ, nec corporis actus eſt. 64

Intelligentiarũ numeri multæ ſententiæ. 68

Intellectualis natura a mouẽdo nõ depẽdet. 69

Intellectu multa capimus, quæ nequeunt eſſe in materia. 71

Intellectualia non ſolum ſunt liberæ actionis, ſed liberi iudicij. 73

Intelligẽtia quõ ad operandũ, ſeipſas agãt. 73

Intellectiua apprehenſio non determinatur ad quædam, ſed eſt omnium. 73

Intellectualis ſubſtantia appetitus, quis. 73

Intellectualia ſola ſe nõ ſolum ad agendum, ſed ad iudicandum mouent. 74

Intelligentiæ per liberum arbitrium malæ & peccatrices eſſe poſſunt. 74
Intelligentias aliquas re ipſa eſſe malas & peccatrices. 76
Intelligentiæ quomodo in his inferioribus res miras faciunt. 78
Intelligentia, quæ magorum operibus efficaciam præſtat, mala eſt. 83
Intelligentia qualiter & quot peccarunt. 84
Intelligentiam nullam naturaliter eſſe moraliter malam. 84
Intelligentias in primo inſtanti ſuæ creationis malas eſſe non poſſe. 87
Intelligentiarũ, an maior pars peccauerit. 88
Intelligẽtia inter peccantes nobilior & prior, an prima fuerit. 88.89
Intellectualis creatura ita a Deo eſt inſtituta, ut poßit damnari & ſaluari. 90
Intelligentias malas, ſiue dæmones eſſe in naturali ſapientia præſtantiſsimos. 95
Intelligẽtiæ ſiue bonæ ſiue malæ quomodo accipiant cognitionem a rebus ſenſibilibus. 96
Intelligentiæ ſiue bonæ ſiue malæ non omnia intelligunt per ſuam ſubſtantiam. 97
Intelligentiarum localis diſtantia cognitionem non impedit. 98
Intelligere ſubſtantiæ ſeparatæ ſupra tempus eſt. 99
Intelligentiæ ſemper ſunt actu intelligẽtes. 99
Intelligere intelligentiarum non eſt diſcurrẽdo a magis noto ad minus, ſiue ecõuerſo. 100
Intelligentiæ bonæ neque per ſe, neque per accidens falluntur. 102
Intelligentia bona uel mala quæ cognoſcat circa immaterialia. 102
Intelligentiarum intelligere eſt continuum, & non interciſum. 103
Intelligibiles rerum ſpecies & ad noſtrum, & ad angelicum intellectum ordine contrario ueniunt. 107
Intellectus cap. Epiſcopi 26.q.5. 127
Intellectus uerus cap. Epiſcopi 26. q.5. et ibi multa. 131
Intellectus c. Epiſcopi 26.q.5. reprobatur. 135
Intellectus Gloſſa in cap. 1. de Offi. Deleg. 217
Intellectus c. Accuſatus, de Hæreticis l 6. 218
Intellectus Io. de Turrecremata in cap. Epiſcopi 26.q.5. 222
Interrogatoria teſtium in cauſis fidei. 228
Interrogatoria generalia ſuper delato & conſtituto. 229
Interrogatio ultima in delatum. 239
Inuidia in angelis malis eſſe poteſt. 76
Inuidus cur de alterius bono triſtetur. 76
Inuocatio Dæmonis dupliciter fit. 179
Inuocatio dæmonũ quando ſapiat hæreſim. 216
Inuocatio dæmonum tripliciter poteſt eſſe hæreſis. 217
Inuocãtes dæmones sũt pluſquã hæretici. 220
Iob, quid paſſus eſt. 123
Ioannes Graſſus doctor ſolemnis. 129
F. Ioãnes Bapt. de Viqueria prior Brixian. 137
F. Ioan. de Tabia author Tabienæ Summæ Inquiſitor Bononiæ tempore Authoris. 202
Ioannes Bentiuolus. 159
Iſpruck multa maleficia fuiſſe facta per ſtrigimagas. 177
Iudæorum ſynagoga præſtigiorum referta. 8
Iudas dæmones adiurauit. 208
Iudex ad quæ teneatur. 226
Iudex an poßit compellere teſtes ad iuramentum de ueritate dicenda in cauſa fidei. 226
Iudici quid ſit curandum ubi delatus perſiſtit in negatiua. 230
Iudex tria debet attendere. 230
Iudicis moderatio, quæ. 230
Iudicis officium poſt captionem. 231
Iudex quomodo ſe habere debeat circa materiã inimicitiarum capitalium in delatos. 234
Iudex quid attendere debet. 234
Iudex ad quæſtiones maleficarum non ſit pronus. 236
Iudex, an poßit promittere uitam infamato, & per indicia facti & teſtes deprehenſo, ſi ſponte fateatur. 236
Iudex ſæcularis non poteſt in crimine ex eccleſiaſtico & ciuili mixto ſententiare. 240
Iudex eccleſiaſticus q̃ iudicia nõ exerceat. 240
Iudex Epiſcopus poteſt per alium ſententiam recitare inſtar illuſtrium. 241
Iudex in uidendo merita proceſſus, & ſententia ferenda, debet adhibere peritos omnium facultatum. 241
Iudex Laicus poteſt aliquando ultimo ſupplicio interimere quos Iudex eccleſiaſticus ad pœnitentiam receperit. 244
Iuſtitia eſt perfectio creaturæ permaxima. 17
Iuſtitiæ effectus, quis. 17
Iuuencula in agro Briſiaco conuerſa, quid paſſa ſit. 154

Inuenis

Iuuenis quidam magus in iudicio Bernenſium pœnitẽs, cũ eſſet moriturus, quid dixerit. 154

L

LACRYMARVM donum in pœnitentibus nobile. 237
Lamia a quo dicta, quid ſint, quidue agant. 3
Letaniæ minores, qua de cauſa ſint ab Epiſcopo Viennen. inſtitutæ. 185
Lex quid ſit. 134
Lex diuina iubet maleficos occidi. 139
Liberi arbitrij diffinitio. 74
Lingua bona nihil melius, nec peius mala. 157
Locutio quid. 159
Ludus diaboli. 137
Lunatici ad patiendum aptiores. 124
Lupi qui intra oppida pueros rapiunt, nec ulla capi, uel lædi poſſũt, quomodo ſint. 185

M

MAGORVM opera aliqua non ex conſtellatione, ſed ab intellectu proficiſci. 60
Magorum opera mira, ex corporum cæleſtium impreſſione eſſe nequeunt. 78
Magicæ artes unde habeant efficaciam. 81
Magi noſtri temporis, quomodo a dæmone portantur. 115
Magi & malefici vnde dicantur. 138
Magi Pharaonis. 139. 141
Magi qui ſint. 143
Magi quidã proprios filios manducarũt. 154
Magi cuiuidam iactatio in agro Bernen. 180
Magi & malefici idem ſunt. 193
Magorum conſilia non ſunt inquirenda. 193
Malefici et nocte et die maleficijs incumbũt. 3
Maleficium, quid. 119
Maleficium unde dicatur. 119
Maleficium tripliciter dici. 119
Maleficiũ nihil eſſe quidam exiſtimarũt. 138
Maleficia non modo per fidem ueram, ſed philoſophice probantur. 139
Maleficos quidam eſſe dixere, ſed maleficiales effectus non efficere, ſed cogitare tantũ. 139
Malefici & incantatores iubẽtur occidi Deuteron. 18. 139
Maleficorum pœna, quæ ſit. 140
Malefici cur crementur. 140
Malefici innumeri. 140
Maleficus & dæmon ad maleficium in Eccleſia ſemper concurrunt. 142
Maleficiorum deſcriptio. 143
Malefici quid agant. 141. 143
Maleficium dicitur in quo & dæmon, & magus concurrunt. 143
Malefici ab incubis dæmonibus procreãtur. 161
Maleficium quomodo cognoſcatur. 168
Maleficium, cum ſit a ſolo dæmone, cur ſtrigimagæ adſcribitur. 175
Malefici unde dicantur, & quid agant. 175
Maleficæ incinerandæ quid retulerint. 190
Maleficia maleficijs elidere an liceat. 191
Maleficium tribus modis aufertur. 191
Maleficia maleficijs expellere eſt eſſe maleficum. 193
Maleficos adire non licet. 194
Maleficos adire de iure ciuili prohibetur. 194
Maleficis cur non credendum. 195
Malefici opere ad maleficia deſtruenda quomodo & quando liceat uti. 196
Maleficium ſoluitur multipliciter. 197
Maleficiati in uirilibus, ſunt diuina gratia deſtituti. 201
Maleficia in adultis unde ueniant. 213
Maleficiatum curare difficilius eſt quam arreptum. 213
Maleficæ quando lacrymare non poſſint. 237
Maleficus carceratus quare non relinquatur ſolus. 237
Maleficæ quando flere poſſint. 237
Maleficas per uerba & uiſum poſſe maleficijs afficere. 238
Maleficus delatus non eſt relaxandus ſub fideiuſſore. 239
Maleficæ quædam curant, & non nocent, & hæ quomodo puniendæ. 259. 260
Malo alieno uti ad noſtrum bonum quando liceat. 194
Manichæi quid Deum eſſe dixerint. 43
Manichæorum error, & ex quo proceſſerit. 64
Manichæorum error de dæmonibus. 86
Maſchare, id eſt, laruæ. 3
Materia quomodo acquirat eſſe in actu. 15
Materia cur corruptioni obnoxia. 15
Membra uirilia non uere ſed ſuperſtitioſe ſubtrahuntur. 201
Mentes cæleſtibus motibus non ſubduntur. 70
Miniſtri publicæ iuſtitiæ, miniſtri Dei ſũt. 159
Mobile primũ et appetens & intelligẽs eſt. 59
Mobile primum eſt corpus animatum anima intellectuali. 59
Modi tres procedendi apud iura. 223
Monachus quidam necromanticus. 166

Motiua uis duplex. 13
Motori determinato, determinatum organum neceſſe eſt. 13
Motoris cuiuslibet uirtus, in mouendo, proprium mobile non excedit. 50
Motus corporis elementaris ex alijs principijs cauſari pōt, quā ex ſubſtātia intellectuali 51
Motus continuus, regularis & indeficiens a quo ſit. 53
Motus multi uidentur ordinari ad unius ſtellæ motum. 59
Motus nullus in cælo, niſi ad alicuius ſtellæ delationem ordinatus. 60
Motus ſempiternitas falſa eſt. 61
Motus & actio erga particularia ſunt. 74
Motus corporū cæleſtiū ſemper continuus. 99
Motus localis eſt ſuprem⁹ inter oēs motus. 114
Mouere non eſt actus ſenſitiuæ animæ ſine corpore. 13
Mouens primum immobile eſt ſicut bonum quoddam appetibile. 59
Mouens aut ſenſus, aut intellectus. 80
Mulierum malitia. 157
Mulieres ad credendum pronieres. 157
Mulierum puſillanimitas. 158
Mulieres tacere neſciunt. 158

N

NABVCHODONOSOR *hiſtoria.* 182
Natura quæ quandoque in actu, quandoque in potentia operatur, principium actiuum & paſſiuum habet. 23
Natura in ſuis operibus non impeditur. 39
Naturæ omnes poſſibiles in rerum ordine inueniuntur. 53
Natura ſpeciei, quæ perpetuo in uno indiniduo ſaluari nō pōt, ſaluatur in plurib⁹. 55
Natura intendit perfectionem. 86
Nihil in genere eſt, uel in mundo, qđ in aliqua ſpecialiſſima ſpecie non ſit. 39

O

OBLATIO *pueri p ſtrigimagas facta.* 174
Obſtetrices, quibus modis officere poſſint catholicæ fidei. 172
Ocioſum eſſe non poteſt, quod in ſe ſubſiſtit. 12
Operatio qualitatum elementarium eſt ab extrinſeco. 9
Operari nihil per ſe poteſt, quod per ſe ſubſiſtere nequit. 12
Operari ſolius entis in actu eſt. 12
Operatio rei, rei ſubſtantiā, eſſeq; demōſtrat. 15
Operari, uiuere præſupponit. 18
Operatio eſt eius, cuius eſt potentia. 40
Operandi ſubſiſtentiā non tollit dependere in operando a corpore ut ab obiecto. 41
Operatio rei eſt actus, & bonum ſubſtantiæ operantis. 53
Operatio uirtutem, & uirtus eſſentiam demonſtrat. 54
Opiniones tres enumerantur de eo quod Ariſt. ſenſerit de animæ immortalitate uel mortalitate. 19
Opinio Pomponatij de anima mortalitate eruditiſſime a F. Bartholomæo Piſano Ordin. Præd. confutata. 19
Opinio Auicennæ de intelligentiarum operatione. 77
Opinio falſa Apulei & Platonicorum de dæmonibus. 51
Opinio falſa Gentilium, quod elementa more deorum ſint colenda. 51
Opinio falſa eorū qui dicūt Angelos & dæmones habere corpora naturaliter unita. 51
Opinio Platonicorum de forma materiali. 112
Opiniones de maleficio. 138
Opus Preceptorij & Formicarij Io. Nider ex ord. D. Dominici pene Authori cōtēporanei. 2
Opus Henrici Inſtitoris ac Socij, Malleus Maleficarum. 2
Orationes in exorciſmis. 211
Ordo ſeruatus a dæmone in ſuccubis & incubis. 161
Ordo inter malos angelos. 192
Organi præciſa excluſio non infert ſeparabilitatem in actu, ſecus in aptitudine. 41
Origenis error circa æqualitatem ſubſtantiarum immaterialium. 64

P

PACTVM *cum dæmone expreſſum & implicitum.* 179
Paſſiones, quo nam pacto animæ & complexioni attribuantur, Galenus non diſtinxit. 9
Paſſiones quomodo attribuantur cōplexioni. 9
Paſſiones quomodo attribuantur animæ. 9
Peccare quid. 75
Peccatum dupliciter in aliquo eſſe poteſt. 75
Peccatum omne a uoluntate eſt. 87
In peccato duo aduertenda & contēplanda. 88
Peccatum uoluntatis in omni uolente (Deo excepto) poteſt incidere. 93.94
De Peccato cōtra naturā in Diabolo. 150

Perfectio vniuerſi in quo maxime conſiſtit. 55
Phantaſmata ſe habent ad intellectum ſicut colores ad viſum. 22
Phantaſia eſt hominis ſenſus. 117
Philoſophi a principio ſolam naturam corpoream apprehenderunt. 43
Philoſophi errantes quo ad naturam, originem, & prouidentiam ſubſtantiarum immaterialium. 63
Piloſi, græce Paniſci, latine Incubi appellantur. 7
Piloſi, qui. 146
Pythones, qui. 129.139
Plantæ minus habent de vita, quã bruta. 49
Plato vniuerſalium realem abſtractionem poſuit. 41
Plato poſuit mathematica media inter ſpecies & ſenſibilia. 57
Plato dicebat hominum ac dæmonum quoſdã bonos, & quoſdam malos. 58
Plato inter ſummum Deum & nos, quattuor rerum ordines ſtatuebat. 58
Platonis poſitio de ideis impugnatur. 58
Plebanorum monitio. 188
Poſitio eorum qui intellectum agentem tantũ, et non poſſibilem ſubſtantiam eſſe ſeparatã dixerunt, improbatur. 29
Poſitio eorum deſtruitur qui ſuſtinent intellectum poſſibilẽ eſſe ſicut Mathematica. 36
Potentia viſiua non eſt debilitabilis niſi gratia organi. 38
Potentia infinita eſſe non poteſt in corpore finito. 47
Potentia in ſubſtantia ſpirituali tres. 110
Potentia perſonarum triplex. 232
Præſtigium quid. 169
Præſtigioſa illuſio tribus modis cõficitur. 169
Praxis in proceſſibus inchoandis. 223
Practica ſententiandi contra delatum immunem. 244
Practica ſententiandi contra delatum, in quo ſola infamia ſit probata. 244
Praxis ſententia in delatum quæſtionibus dignum. 247
Praxis Abiurationis. 248
Praxis ſententiæ in Abiuratum. 248
Praxis ſententiæ in ſuſpectum de hæreſi, violenter. 251
Praxis in ſuſpectũ de hæreſi, et diffamatũ. 252
Praxis de confeſſo hæreſim, ſed pænitente, nec alias relapſo. 253
Praxis in hæreticum confeſſum, et relapſum pænitentem. 254
Praxis in hæreticum impænitentem non relapſum. 255
Praxis de conuicto, & deprehenſo, omnia negante. 255
Praxis in conuicto fugitiuo. 257
Praxis de eo qui tantum inuenitur delatus ab aliquo malefico incinerato, vel incinerando. 258
Praxis in malefico non inferente ſed auferẽte maleficia. 259
Praxis in delatum qui iuſte, vel iniuſte appellaſſe inuenitur. 260
Probationes in criminibus debent eſſe luce clariores. 226
Probatio non admittitur contra ſuſpitionem violentam. 250
Proceſſum in ſtrigimagas practice, & obiter inchoari. 222
Proceſſum in ſtrigimagas continuari practice, & obiter. 227
Profitendi modus huius diabolicæ ſectæ. 4
Prouerbium. 157
Pſalmus, Qui habitat, mirãda virtutis eſt cõtra dæmones. 213
Purgatio infamia quomodo fiat. 246
Purgatus incidens in hæreſim iam purgatam pro relapſo habetur. 246

Q

QVAESTIONVM ſentẽtiã quomodo ferat iudex. 236
De Quæſtionibus delatorum. 235
Quæſtiones fallaces interdũ inefficaces. 236
Qualitates teſtium in cauſis fidei. 227
Qualiter ſit continuandus proceſſus in cauſis fidei. 227
Quatuor modis poteſt maleficus cõuinci. 234
Quatuor modi conuincendi reum. 241
Quinque requirũtur ad hoc vt aliquis ſit hæreticus. 220
Ex Quatuor actibus ſuperſtitioſis malefica, & ſortilega deprehenduntur. 259

R

REGVLAE ad ſuperſtitioſa cognoſcenda. 204
Regula decidẽdi oĩa eſt peritorũ cõſiliũ. 258
Relapſi pænitentia non liberat eum a brachio ſæculari. 255

Remedia

Remedia multa non deeſſe aduerſus ſtrigimagarnm veneficia. 189
Remedia vana non congruunt aduerſus ſtrigimagarnm veneficia. 191
Remedia illicita quæ ſint. 195
Remedia quædam contra maleficinm ſuperſtitioſa, tolerabilia quidem, non tamen facienda. 198
Remedia vera contra ſtrigimagas. 199
Remedia amoris ex Auicennæ conſilio. 201
Remedinm cõtra arreptitios maleficio intercedente. 202
Remedia aduerſus grandines. 203
Remedia aduerſus maleficia inmentorũ. 205
Remedia cõtra occultos effectus dæmonũ. 207
Robertus Sanſeuerinenſis. 160

S

SACERDOTE bono nihil melius, nec peius malo, & de hoc ibi rationes. 157
Sacerdos Friſingen. diœc. a diabolo portatus. 115
Sadducæornm, Origenis, & antiquorum naturalium poſitio excluditur. 34
Saluia putrefacta quid agat. 144
In Sanctificatis tentamenta diaboli craſſantur. 144. 152
Satanas rex duces habet, qui de ſingulis peccatis pro eorum cuiuſque natura homines tentãt. 150
Scientia eadem contrariorum eſt. 15
Sciẽtia in actu eſt idẽ. rei ſcitæ in actn. 27
Scoti opinio de maleficijs deſtruendis. 196
Scripturæ an licite ferantur ad collum. 210
Secta. c. Epiſcopi 26. q. 5. vbi differat a ſecta ſtrigarum circa hæreſim. 129
In ſempiternis non differt eſſe, & poſſe. 53. 71
Senſus uel intellectus in quibus aſſignetur. 10
Senſus & intellectus quõſe habeãt inter ſe. 12
Senſns a ſenſibili cum corporis immntatione patitur. 12
Senſus ab excellenti ſenſibili corrumpitur. 12
Senſus fit actu p ſpeciẽ ſenſatã in actu. 26
Senſus dnpliciter immutatur. 117
Sententias pro terminatione proceſſus in ſtrigimagas vario modo ferri. 240
Sententia Indicis eccleſiaſtici triplex. 240
Sententia diffinitiua quõ debeat ferri. 240
Sententia quomodo ſit ferenda. 241
Sententiæ quæ ab inquiſitore ſolo, vel ab ordinario ſolo poſſunt ferri. 243. 245
Sententia ad mortem non eſt ferenda in die ſolemni, neque in eccleſia. 253
Seraphin quid, & vnde nominetur. 90
Silnani, qui. 146
Similitndo perfecta in agendo, quæ. 45
Similitudo diuina quõ in rebus perficiatur. 45
Simon magns cadit. 115
Somniorum apparitionis cauſa. 118
Sonns, quid. 158
Sonus vt eminus non audiatur, dæmon poteſt facere dupliciter. 160
Speciei differentia attenditur ſecundum differentiam formæ. 12
Species rei ex propria operatione pcipitur. 54
In Speciebus corpornm cæleſtium non inuenitnr niſi vnum indiuiduum. 55
Species rei quæ ſit. 55
Speciei multiplicatio plus pfectionis vniuerſo addit quam multiplicatio indiuiduorum in ſpecie vna. 55
Species rerum materialium non per materiam ſed per formam mnltiplicantur. 70
Species rernm diſtinguuntur ſicut ſpecies numerorum. 105
Sperma in maſcnlis & in fœminis vnde deciditur. 146
Spiritus nomine in ſcripturis diuinis aliquod incorporeum deſignatur. 65
Spiritualis apprehenſio corpus nõ alterat niſi locali motn medio. 77
Stadhin maleficus in Diœceſi Lauſanenſi. 167
Strigimagarum dæmonumque effectus mirandi ex abditiſſimis philoſophiæ arcanis exquirnntnr. 2
Striga per metaphoram, vnde dictæ, & quid agant. 3
Strigimagarum nomina uaria. 3
Strigimagarum primus effectus. 3
Strigimagæ homagium exhibent dæmoni. 5
Strigimagæ quomodo pueros vorent. 5
Strigimagarum ordo obſeruandus. 5
Strigimagarum ſecundus effectus. 6
Strigimagarum tertius effectus. 7
Strigimagarum quartus effectus. 7
Strigimagarum quintus effectus. 8
Strigimagarum ſextus effectus. 8
Strigimagarum ſeptimus effectus. 8
Strigimagarum ſecta non eſt ea de qua in cap. Epiſcopi 26. q. 5. 128
Strigarum ſecta, licet in multis conueniat cum ea de qua in cap. Epiſcopi. 26. q. 5. non

tamen

INDEX.

tamen per verba eiuſdem cap. vtraque ſimul damnatur. 129
Strigimagæ an eant ad ludum vel portentur, & quomodo. 130.156
Strigimagarũ ſecta quando ortum habuit. 133
Strigimagæ quomodo docent eos, quos ad ludũ diabolicum deducere volunt. 134
Strigimagarum artes Comi, & Brixiæ. 137
Strigas, et lamias eſſe in rerũ natura. 145.151
Strigarum ſecta quæ ſit. 145.151
Strigas duobus modis profiteri diabolo. 153
Strigimagæ & magi cur præcipue infantibus non baptizatis inſidientur. 154
Strigimagæ quomodo infantes et puerulos aggrediantur. 154
Strigimagæ & magi ad quid puerulos occidant. 154
Strigimagæ feruntur à diabolo inuiſibiliter. 156
Strigimagarum genus cum incubis & ſuccubis domeſtice in illecebris verſari. 157
Strigimagarum genus magis ex mulierculis conſtare quam ex viris. 157
Strigimagarum multitudo. 161
Strigimagarum delectatio in venereis. 163
Strigimagæ & prouocare, et impedire poſſunt opus virtutis generatiuæ dæmonum auxilio. 166
Strigimagæ vbi pueros non interimunt, quomodo eos in ſacrificiũ ſatanæ imolant. 173
Strigimagæ quomodo iumentis officiant. 177
Strigimagæ quid exhibeant in maleficio. 179
Strigimagæ horrendis criminibus obuoluuntur. 188
Strigimagæ in Occidente mutant ſe in varias animalium formas: in Oriente vero alios in eaſdem vertunt. 201
Strigimagæ quid agant, cum iumenta lacte priuare volunt. 206
Strigimagarum genus an ſit puniẽdum tamquam hæreticum. 214
Strigimagæ & alij huiuſmodi non ſunt hæretici proprie ſed præſumptiue. 221
Strigimagæ & alij id genus incidunt in iudicium inquiſitorum. 221
Subiectum omne perpetuorum accidentium, perpetuum & immortale eſt. 39
Subſtantiæ ſeparatæ, non ſunt fruſtra. 30
Subſtantiæ ſeparatæ ſuum principalem finem aſſequuntur. 30
Subſtantias aliquas eſſe, quæ intellectu vigeant, anima humana præſtantior es. 43
Subſtantia nulla, ex toto intelligens, eſt corpus. 46
Subſtantiæ intelligẽtis actio ad actionem terminari poteſt. 48
Subſtantia intellectualis, ſi alicui corpori miſto vniatur, illud eiuſdem naturæ cum humano corpore ſit oportet. 48
Subſtantia nulla intellectualis alteri corpori elementari vniri vt forma poteſt, quam humano. 48
Subſtantia intellectualis non poteſt vniri elemento, & parti eius, nec vt forma, nec vt motor. 49
Subſtantiæ aliquæ intellectuales ſunt, non vnitæ corporibus, ſuperiores anima ſecundum ordinem naturæ. 52
Subſtantia ſine quantitate eſſe poteſt, & ſi non è contra. 53
Subſtantia aliorum generum, prima eſt tempore, ratione, & cognitione. 53
Subſtantia nulla corporea eſt ſine quantitate. 53
Subſtantiam rei ſuæ operationi proportionatam eſſe. 53
Subſtantiæ ſeparatæ omnes adinuicem ſpecie diſtinguuntur. 54
Subſtantiæ ſeparatæ ſunt multæ nullis penitus vnitæ corporibus. 59
Subſtantiæ intellectuales multæ ſunt cæleſtibus corporibus vnitæ. 59
Subſtantiæ omnes ſeparatæ ſub vna prima, quæ Deus eſt, ordinantur. 59
Subſtantias immateriales ad numerum corporalium coarctari incongruum eſt. 60
Subſtantiarum intellectualium duplicem ordinem inter nos & Deum poſuit Ariſt. 60
Subſtantiæ omnes orbium ſunt propter aſtra nobiliora. 60
Subſtantias immateriales non eſſe plures quam numerus cæleſtium motuum non eſt neceſſe. 61
Subſtantijs omnibus immaterialibus ſummus Deus cauſa eſt, quod earum qualibet et vna & bona ſit, ſecundum Plat. quod etiam Ariſt ſenſit. 61
Subſtantias omnes immateriales inferiores citra primam, Plato dixit eſſe vnum & bonum participatione primi. 61

Subſtan-

Subſtantiarum immaterialium ordinem duplicē ſupra cœleſtes aīas aſtruxit Plato. 63
Subſtantiarum immaterialium vnus tantum ordo ſupra cæleſtes aīas Ariſt. aſtruxit. 63
Subſtātiarū ſeparatarū multitudinē excedere materialium corporū multitudinem theologice probatur. 71
Subſtantias aliquas immateriales poſſe peccare et eſſe malas. 71
Subſtantiæ intellectuales creatæ habent voluntatem. 72
Subſtantiæ intellectuales ſunt liberi arbitrij in agendo. 72
Sueui quibus remedijs, vtantur contra iumentorum maleficia. 205
Superbia primum & immediatum Angelorū peccatum. 75. 94
Superſtitioſis rebus vtentes non ſunt proprie Apoſtatæ. 179
Superſtitio vitium eſt religioni oppoſitū. 192
Superſtitionis ſpecies duæ. 192
Superſtitioſum quod. 208
Suſpitiones diuiduntur trifariam. 241
Suſpitio probabilis ſubdiuiditur in tria menbra ſuſpitionis. 242
Suſpecti de ſecta ſtrigimagarum plectuntur pœna relapſorum in triplici caſu. 243
Suſpecti de ſecta ſtrigimagarum tripliciter dicuntur. 243
Suſpecti leuiter vel vehemēter de hæreſi quomodo puniendi. 249
Suſpectus violenter de hæreſi tamquā hæreticus damnandus. 250
Suſpectus violenter de hæreſi qua pœna puniendus. 250

T

T*ACTVS organum contrarietatibus actu carere oportet.* 49
Taciturnitas in quæſtionibus ex tribus emergit. 238
Teſtes quot, & quales eſſe debeant, 225
Teſtium dicta ſatis eſſe ad condemnandum delatum. 230
Textus Ariſt. 1. de Anima com. 12. & 13. exponitur. 20
Textus Ariſt. a 17. vſque ad 20. tertij de Anima explicantur, & defenditur expoſitio D. Thomæ. 23
Tex. ille Ariſt. Non reminiſcimur &c. quomodo exponendus. 31
D. Thomas defenditur contra nonnullos Scotiſtas. 21
D. Tho. numquam verbum elatum protulit, nec alicuius offenſiuum, niſi contra impugnatores aut religionum, aut pietatis fidei Chriſtianæ. 29
F. Thomas Placentinus. 137
Tormenta quomodo continuanda. 237
Tormēta nō iteranī niſi ex nouis indicijs. 237
Tranſmutatio de forma in formam vel de ſpecie in ſpeciem fit dupliciter. 184
Tribus modis apud Iuriſtas aliquis in prauitate hæretica deprehenſus dicitur. 230

V

V*ANIS vana retundere an liceat.* 195
Verba Cap. Epiſcopi 26. q. 5. 127
Veritatē rerum minime poſſe ſciri Plato affirmabat. 57
Vetulam quandam maleficā tres Abbates ſucceſſiue dementaſſe. 166
Vicario Ordinarij, et Inquiſitori quid acciderit ob curioſitatem. 131. 136
Viri cur magis ſubiaceant maleficijs quam fœminæ. 167
Virtus nulla corporea facere poteſt, vt ſuper actum ſuum flectatur. 39
Virtus tantum infinita æterno mouet. 59
Virtus nulla in magnitudine infinita eſt. 59
Virtus faciendi quomodo acquiritur. 81
Virtus q̄ in verbis eſſe dicitur, quomodo fit. 203
Viuētia ex materia, & forma cōpoſita ſunt. 11
Vnitas totius non ſtat cū partiū diuerſitate. 55
Vnum & bonum eſt primum quod eſt in intellectu. 57
Vnum & bonum ſe conſequuntur. 57
Vnus, vel bonus nullus eſt, niſi primi vnius, et boni participatione. 57
Voces ſignificatiuæ Magorum, quæ. 82
Voluntas humana libere in omnia fertur. 3
Volūtas imperfectior eſt intellectu poſſibili. 37
Voluntas diuina ſola ſui actus eſt regula. 75
Voluntatem habentes in quo differant ab ijs qua voluntate carent. 93
Voluntas & ratio appetitui & phantaſiæ non ſubiacent. 109
Vox quid. 158
Vrſi deuorantes pueros qui Eliſeū videbāt. 185

Z

Z*OROASTER magicæ artis inuentor.* 143
Zoroaſter dicit idē qđ Chā Noe filꝰ. 143

FINIS.

DE STRIGIMAGARVM DAEMONVMQVE MIRANDIS,

PER EXIMIVM SACRARVM Litterarum Profeſſorem Fratrem Silueſtrum De Prierio, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtrum.

Quæ ſit Authoris intentio. CAP. I.

DEVORANT plebem meam ſicut eſcā panis. Pſal. 13. Verba ſunt Pſalmiſtæ Spirituſancto edita, quibus ſiue ipſius Senacherib, ſiue (vt nonnullis placet) Nabuchodonoſor facinora patrata narrantur: quorum vterque blaſphemus in Deum, & in Dei populū iniuſtus fuit, & violentus inuaſor: in eo tamen ſenſu, quē allegoricū dicunt, & diabolum, & diabolicos homines effingunt: qui Deum verum aut rebus, aut verbis, aut vtriſq; negant. Eiuſmodi, ſtrigimagi, & crebrius femineo genere, ſtrigimagæ ſunt: ſic a nobis dictæ, quod nō ſtrigæ modo, verū etiam & magæ, ideſt, maleficæ ſunt (Magi enim idem & malefici. 26. q. 5. Nec mirum.) quæ veram fidem negantes ſalutiferæ crucis admirabile ſignum adeo paruifaciunt & vilipendunt, vt nefario pede conculcent: necnon Dei populū innumeris (vt ex dicendis clarius extabit) maleficijs afficientes, vorent: inſidiātes herbis, ſegetibus, plantis, brutis, hominūq; corporibus: & quod ijſce longe deterius eſt, etiā animabus, adeo vt Spiritusſanctus de ijs, & quidem merito, eructant: Deuorant plebem meam, meæ videlicet plebis fructus, pecudes, corpora, item & animas. Hæc vero & pleraq; alia eo licentius & fidentius efficiunt, quo paſtores nō dormiunt modo, verum etiam interdum profundiſsime ſtertunt, nō euigilantes ad cuſtodiam agnorum & ouium veri ſummiq; paſtoris, ac perperam intelligentes textum cap. Epiſcopi. 26. q. 5. etiā inquiſitoribus hæreticæ prauitatis chriſtianæ doctrinæ, & proinde fidei zelatoribus, ſeſe opponunt: tot Dei blaſphemias, tot turpiſsimos actus, tot horrenda facinora, tot crudelia & ſæua maleficia, phantaſmata & illuſiones aſtruētes. Cupiens vero & omnibus præcordijs affectans, ne ſerpat eiuſmodi

tam rudis ignorantia, huius rei ſecreta, quantum Spiritus ſanctus vires ſubminiſtrarit & dederit, reſerare ſtatui: idq; tribus voluminibus efficiam. Horũ vnus de principijs & cauſis erit, cum mirandorũ, tum etiã nefandorũ operũ ſtrigimagarum, ac dæmonum ſpecialiter: In genere vero omniũ eorum hominũ, qui malis item & noxijs artibus auxilio malorũ dæmonũ vacant & innituntur, cuiuſmodi ſunt nigromantici omnes, incantatores, ſortilegi, & omnino qui diaboli vel conſilio, vel auxilio, aut vere nocent, aut falſo ſuffragãtur. In quo ex veræ philoſophiæ abditiſsimis arcanis omnium eiuſmodi mirandorũ quæ cernimus, necnõ ex chriſtianæ pietatis philoſophis, & diuo Thoma in primis, eorũ omniũ quæ oculis quidem cernimus, mente vero ſomnia dicimus, rationes & cauſas reddere ſtatui. Secundus vero liber, de ipſis mirandis erit, & de ſecta ipſa ſtrigimagarum, necnon de peſsimis eius effectibus: item & de remedijs opportunis. Tertius autem de eo modo, quo explodatur genus hoc peruerſiſsimũ cum virorum, tum mulierũ præcipue, quod diabolus pro exploſa idolatria mũdo inferre curauit: quod equidẽ humani generis inimicũ diabolũ colit, veneratur, adorat; non iam in ſculptilibus, aut certe ignoranter, tanquam ſpiritũ bonum vt olim: cæterum potius ſcienter, & in corpore ab ipſo ſatana ex aere & craſſo terræ vapore compaginato, in quo vanorũ hominũ ſenſibus ſeſe ingerat adorandum. Et quamquã de eiuſmodi nõnulli ſcripſere ex ordine diui patris Dominici, veluti Ioannes Nider pene nobis contemporaneus, in Præceptorio & Form. ſuo, necnõ Directorium inquiſitorum: item & poſtremo uir magnus Henricus Inſtitoris ac ſocius, quorum etiam opus, quod Maleficarũ Malleus inſcribitur, vniuerſitate Colonienſi probatur, & nonnulli alij, quos opportunius deducemus in medium. His tamen non obſtantibus, præſentẽ noſtrũ laborem nedum opportunum, verumetiam neceſſarium duximus: ſiue quod nonnulla, & quidem fundamẽta præcipua, vt ea omnia quæ toto libro primo deducemus, intacta reliquerint: ſiue q̃ alia breuius, quam res ipſa poſtularat, nonnulla etiam prolixe nimiũ tetigere: ſiue quod docendi modum non ſeruarint: quæ res tædium maximum lectori afferat oportet. Igitur Deo Optimo Maximo, Chriſtoq; domino, ac itidem vero Deo his verſiculis inuocato. Da, Pater, auguſtã cæli conſcendere ſedem: Da facilem curſum, atque audacibus annue cœptis: rem aggredior.

Qui ſint dæmones, quæ ſtrigimagæ, & quæ miranda, quorum principia exquiruntur. C A P. I I.

VT vero quiſque ſtatim norit, quid quærimus, quidue molimur, & quorum exquirimus abditiſsima principia, vt dæmones omittamus

tamus omniũ malorum eiuſmodi ex animo vel occaſione principia: qui aliud ſunt nihil quam ſubſtantiæ immortales intellectuales, natura bonæ, voluntate malæ; de quibus infra multa ſumus elocuturi, reliqua paucis punctis explicanda ſunt.

Primum. Hoc genus virorum, aut certe verius feminarum, quibus dæmon malus quaſi inſtrumentis in perniciem populorum vtitur & abutitur, et ſi multa ſimplicia nomina obtinuerit, nullum tamen eiuſmodi nomen omnem eorũ malitiam ſonat & complectitur. Nam plerumque Italico ſermone, maſchare vocantur, ideſt laruæ, aut laruatæ perſonæ: ſcilicet quod laruatorum inſtar plerumq; incedant, dæmonum virtute incognitæ & inuiſæ, ac itidem noceant. Nonnunquam vero ſtrigæ per metaphoram, ſcilicet quod vel nocte præcipue in maleficijs verſentur. Eſt enim Strix auis nocturna a ſtridendo dicta, qđ ſcilicet clamando ſtridat: de qua Lucan. lib. 6. Quod trepidus bubo, quod ſtrix nocturna queruntur: quæ & a puerorum corpuſculis ſanguinem ebibit. Vſitatius vero dicuntur lamiæ, non a voluptuoſa vita, quam cum diabolo incubo, aut etiam ſuccubo ducunt, ſed a maleficiorum crudelitate. Eſt enim lamia beſtia monſtruoſa, apud gloſſ. Iſa. 54. cuius pedes equini, cætera vero membra humanam effingunt ſpeciem & figuram. Vnde ſecundum Gregor. 34. Mora. habet humanam ſpeciem, corpus vero beſtiale? Eſt vero adeo crudelis, vt proprios filios dilaniet: vnde & lamia quaſi lania dicta eſt. Sed hæc nomina cum ſimplicia ſint, naturam totã eiuſmodi hominum exprimũt minime: cum inſuper ex toto genere ſint infideles (apoſtatant enim a fide) ſint voluptuoſi, ſint malefici, adeo vt etiam in propria pignora ſæuiant, & ſua exerceant facinora: quamquam ad hæc plerumque ab eo cui ſe dedere diabolo, etiam inuiti coguntur. Verum quia voluptuoſi nocte vel præcipue voluptuoſi eſſe noſcũtur; malefici vero & nocte pariter & die maleficijs incumbunt, rectius a nocturna aue & maleficijs ſtrigimagæ dicantur, & genere quidem femineo, quod ſcilicet abundantius ſexu femineo conſtent.

Punctum ſecundum. Primus harum effectus, cuius nobis effectiua cauſa veſtiganda eſt, Apoſtatatio eſt a chriſtiana fide, cui ſicut & baptiſmo abrenunciant, vt patebit, adeo vt conculcent crucem; diabolum vero adorent, ei ſe penitus dedicantes. Qui equidem effectus non eſt mirabilis, ſi libertatem humanæ voluntatis contemplari libuerit: quippe quæ libere in omnia feratur. Eſt vero mirabilis, ſi humanum contemplemur ingenium, quonam ſcilicet modo poſsit id dijudicare homini conducens ac bonum, vt relicto Deo bonitatis fonte, & parente generis noſtri, ſponte ac ſcienter ſe diabolo tradant, omnium (vt ita dixerim) peccatorum ſuggeſtori, ac pro-

inde authori, atque exequendo punitori, necnon humani generis inimico præcipuo, non aliter quam ſi puer, parentum ſinum effugiens, aut leoni, aut ſerpenti ſeſe agglutinet deuorandus: vnde etiam huius cauſa conſideranda erit. Ne vero eiuſmodi effectus alicui incredibilis videatur, ex his quæ dicemus, nullus id poteſt niſi proteruiendo negare. Nam vt proceſſus iuridice inſtitutos (qui numerum ſui multitudine non habent) omiſſos faciamus, maxime vero eos qui per magiſtrum Henricum Inſtitoris & ſociũ inquiſitores in partibus Germaniæ editos, nunc Romæ apud iudices partim, & apud inquiſitorem Cumanum partim, ſunt proceſſus ad 30. vſq; numero omnes in agro Cumano in terra Muſi editi: ex quibus cum infinitis alijs videre licet, nullum ad voluptuoſa flagitia, quæ in ludo diabolico explentur, admitti, niſi penitus auertatur a Deo, & ad diabolum conuertatur. Omnes enim his proceſsibus affecti, quorum pars eſt per abiurationem ad pænitentiam admiſſa; pars vero ignibus exploſa, fidem negarunt, crucem calcarunt, diabolum adorarunt, aut homine, aut diabolo inſtigante. Cum enim ad hanc ſectam cum viri, tum mulieres inducuntur: & id aut ab homine, quod crebrius eſt; aut a diabolo, quod maxime tempore tribulationũ accidere dixerim, vtrouiſmodo fiat, dictus ordo ſeruatur. Quinetiam ſunt aliqui modi profitendi in hac ſecta & diabolica religione, vt ex innumeris huius ſectę hominum confeſsionibus conſtat. Vnde vt recitant, & experti ſunt authores dicti Mallei, duplicem obſeruant profitendi modum ad inſtar religionum Chriſti: vnum ſcilicet ſollemnem, alium priuatum. Et priuatus quidem fit in omni loco & tempore diuerſis medijs. Interdum enim aduerſa fortuna triſtibus, dæmon triſtem alloquitur, aut per ſeipſum viſibiliter, aut per mediam perſonam: & ſi ſecundum eius conſilia triſtis ſe acturũ ſpondet, omnia profutura ad nutũ pariter ſpondet, & dehinc ad prædicta inducit ordine quodam, a leuioribus ſumpto principio. Nonnunquam etiam huius diabolicæ religionis profeſſores, cũ ex ſua ſollemni profeſsione, vt libro ſecũdo patebit, teneãtur alios prouiribus ad dictam ſectam attrahere, his de quibus fidunt, promittunt gaudia magna cum mulieribus, ſi viri; aut cum viris, ſi ſunt mulieres: & deinde ſi aſſentiũt, inducunt ad prædicta facinora, negationem ſcilicet fidei, conculcationem crucis, cultum diaboli, & eiuſmodi. & ita eſſe infiniti proceſſus aſtruũt. Modus vero ſollemnis profeſsionis hic eſt. Determinato loco & die, diabolicis iſtis religioſis in concionem vocatis, apparens principalis dæmon in aſſumpta effigie, ad ſeruandam ſibi fidelitatem cum temporalium felicitate & vitæ longitudine hortatur; & tunc magiſtra nouitiæ vel nouitij, illam, vel illũ diabolo commendando offert. Qui ſi nouitiam de abneganda fide &

cultu chriſtiano, & extenſa muliere (ſic enim Reginam virginum appellant) & ſacramentis nunquam venerandis voluntariam deprehenderit, protenſa hincinde manu ſtipulantur: & ſtatim ſatanas ſubiungit, hæc ſufficere minime. Nouitia vero quærente, quid ſuperſit ſpondendum, ſubinfert: Homagium oportet exhibere, quod ſcilicet id continet, vt in corpore & in anima ſibi æternaliter attineat, & quoſcumq; alios vtriuſq; ſexus prouiribus ſibi aſſociare curet: adiungens vt certa vnguenta ex oſsibus & membris puerorum, & præcipue eorum qui fonte baptiſmatis renati non ſunt, ſibi conficiat; per quæ, inquit, cunctas tuas voluntates, me aſsiſtente & iuuante, perficies. Hūc modū dicti inquiſitores ſe didiciſſe dicunt in oppido Brixiacho diœceſis Baſilien. plene informati per iuuenculam maleficam quidem, ſed pænitentem, & ſub iureiurando interrogatam: cui rei etiam fidē affert, quod refert vir præclarus & pene noſtris temporibus viuus Io. Nider in ſuo Form. ex relatu inquiſitoris Eduenſis diœc. qđ ſcilicet in Ducatu Lauſañ. quidam malefici proprios natos coxerant, & manducarant, & ꝙ modus diſcendi hanc artem fuit, vt maleficis in concionē vocatis, opere eorum, dæmonem in aſſumpta imagine hominis viderent, cui nouitius neceſſario det fidē de negando chriſtianiſmo, & euchariſtia nunquam adoranda, & calcanda cruce, vbi latēter id poſſet. Ad hæc accedit, quod idem ibidē refert fuiſſe cōmunem famam, referente Petro iudice in Boltigem, tredecim infantes in terra Bernenſiū deuoratos, propter quod iuſtitia publica animaduertebat in tales. Quærenti vero Petro a quadam malefica, quonam modo pueros vorarent, dixit ꝙ inſtante dæmone pueris inſidiantur, maxime non baptizatis, & crucis ſigno non munitis, ne ſcilicet baptizentur, & ſaluentur: quos ad latera parētum vel in cunis occidimus, & de tumulo deinde exceptos in caldario vſq; ad oſſium euulſionem decoquimus, tota carne in potabile quid reſoluta, ex craſsiori parte vnguentum conficimus noſtris artibus & tranſlationibus accōmodum: ex reliquo humore vtrem aut flaſconem replemus, quo qui fuerit potatus, paucis additis, ſtatim ſectæ noſtræ magiſter efficitur. Acceſſerit, qđ refert idē in dicta Bernenſi executione, captum iuuenem cum vxore maleficos, aſſerentem ſi ſpes ſibi fore poſſet ſalutis, omnia ſe reſeraturum. Aſſerentibus vero litteratis qui aderant, id poſſe fieri, modo veraciter pæniteret, & ſuadentibus: ordo, inquit, talis eſt, quo etiam ſeductus ſum. Oportet enim futurum nouitium vel diſcipulum, dominica die ante aquæ benedicendæ conſecrationem cum magiſtris eccleſiam intrare, & coram eis fidem, baptiſma & vniuerſalem eccleſiam abnegare: deinde homagium præſtare magiſterulo, ideſt dæmoni, quem nomine diminutiuo ſignificāt, quando abſens eſt, ne nomē aliud his, qui

non

non plene diſpoſiti ſunt, terrorem incutiat; licet interdũ ſcilicet a bene diſpoſitis ipſe dæmon homagium præſentialiter excipiat: deinde, inquit, bibit de vtre prædicto: quo facto, ſtatim ſentit ſe interius artis noſtræ imagines concipere, & retinere ſuper ſectæ huius ritus præcipuos. In hunc, inquit, modum ſeductus ſum, & vxor mea, quam tamẽ tantæ obſtinationis exiſtimo, quod malit mori & cõburi potius quã fateri: & ita actum eſt, iuuene mira contritione, vt videbatur, extincto. Ecce ergo qualiter primo Deum negant, quam adorent diabolum; & prius diabolum adorant, quam admittantur ad ſecretiora ludorum & maleficiorum. Vnde contra eum qui faſſus eſt ludum diaboli ſe gratia voluptatis intraſſe, eſt ſuſpitio violenta, ꝙ negarit fidem, & diabolum adorarit, cum alias nunquam aliter viſum ſit.

Punctum tertiũ. Secũdus effectus, voluptas eſt incuborũ & ſuccuborũ, ſeu certe cũ incubis & ſuccubis reſpectiue. Qui equidẽ effectus eſt mirabilis, vt homo cum ſpiritu habeat coitum actiuum, aut etiam paſsiuum: & adeo realiter, vt inde naſcatur non homo modo, verũ etiam gigas, vt omnibus Theologis placet. Huius ergo cauſa inueſtiganda eſt in hoc primo libro, ex qua in ſecundo ſoluentur infinitæ quæſtiones. Quod vero ſint huiuſmodi concubitus inter homines & ſpiritus, etiam nullus niſi proteruiendo negare poteſt, cum hoc infiniti proceſſus aſtruant, & ſit ſacris doctoribus ac litteris diuinis conſentaneũ. Dicitur enim per Moſen Gen. 6. Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis. Poſtquam enim ingreſsi ſunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt: iſti ſunt potentes a ſæculo viri famoſi. Quod pertractans Aug. etſi in ordine ad poetarũ fabulas 3. de Ciuit. Dei cap. 1 I. ſub dubio relinquit, dicens: Vtrum potuerit Venus ex concubitu Anchiſæ Aeneam parere, ſub dubio relinquamus; tamen quãtum ad proceſſum ſcripturę, pene inquit in ſcripturis talis quęſtio oritur; qua quęritur, vtrum præuaricatores ſpiritus cum filiabus hominum concubuerint: vnde natis gigantibus, ideſt, nimium grãdibus, & fortibus viris, tunc terra repleta eſt. Sed in ordine ad ſacras ſcripturas libro. 5. cap. 23. quæſtionẽ determinans, ait: Creberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab eis qui experti erant (de quorum fide dubitandum non eſt) ſe audiuiſſe confirmant, ſiluanos & faunos, quos vulgus incubos vocat, improbos extitiſſe mulieribus, ac earum appetiſſe & peregiſſe concubitum: & quoſdã dæmones, quos duſios Galli nuncupant, aſsidue hanc immunditiã & tentare, & efficere, plures taleſque aſſeuerant, vt hoc negare impudentiæ videatur: Hæc ille. Poſtea vero ibi determinat illam quæſtionem Gen. 6. ſuper illis verbis: Videntes filij Dei filias hominum, an ſcilicet cum filiæ hominũ eſſent filiæ Cain, & ſucceſſorum, filij Dei debeãt intelligi per gratiam, ideſt

filij Set: vel per creationem, id eſt angeli mali: & dicit quod non de incubis ſolum intelligitur, vbi videtur velle, quod vtroq; modo poſsit intelligi. vbi dicit gl. Nō eſt incredibile nō ab hominibus, ſed ab angelis, vel quibuſdam dæmonibus, qui mulieribus ſunt improbi, eiuſmodi homines, id eſt gigantes procreatos: de quibus in littera dicitur Gen. 6. Gigantes autē erant ſuper terram. Iſidorus quoque libro. 8. cap. vlt. tractans illud Iſa. 13. Piloſi ibi ſaltabant: huic ſententię teſtimonium adijcit, dicens in hæc verba. Piloſi qui gręce paniſci, latine incubi appellantur, vnde & incubi dicuntur ab incubando, hoc eſt, ſtuprando: ſępe enim improbi exiſtunt etiam mulieribus, & earum peragunt cōcubitum, quos dæmones Galli duſios vocant: quia aſsidue hāc peragunt immunditiam. Quem autem vulgo incubonem vocāt, hunc Romani faunum ficarium dicunt, ad quem Horatius dicit. Faune nympharum fugientium amator: Per meos fines, & aprica rura, Lenis incedas. Tranſeo infinita experimenta, quæ ipſe noui, qualiter plerumq; violant per vim, Deo permittente, caſtas, ſed forte elatas moniales: qualiter noui mulieres ſponte tales amaſios habentes, quę ab hoc morbo curari nolunt. Iſta vero aut declamari, aut ad feminarum aures attingere, peſsimum foret: quod facile ſuis libidinibus explendis dæmones aduocarent.

Punctum quartū. Effectus tertius eſt Delatio velox per multa ſpacia terrarum. Qui equidem mirabilis eſt rudibus, peritis autem non: quippe qui norunt inferiora corpora, quo ad localem motum, angelis etiā ſatanę obedire ad nutū; & qui hominē, ſi debilitas eius & anhelitus pateretur, poſſent tempore imperceptibili ſicut mouere, ita & ferre ab ortu ſolis ad occaſum: de quo ad præſens ſuperſedeo, in hoc eodem volumine ſpeciali capite multa ex arcanis philoſophię dicturus. Ita autē eſſe poſſe, vt dęmon, permittente Deo, hominem ferat, & litteræ ſacræ, & philoſophiæ documenta teſtantur, vt patebit: ita autem aliquando eſſe, & experimenta, & magorum opera, & inquiſitorum infiniti proceſſus atteſtantur: ſed quia de ijs in ſecundo volumine intellectum cap. Epiſcopi. 26. q. 5. daturi, multa dicemus, ad præſens verba ſuccido.

Punctum quintū. Effectus quartus eſt Apparitio, qua diabolus apparet, nedum phantaſiæ modo, verum etiā ipſis ſenſibus corporis, in forma viri, aut mulieris, aut beſtiæ, aut alicuius inſenſibilis: ſicuti teſte Greg. in Dialog. mulieri in ſpecie lactucæ apparuit. Qui equidem effectus mirandus eſt, quoniam ſcilicet pacto aliquod corpus ſic compaginare diabolus poſsit, vt humanum, vel equinum, vel eiuſmodi videatur. Ita vero in facto quandoq; eſſe etiam litteræ ſacræ aſtruunt. Angelus enim ſatanæ, Apoſtolo docente, transfigurat ſe in ange-

in angelum lucis: quem ſcilicet dubium non eſt in uarijs ſpeciebus apparere,tam in ſomno,q̃ etiam in uigilia, aſtruũt & hiſtoriæ, & experimenta numero infinita, & Theologi,ac omnes Poetæ clamant.

Punctum ſextum.Effectus uero quintus,Rerum occultatio eſt præſentium per eam paſsionẽ,quam Theologi Acriſiam, Aug.uero Aoraſiam uocat: quæ cæcitas eſt non ſimpliciter, uerũm ex parte, qua unum uidere uetamur,non autem aliud,ut ſic interdum malefica inuiſibiliter & moueatur, & operetur. Ita autem eſſe experimur interdũ, cum deperditũ quippiam ter, quater, & pluries eodem loco perquirimus,ubi deinde illud inuenimus: teſtantur etiam proceſſus multi, item & experimenta multa,ut latius in libro ſecundo probabitur.

Punctum ſeptimum. Effectus uero ſextus eſt Ludificatio ſenſuum cum interiorum, tum etiam exteriorum, vt fieri plerumq; cernitur in præſtigijs, dum aut in ungue,aut in ſpeculo, ſeu aqua,ſeu certe quocunq; corpore expolito & terſo figuræ uidentur, qua de re terra plena eſt: longe autem magis Iudæorum ſynagoga refertior.

Punctum ultimũ.Effectus ultimus Maleficia ſunt, quæ dixeris miranda profecto,ut per eã liquet,quæ de fri. & male. iura deciderunt: dixerunt uero Doctores in 4. ſentẽtiarũ libro, ubi de matrimonij impedimẽtis pertractatur.Et hæc ſine numero ſunt circa homines,iumẽta & fruges,quas eiuſmodi homines dæmonum cooperatione ſæuiſsimis turbinibus ac grandinibus euertunt. Ad hæc quoque reducuntur etiam corporum beneficia mirandarum ſanationum, quæ incantationibus & carminibus fiunt. Vtrumq; enim & morbus, & ſanitas eiuſmodi authore diabolo, fit: qui interdum ut perdat animas,corpora ſanat,ſicut & inficit: Oppoſitorum enim eadem eſt diſciplina. Prædictorum ergo omnium cauſæ, principia & fundamenta hoc primo uolumine ſcrutanda & reſeranda ſtatuuntur.

Animam humanam eſſe ſpiritum, & non corpus: ſubſiſtentem, & non inhærentem. CAP. III.

PRINCIPIVM ergo prædictorum omnium indagaturi, nõ ex diuinis litteris modo,uerum etiam ex ueræ philoſophiæ principijs, & naturalis noſtri luminis intellectualis uirtute,ab noſtræ animæ natura exordium primum per multa puncta ſumamus.

Punctum primum. Humanam animam,ideſt eam rem,qua primo uiuimus & operamur,intelligendo maxime (animata enim uiua dicimus,reliqua autem vita carere) eſſe corpus vel naturam corpoream, multi falſo exiſtimauerunt. Nam Galenus medicus animã dixit elementorum aut qualitatum elemẽtarium complexionem eſſe, motus

inde,

inde, quod videamus ex diuerſis cõplexionibus in nobis educi varios effectus, quos paſsiones dicunt, quę animæ cum humanæ, tum brutali aſcribuntur: ſicut facile iraſcnutur colerici, & malaconici triſtantur. Errauit vero deceptus, ꝙ non diſtinxit paſsiones quonam pacto, & complexioni, & animæ attribuuntur: quippe cõplexioni attribuuntur quaſi diſponenti, & quantum ad illud duntaxat quod in paſsione eſt materiale: vt in ira eſt accenſio, & motus ſanguinis circa vitæ principium cor; animæ vero non equidem ſicut diſponenti, ſed ſicut principio principaliter efficienti, & quantum ad id quod in paſsione formale eſt, vt in ira eſt vindictę concupiſcentia. Contra Galenum ergo ſic arguo. Primo. Si enim anima cõplexio eſt elementorũ, aut qualitatũ elementariũ; aut ergo complexio eſt materialiter, ideſt elemẽta complexa: aut formaliter, ideſt ipſa habitudo ſiue ordo, ſiue relatio elementorum complexorum. Et profecto primũ falſum eſt, alioquin anima eſſet ſimul terra, aqua, aer, & ignis, aut horum qualitates: & cõſequenter erit quædã quattuor diſtincta, quod ſtatim impoſsibile dixeris: vel vnum mixtum corpus ex quattuor, quod pene ſtatim improbabitur: vel vna qualitas mixta ex quattuor, & conſequenter nõ erit ſubſtantia, nec homo vel pars hominis, neq; homini ſpeciem conferret. Similiter autem & ſecundum, alioquin anima ſicut & relatio, nullius eſſet operationis principium, imo nec ſubſiſtẽtia, nec ens abſolutum aliquod, vel etiam reale, ſi id tantum eſſet quod formaliter eſt relatio. Non eſt ergo elementorũ complexio anima. Secundo. Complexio iſta qualitatibus elementaribus inferior ſit oportet, quippe quæ ab eis cauſatur. Anima vero nedum humana verumetiam brutorum atq; plantarum, qualitatibus elementorum præſtãtior & ſuperior ſit neceſſe eſt: quippe animæ vegetabilis operatio, & longe plus cognitio animæ ſenſitiuæ, elementares qualitates excedit, cũ talium qualitatum operatio ab extrinſeco ſit: nõ enim ignis ſeipſum calefacit, & ſic in cæteris. Omnis vero operatio animæ ab intrinſeco eſt, vt digerere, egerere, & eiuſmodi: viua enim dicimus quæ ſeipſa mouẽt. Non eſt igitur anima complexio, alioquin idem reſpectu eiuſdem, & ſuperius, & inferius foret. Tertio. Corpus animalis locali motu a complexione non mouetur; moueretur enim motu prædominantis elementi: quippe fortius ſuperuincit, & cõſequenter ſemper deorſum ferretur. Anima autem animale corpus mouet, & in omnẽ partẽ mouet. Non eſt ergo anima complexio. Quarto. Nam quod complexionem corporis regit, frenat, & vincit, complexio nõ ſit oportet, vt planum eſt: Anima vero humana (quicquid ſit de brutali) humanum corpus regit, frenat corporeas paſsiones, & vincit, quæ corporis ſequuntur complexionem; interdum enim ad iras & concupiſcentias

proniores agente anima minus iraſcuntur, minus etiam concupiſcũt, vt in continentibus patet. Non eſt ergo anima ipſa cõplexio, aut corporum, aut corporearum qualitatum. Prædictæ vero opinioni Galeni, ſimilis eſt opinio eorum qui animam harmoniam dixere, quippe qui nõ ſonorum, ſed contrariorum harmoniã intendebant, ex quibus animata corpora componi videbantur. et hæc quidem ſententia ab Ariſt. in libro de Anima Empedocli, a Greg. vero Niſſeno Dinarcho aſcribitur. impugnatur vero vt præcedens, & vlterius etiã rationibus proprijs. Primo. Omne enim corpus mixtũ harmoniã habeat oportet, & complexionẽ; nec harmonia corpus aut mouere, aut regere poteſt, vel frenare paſsiones ſicut neque complexio: intenditur etiam & remittitur ſicut & complexio. Ex quibus omnibus liquet animã non eſſe harmoniã ſicut neque complexionẽ. Secundo. Harmoniæ ratio magis corporum qualitatibus quam animæ congruit: nam ſanitas harmonia quædam humorum eſt, fortitudo neruorum & oſsium, pulchritudo vero membrorum atq; colorum: quorum autem harmonia ſit, ſenſus vel intellectus aſsignari non poteſt, nec cæterorum quæ ad animam ſpectant. Non eſt igitur anima armonia. Tertio. Nam harmoniam duplicem eſſe conſtat, ipſam ſcilicet compoſitionem, & ipſius compoſitionis rationem, ſeu proportionem, & modum: Anima vero compoſitio non ſit oportet, quippe quamlibet animæ partem eſſe compoſitionem aliquarum partium corporis oporteret, quod aſsignare non contingit: ſimiliter autem compoſitionis ratio eſſe non poteſt; quia cum in partibus corporis diuerſis diuerſa ſit eiuſmodi compoſitionis ratio, ſingulę partes corporis ſingulas animas neceſſario haberent, vt os, caro, & neruus, quæ in diuerſa proportione conſtituta ſunt. Hoc autem falſum conſtat, quippe homo non eſſet aliqua vna ſpecies. Nõ eſt igitur harmonia anima. Rurſus alij longe grauius errantes, animam corpus eſſe aſtruxerunt, vt antiqui naturales philoſophi, qui nihil pręter corpora eſſe crediderunt, vt infra patebit: quorum opiniones etſi variæ fuerunt, communi tamen concordia ſic refelluntur. Primo. Anima eſt in ijs inferioribus principium vitæ, nõ quodcunq;: ſic enim & oculus, & omne inſtrumentũ animę eſſet anima; quippe quod eſſet principium vitæ, ideſt vitalis operationis: ſed animam principium vitæ dicimus primum, ideſt quo primo viuimus, quaſi principio omnium principiorum vitæ. Et ſi vero aliquod corpus principium vitæ eſſe poteſt, veluti cor in animali eſt vitæ principium: nullum tamen corpus poteſt eſſe vitæ principium primum: quippe eſſe viuens, aut vitæ principium, corpori non congruit ea ratione qua corpus eſt, alioquin omne corpus aut viuens, aut vitæ principiũ eſſet: vnde id ei cõgruit ex eo quod eſt tale corpus: quod aũt eſt actu tale, ex

le, ex aliquo ei principio cõgruat oportet, quod actus eius eſt: ſicut calidum calore, & homo humanitate homo, & animatum corpus anima animatum eſt. Non ergo corpus anima eſt, conſequenter autem nec anima corpus. Secundo. Viuentia cũ res ſint naturales, ex materiarum forma compoſita ſint oportet: Ex corpore autẽ & anima, quæ actu viuens facit, componuntur. Igitur animam & corpus formam & materiam eſſe oportet, vt alterum forma, alterum materia ſit. Corpus autẽ forma eſſe nequit; quippe quod in altero ſicut in materia & ſubiecto non eſt. Anima igitur forma erit, ſi alterum eorum forma eſt. Non ergo anima eſt corpus: quia nullum corpus forma eſt. Tertio. Duo corpora in loco vno eodem tempore eſſe impoſsibile eſt: Anima vero ibi eſt vbi & corpus quod anima vegetatur: non enim ſeorſum a corpore anima eſt, aut viuit. Nõ eſt igitur anima corpus. Quarto. Omne diuiſibile, cuiuſmodi omne corpus eſt, continente indiget & vniente partes. Igitur ſi anima corpus eſt, aliquid aliud ſuas partes vniens habeat neceſſe eſt: illudq; vtiq; magis erit anima, imo anima animæ: corpus enim anima recedente diſſolui videmus, & ſi iterum illud continens diuiſibile ſit, ad aliquid & indiuiſibile, & incorporeũ deuenire oportebit: quod vtiq; erit anima, aut in infinitum erit procedere; quod omnino impoſsibile eſſe etiam Philoſophus monſtrauit. 2. Metaphyſic. & 8. Phyſic. Non eſt igitur anima corpus. Quinto. Quemadmodum in ſequentibus oſtendetur, intelligere ullius corporis actus eſſe nequit: eſt uero actus animæ, & conſequẽter anima corpus eſſe nequit. Vnde hæc opinio, quod ſcilicet anima corpus ſit, a diuina ſcriptura, Sapient. 2. ex ſtultorum perſona ponitur, de anima profitentium, atq; dicentium: Fumus & flatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintillæ ad mouendum cor.

Punctum ſecundum. Principium noſtrę intellectionis, quod hominis animam dicimus, eſſe quoddam nõ incorporeum modo, ut probauimus, uerumetiam & ſubſiſtens, ſicut lapis, aut arbor, uel equus & homo: non autem inhærens alicui, ut albedo uel calor. Primo. Nam hominem per intellectum omnium corporum formas & naturas poſſe cognoſcere manifeſtum eſt. Quod uero aliqua poteſt cognoſcere, nullum eorum in ſua natura habeat oportet, ſicut pupillam omni colore carere, quæ omnes colores percipit neceſſe eſt, & generaliter omnem ſenſum priuari ſuo ſenſibili: ratio uero huius eſt, quippe illud quod potentiæ cognitiuæ naturaliter ineſt, aliorum cognitionem neceſſario præpediret, ſicut lingua infecta colerico, ac perinde amaro humore, dulce non percipit, ſed amara omnia nunciat. Igitur ſi intellectuale principiũ, ideſt intellectus, uel anima noſtra, in ſe cuiuſuis corporis naturam complecteretur, omnia corpora cognoſcere & diiudi-

care non poſſet. Impoſsibile eſt igitur intellectuale principium habere corpus: imo impoſsibile eſt quod per organum corporale intelligat. Nam & illius organi corporei determinata natura omnium corporum notitiam excluderet: ueluti ſi quis determinatus color ſit non in pupilla modo, uerumetiã in uitreo uaſe, infuſus liquor uidetur coloris eiuſdem. Ipſum igitur intelligibile principium, quod intellectus dicitur, operationem per ſe habeat oportet, cui corpus ullatenus non communicet. Nihil uero per ſe operari poteſt, quod per ſe ſubſiſtere nõ poteſt: operari enim ſolius entis in actu eſt, & ipſum operari ipſum eſſe præſupponit: unde eo modo aliquid operatur, quo exiſtit: propter quod calidũ, & non calorem calefacere dicimus, quippe calidum eſt, quod eſt: calor uero non eſt, ſed calore aliquid tale, puta, calidum eſt. Reliquum eſt igitur ut anima humana, quæ mens uel intellectus dicitur, aliquid & incorporeum, & ſubſiſtens ſit.

Punctum tertium. Brutorum uero animę ſubſiſtentes minime ſunt. Et ſi enim antiqui naturales inter ſenſum & intellectum non diſtinxerunt, utrumque corporeo principio aſcribentes, ex quo ſequebatur utrumque eſſe inhærens: Plato uero inter ea diſtinxit, utrumque aſcribens incorporeo, & immateriali principio, ideſt animæ ſecundum ſeipſam, ex quo iſdem ſequebatur utrumq; eſſe ſubſiſtens, conſequenter autem & brutales animas. Ariſtoteles tamen diſtinxit, aſtruens inter omnes animæ operationes intelligere, cõſequenter autem & uelle, ſolum ſine corporali organo expleri: ſentire uero & conſequentes operationes animæ manifeſte cum tranſmutatione corporea accidere, ſicut pupilla uidendo ſpeciem coloris immutatur, & idem in alijs. Sic igitur manifeſtum ſit, animam ſenſitiuam per ſe ſine corpore non habere eſſe, ſed omnem talem eſſe coniuncti: & conſequẽter anima brutalis, quæ eſt ſenſitiua duntaxat, per ſe non operatur, & conſequenter per ſe non ſubſiſtit: cum unumquodq; ſimiliter ſit, & operetur per ſe uel cũ alio, nec poſsit quod in ſe ſubſiſtit, eſſe ocioſum. Nec prędictis obſtat primo, quod anima hominis eſt aliquid ſubſiſtens, conſequenter autem & anima bruti, cum ſint eiuſdẽ generis: quia licet homo conueniat in genere cum brutis, ſpecie tamen differt: differentia autem ſpeciei attenditur ſecundum differentiam formæ, & conſequẽter differt anima ſeu forma bruti a forma hominis. Nec ſecũdo obſtat, q̃d ſenſus ad ſenſibilia ſic ſe habeat ut intellect9 ad intelligibilia, qui ea ſine corpore intelligit, & conſequenter utrumq; per ſe operatur & ſubſiſtit: quia ſe habent quodammodo ſimiliter inquantum utrumq; eſt in potentia ad ſua obiecta per ſimilitudinem excipienda: & quodammodo diſsimiliter, inquãtum ſenſus a ſenſibili cum corporis immutatione patitur, unde ab excellenti ſenſibili corrumpitur: puta, ui-

ta, uiſus a luce nimia: quod in intellectu non cōtingit, quippe qui poſt maxima intelligibilia magis poteſt uidere minora. Et ſi intelligēdo fatigatur corpus, per accidens eſt: quod ſcilicet uires ſenſitiuæ obiecta illi miniſtrēt, quę ſunt in corpore. Nec obſtat tertio, quod brutorum anima corpus mouet, quod non mouetur a ſeipſo, & cōſequēter operationē habet ſine corpore: quia uis motiua duplex eſt, ſcilicet uis appetitiua imperans motum, cuius operatio in anima ſenſitiua non eſt ſine corpore, imo ira, gaudium, & huiuſmodi paſsiones ſunt cū tranſmutatione corporea: alia uero eſt exequens motum, per quam membra motui habilia redduntur, cuius actus non eſt mouere, ſed moueri: unde mouere patet non eſſe actum ſenſitiuæ animæ ſine corpore.

Animam humanam immortalem eſſe. CAP. IIII.

ET ſi ex ijs iam haberi poteſt, quod anima humana immortalis eſt, quippe quæ ſine corpore poteſt operari, conſequenter autem & eſſe: tamen nonnullis punctis id abundantibus aſtruetur.

Punctum primum. Circa iſtam quæſtionem multipliciter olim opinatum eſt. Quidā enim, ideſt antiqui & naturales Philoſophi, intellectum a ſenſu diſtinctū minime putātes, ſicut ſentire ita & intelligere a corpore pendere putarunt, conſequenter vero animam intellectiuā eſſe corruptibilem, & naturam corporeā ſequi: vnde eorum aliqui eā eſſe ignem putarunt, alij vaporem, alij harmoniam. Quam quidem opinionem Ariſtoteles plenius extinxit, oſtendēs intellectum abſolutum eſſe, & a corpore independens habere: omnia enim corpora intelligit, conſequenter autē & in ſe omnia corpora recipit, ſicut & viſus omnia viſa, cōſequenter autē ab omni corpore nudus ſit oportet, ſicut & omne recipiens a natura recepti nudum eſt: alioquin ſi quam naturam corporeā in ſua natura complecteretur, illa inexiſtens prohiberet aliorum notionem: ſicut ſi pupilla colorata eſſet, omnes colores nequaquam exciperet: imo ſi per medium coloratum videat, ceu per vitrum viride, omnia viridia videbuntur. vnde intellectus dicitur corporis actus minime eſſe: & ab Auicena dicitur non eſſe forma ſubmerſa in materia, & in libro de Cauſis dicitur non eſſe ſuper corpus delatus. Quidam vero vt Pythagoras ac Plato animā rationalē immortalem norunt, de corpore tamen in corpus migrare putarunt: quod quidem Ariſt. in 1. de Anima ea ratione deſtruxit, quod anima corpori & forma & motor ſit: determinatæ autem formæ determinatam materiam ſubeſſe, & determinato motori determinatū organum neceſſe eſt; quemadmodū & ars quælibet proprijs vtitur inſtrumentis: quo actum putes, vt hæc anima non niſi huius corporis

forma

forma & motor eſſe poſsit. Quidam rurſus vt Auerroes, & ſectatores, & quidā alij, rationalē animā ex parte corruptibilē, ſcilicet quantum ad id quod de anima huic corpori propriū eſt: ex parte vero incorruptibilē eſſe dixere, ſcilicet quantū ad id quod de anima omnibus cōmune eſt. Intellectum enim agentem, & quidā etiam intellectum poſsibilem, vnum omniū hominum eſſe putarunt, & hunc ſubſtantiam incorruptibilē & ſeparatam: in nobis autem eſſe tantummodo phantaſmata lumine intellectus agentis luſtrata, quæ poſsibilē intellectū moueant, ac ſic eis, vt putarunt, intelligimus. Sed hęc opinio hodie ita eſt damnata, nedum catholica aſſertione, verum etiam philoſophicis rationibus, vt nos fatigare non ſit opus. Quarta igitur poſitio eſt, quā vera philoſophia & catholica pietas profitetur: aīam ſcilicet rationalem ſubſtantiam eſſe a corpore minime depēdentem, corpus tamen humanum viuificantem ac vegetantem, & ſecundum humanorum corporum multitudinem multiplicatam, vt quiſq; homo habeat propriam nulli alteri communem: quodque corporibus reſolutis ipſę animæ ſeparatæ ſubſiſtant, nulla alia corpora vlterius adeuntes.

Punctum ſecundū. Neceſſe eſt ergo quod catholica fides aſtruit, etiam philoſophice non negare, animam ſcilicet rationalē immortalem fore. Primo. Nam ex duplici ratione aliqua res corrumpi poſſe deprehenditur, aut videlicet per ſe, aut per accidēs. Impoſsibile vero eſt ſubſtantiam, id eſt, rem ſubſiſtentem, per accidens aut generari aut corrumpi, id eſt, altero aut generato aut corrupto: quippe ſic aliquid aut generatur aut corrumpitur, ſicut nanciſcitur aut deperdit ipſum eſſe, quod neceſſario res ſubſiſtens per ſe patitur, non per accidens: vnde peracta generatione ipſa eſt, non quia aliud, ſed quia ipſa eſt, ſimiliter autē & corrumpitur: quę vero non ſubſiſtunt, ſicut nec per ſe ſunt, ſed per aliud cui innituntur (vt qualitates & generaliter accidentia ac formæ materiales, quæ nō ſubſiſtunt) ſic nec per ſe acquirunt vel perdunt eſſe, ſed alio acquirente aut perdente. Anima autem rationalis eſt per ſe ſubſiſtens, quippe quæ eſt per ſe operans; non enim intelligendo vtitur corporeo organo, vt probatum eſt: nō autem anima brutalis eſt per ſe ſubſiſtens, ſicut neque per ſe operans, non enim opus habet ſine corpore, quod ſolum intelligere inter operationes animę ſine corporeo organo ſit: quippe operationes ſenſitiuę & infra manifeſte per corpus exercentur. Igitur humana anima non niſi per ſe corrumpi poteſt: conſequenter autem ſi corruptibilis eſt, per ſe corrumpatur oportet. Hoc autē oſtēditur omnino impoſsibile ne dum de anima hac, verumetiam de omni ſubſiſtente, quod eſt forma tantū. Nam quod alicui ſecundū ſe conuenit, ab eo inſeparabile

ſit oportet, ceu ab homine inſeparabile eſt eſſe animal, & a numero parem eſſe vel imparem: eſſe autem per ſe conuenit formę quæ actus eſt, vnde materia ex hoc acquirit eſſe in actu, quod formam quoque acquirit; & ex hoc eſt corruptioni obnoxia, quod ab ea forma perfectioque recedit: vnde ſubſiſtentem formam eſſe deſinere omnino impoſibile eſt. Eſt igitur humana anima incorruptibilis. Eſto vero humana anima ex materia & forma cōponatur, nec ſit forma tātum, vt nonnulli putarunt, nihilominus tamen incorruptibilem eam eſſe oportet. Non enim eſt alicubi corruptio, niſi etiam ibi contrarietas ſit, quod generationes & corruptiones ex cōtrarijs & in cōtraria ſint: vnde & incorruptibilia ſunt ſol, luna & omnino cæleſtia corpora, qđ materia careant contrarietati obnoxia. In rationali vero anima contrarietas vlla eſſe nequit: quippe quæ ſecundum ſui eſſe modum recepta recipiat: recipit vero abſque contrarietate quæcunque recipit, quinetiā ipſa cōtraria ſine contrarietate recipit: non enim cōtrariorū rationes, quæ de natura contrariorū ſunt, & ibi recipiuntur, ibi ſunt contrariæ, quin potius eadem ſcientia contrariorū eſt. Impoſsibile eſt igitur rationalē animam corruptibilem fore. Secundo. Nulla res ex eo vel in eo corrumpitur, ex quo vel in quo ſua perfectio conſiſtit: quod videlicet contrariæ ſint eæ mutationes a rei perfectione ad rei corruptionem. Animæ autem humanæ perfectio in quadam abſtractione a corpore conſiſtit: perficitur enim anima humana duobus, ſcientia videlicet, atque virtute: & ſcientia quidem eo amplius, quo amplius immaterialia contēplatur: virtute vero in hoc, quod corporis paſsiones non modo non ſequitur, verum aſpernatur, & ſecundū rationis iudicium temperatas moderatur ac frenat. Non ergo in eo cō ſiſtit animæ corruptio, quod a corporea mole ſeparatur. Quod ſi dixeris animæ perfectionem in ſeparatione a corpore conſiſtere quidē, verum ſecundum operationem, non vero ſecundum eſſe: prędictæ rationi ſufficienter nequaquā occurreris. Operatio enim rei, rei ſubſtantiam eſſeq; monſtrat: quippe vnumquodque operatur ſecundū quod eſt ens, & propria operatio rei, propriam rei naturā conſequitur. Conſequenter autem rei alicuius operatio propria perfici nequit, niſi etiam rei ſubſtantia perfecta. Igitur ſi in relinquendo corpus, animæ operatio perficitur, ſubſtantia ſua in ſuo eſſe, ex hoc quod a corpore ſeparatur, minime deficit. Tertio. Perfectibilibus ſuas perfectiones proportionatas eſſe oportet, vt ſcilicet vtrumque vel corruptibile, vel incorruptibile ſit: alioquin vel ſine perfectione perfectibile, vel perfectio ſine perfectibili perpetuo eſſet, & conſequenter quod contra naturam eſt, perpetuum eſſet. Perfectiuū autem hominis proprium ſecundum animam, aliquid incorruptibile ſit oportet: perficitur

tur

tur enim intellectione formaliter, qua a brutis & cæteris, quæ infra ſunt, ſecernitur: effectiue autem re intellecta, quæ cũ vniuerſalis ſit, incorruptibilis etiam ſit oportet. Eſt ergo humana anima incorruptibilis vtique. Quarto. Appetitum naturalem eſſe fruſtra vtique impoſsibile ſit oportet, alioquin Deus aliquid naturale fruſtra indidiſſet: hominẽ autẽ perpetuo eſſe, hominis naturalis appetitus efflagitat: quod inde liquet, quia eſſe ab omnibus appetitur eo modo quo apprehenditur, puta, a brutis hic & nunc: ab homine autẽ etiam perpetuo, & (vt aiunt) ſimpliciter, & id ipſum & in alijs, & in nobis experimur. Conſequitur ergo homo perpetuitatem ſecundum animam, qua eſſe perpetuo & ſecundũ omne tempus apprehendit. Quinto. Quicquid in alio excipitur, iuxta modum excipientis excipitur, vt experientia docet, & libro de Cauſis inſcribitur. Rerum autem naturalium formæ & ſimulacra in paſsibilem noſtrum intellectum excipiuntur, vt ſunt actu intelligibiles, conſequenter autem vniuerſales, & immateriales, & conſequenter quoque etiam incorruptibiles: Intellectus igitur poſsibilis quod incorruptibilis ſit oportet, conſequenter vero & humana anima, cuius intellectus poſsibilis eſt aliquid. Sexto. Eſſe intelligibile ipſo eſſe ſenſibili, permanentius eſſe liquet, & confeſſum eſt. Quod autem in rebus ſenſibilibus eſt primum recipiens, materia ſcilicet prima, & illud ipſum ſecundum ſubſtantiã ſuam incorruptibile ſit oportet: alioquin ſi corrumpatur, eiuſmodi corruptionis aliquod ſubiectum prius ſit oportet, cõſequenter autem primũ ſubiectum non erit primum. Igitur longe magis intellectus poſſibilis, qui intelligibilium formarum primum ſuſceptiuum eſt, quid incorruptibile eſt: conſequenter vero & anima, cuius ipſe aliquid eſt.

Septimo. Faciens nullo contradicente nobilius facto eſt, ſaltem in ipſo fieri, vel ante: quia illud actu eſt, hoc vero in potentia. conſequẽter vero intellectus agens noſter nobilior ſit oportet intelligibilibus, quæ nos intelligimus: cũ apud philoſophos ille actu intelligibilia efficiat. Cum igitur talia intelligibilia actu vt ſic incorruptibilia ſint, multo fortius intellectus agens incorruptibilis eſt: conſequenter autem & anima, cuius lumen is intellectus eſt. Octauo. Nulla forma corrumpitur, niſi aut actione contrarij, vt calor actione frigidi: aut deſtructione ſubiecti, ſicut corrupto oculo, viſus quoque corrumpitur: aut defitione ſuæ cauſæ, quemadmodum ſublata præſentia ſolis, lumen quoque ab aere tollitur. Anima vero humana corrumpi nequit per actionem contrarij, cum per intellectum poſsibilem ipſa ſimul receptiua & cognitiua omnium contrariorũ ſit: ſimiliter autem neque corruptione ſui ſubiecti, non enim ſecundum eſſe dependet a corpore, verum potius ſubſiſtens eſt, vt probatum eſt: ſimiliter quoque neque

per

per deficientiam ſuæ cauſæ, quippe quæ non poteſt habere aliquam cauſam niſi æternam, & Deum, cum in eſſe niſi per creationem non prodeat, vt pote quæ ſubſtantia ſimplex ſubſiſtens ſit. Nullo igitur modo corrumpi poteſt. Nono. Si humana anima corrupto humano corpore corrumpatur, eo etiam debilitato animam per ſe debilitari oportebit: cum enim ſubſtantia ſubito deſinat, quæ ſimul deſinunt, ſimul & in deſitionē diſponuntur. Non debilitatur autem anima corpore debilitato (niſi per accidens, inquantum ſcilicet vis animæ organo corporis indiget, ſicut debilitatur viſus debilitata pupilla) quod inde patet: quia ſi virtuti ipſi debilitas aliqua per ſe accideret, organo reparato non repararetur; quod falſum vtique cernimus, quippe quantumcumque vis viſiua debilitata videatur, reparato organo, reparatur: vnde non debilitatur anima corpore debilitato, nec etiam ſenſitiua, vt etiam per illud Ariſtotelis primo de Anima videre licet: ſcilicet, Si ſenex iuuenis oculum acceperit, videbit vtique vt iuuenis. Ex ijs manifeſtiſsime liquet, actionis debilitatem propter animæ debilitatem non accidere, ſed organi. Cum igitur intellectus ſit virtus animæ non indigens corpore, vt liquet ex dictis, neque per ſe neque per accidens debilis efficitur, aut ſenio, aut quauis corporis debilitate. Et ſi interdum in operatione intellectuali debilitas emergit, aut fatigatio, non ex debilitate dixeris ipſius intellectus; verum potius ipſarum virium, quibus eget mortalium intellectus, imaginationis ſcilicet, memoratiuæ, & cogitatiuæ, ac ſenſuum. Eſt ergo intellectus noſter immortalis, conſequenter autem & animæ intellectiuæ ſubſtantia. Decimo. Deus iuſtus ſit oportet, quippe qui veluti vniuerſorum cauſa omnem perfectionem contineat oportet, conſequenter autem & iuſtitiam, quæ eſt perfectio creaturæ permaxima: Omnibus ergo pro cuiuſque operibus tribuat neceſſe eſt, quod hoc effectus iuſtitiæ ſit. Aut ergo in præſenti ſeculo, aut certe in futuro. & quidem in præſenti nequaquam: experimur enim plerumque peiores accipere meliora, & peiora meliores. ergo in futuro. Ergo poſt corporis depoſitionem viuat anima oportet. Hæc autem tam egregia de animæ immortalitate ſententia Ariſtotelem minime latuit, qui in primo de Anima dicit, quod intellectus (ideſt anima intellectiua) videtur ſubſtantia quædam eſſe, & non corrumpitur. Nec verbum illud de ſubſtantia aliqua ſeparata, quæ ſit intellectus agens, aut etiam poſsibilis, poteſt intelligi: quod ex ipſis verbis Ariſt. in xj. Metaphy. poteſt intelligi, qui aduerſus Platonem dicit, quod cauſæ mouentes præexiſtunt, ſcilicet ipſis effectibus: cauſæ vero formales ſunt ſimul cum ijs, quorum ſunt cauſæ: quando enim ſanatur homo, tunc ſanitas eſt, & non prius, contra hoc, quod Plato poſuit formas rerum præexiſtere rebus. Et

ijs dictis, ſubdit. Si autem & poſterius aliquid manet, perſcrutandum eſt: nam in quibuſdam nihil prohibet, vt ſi anima tale, nō omnis, ſed intellectus. Ex quibus liquet primo, quod cum de formis loquatur, vult intellectum, qui eſt forma hominis, poſt materiā, ideſt poſt corpus, poſſe remanere. Patet. ſecūdo, quod ille intellectus de quo loquitur in primo de Anima, ſubſtantia ſeparata non ſit. Pateat etiam tertio, quod licet Ariſt. ſenſerit animam humanam eſſe formam, non tamen ſenſerit eam non ſubſiſtere, & conſequenter corruptibilem: quod tamen Gregorius Niſſ. illi impoſuit: nam a generalitate aliarum formarum, animā intellectiuam excludit, dicens eam poſt corpus manere, & ſubſtantiam quandā eſſe.

Punctū vltimū. Brutorū animæ nequaq̄ immortales putandæ ſunt.

Primo. Si enī immortaliter viueret brutalis aīa, ſeu certe poſt corporis depoſitionē, ſine corpore quoq; operari poſſet, quippe operari viuere præſupponat oportet. Nulla autē eiuſmodi animarū operatio ſine corpore eſſe poteſt: neq; enī aliqua ſenſus operatio ſine corpore eſt, nec ſuperior aliqua in huiuſmodi animabus poteſt inueniri ſenſuali præclarior: neq; enim intelligunt, aut ratiocinantur; quod inde liquet, quia omnia eiuſdē ſpeciei vno modo, quaſi a natura mota operantur, & non ex arte: omnis enim hirundo ſimiliter nidificat, & omnis aranea ſimiliter telam orditur, & perficit. Pereunte ergo corpore, pereat brutalis anima oportet. Secūdo Quęcūq; forma a materia ſeparata eſt, intellectiua in actu ſit neceſſe eſt: primo q̄d intellectus agens ea ratione facit ſpecies intelligibiles actu, qua has a materia abſtrahit, cōſequenter autē ſi manet poſt materiā, ideſt corpus, brutalis anima erit forma intelligibilis in actu, ſiuę actu intellecta: quippe quę erit forma a materia ſeparata, & cōſequenter etiā erit intellectiua, quippe in ſeparatis a materia idem eſt intellectus & intellectū primū: ſecūdo, quia ſicut ſe habet forma ad eleuari ſuper materiā, ita & ad eſſe cognitiuā ſe habet, vt experientia docet in gradibus entium, quę cognoſcunt: conſequenter vero quod in ſupremo gradu eſt eleuationis a materia, vt quia eſt abſtractū realiter ab ea, in ſupremo gradu cognitionis ſit oportet, ideſt in gradu eorū quę intelligunt, cōſequenter vero omnis forma immaterialis intellectiua eſt: ſed brutalis anima intellectiua nō eſt, alioquin bruta intelligerent, quod eſt inſanire. Ergo a materia ſeparabilis nō eſt. Tertio. In omni re, quę ad perfectionē quamuis attingere poteſt, eiuſce perfectionis appetitus naturalis inuenitur: bonum enim eſt q̄d omnia appetunt, ſingula autē propriū. In brutis autē perpetuitatis eſſendi appetitus naturalis inuenitur nullus, niſi vt ꝑpetuētur ſecundū ſpeciē, inquantū in eis inuenitur appetitus generationis, qua ſpecies perpetuo ſit, quod etiā & plātis, & rebus inanimatis com-

munc

mune eſt:non autem quantũ ad propriũ appetitũ animalis, inquantũ animal eſt, qui eſt appetitus cõſequens appetentis apprehenſionem; Quippe cũ anima ſenſitiua nõ niſi hic & nũc apprehẽdat,eſſe perpetuũ apprehẽdere nõ poteſt, & cõſequẽter neq; illud appetitu animali appetere. Non eſt igitur anima brutalis capax ipſius eſſe perpetui & ſempiterni.

Animam humanam immortalem eſſe, de mente Ariſtotelis. CAP. V.

ET ſi mei non eſt inſtituti, quid de immortalitate noſtri animi ſenſerit philoſophorũ ſapientiſsimus Ariſtoteles afferre, quippe qui non humana authoritate probare cupio quod ſentio: incidẽter tamẽ de ſentẽtia & opinione Ariſt. in re hac cogor rationẽ habere, quo me ipſum ab ijs quæ mihi falſo & leuiter (ideſt me nõ audito) verbo aut ſcripto Petrus Pomponatius in Apologetico ſuo impoſuit, expurgẽ: quod ſcilicet viſo ſuo libro, quem de immortalitate (imo de mortalitate) animæ cudit, ſubriſerim & probarim. Hæc enim falſo & leuiter dicuntur: quin potius eo viſo, ingemui ac dolui, quod ita catholica fides in paruulorum mentibus per chriſtianos elidatur, & eneruetur, & erroribus innumeris ſit occaſio data, quod iam experientia docet: & ſi meum fuiſſet, in librum per ignes, Venetorũ exemplo, animaduertiſſem. Illuſtriſsimos autem dominos Venetos potius laudaui, & miratus ſum, quod nulla habita ratione amicitię ad Perretum Venetijs id effecerunt, quod vbique faciundũ erat, tantũ ſcilicet ſcelus flammis vltricibus expiaſſe. Quamquã vero copioſiſsime, luculẽter & eruditiſsime, dilectus & filius, & diſcipulus Bartho. Piſſanus ordi. Prędi. eiuſmodi opinionem confutarit, adducam tamen & ego quæ quondã in Commẽtarijs primi voluminis noſtri cõflati contra eiuſmodi opinionem, antequam ſcriberet Perretus, cõpendioſe edideram, & ſi nec in hãc diem propalata ſint. Quantum ad hoc quattuor ex ordine facturus ſum. Primo enim tangam breuiter opiniones: ſecundo adducã quæ dubitationẽ ingerunt: tertio concluſiones pauculas ſtatuã: deniq; vero aduerſantium rationibus reſpondebo. Quantum vero ad primum attinet, tres de re hac opiniones relegi. Primam quidem eorum qui aſtruxerunt, nõ eſſe euidens quid de hoc ſenſerit Ariſtoteles, quorum nonnulli aſtruxere principia eiuſdem illud magis innuere, quod mortalis ſit anima, vt Herueus & ſequaces quol. primo. q. xj. Alij vero econtra, illud magis innuere, quod immortalis ſit, vt Scotus & Scotiſtæ in 4. diſt. 43. Opinio vero ſecunda eorum eſt, qui ſenſerũt, Ariſtotelem expreſſe ſenſiſſe eam fore mortalem: quorum primus, quãtum legerim, inter catholicos tractatores Greg. Niſſ. fuit, qui tamẽ de-

ceptioni ſubiacuit, vt capitulo priore liquet: & idem videtur ſenſiſſe Alexander Aphrodiſeus ſectator Ariſt. qui intellectum poſsibilem corruptibilem putauit, vt recitat diuus Thomas, qui eam opinionem iamdiu euerterat, & ſi eam nunc nonnulli reuocare moliuntur philoſophi, cum laici, tum etiam religioſi, Albertum Magnum, diuum Thomam, & alios præclaros cum humanæ, tum diuinæ ſapientiæ ſtudioſiſsimos tractatores, aut ignaros, aut ſimulatores ſtatuentes: dum Ariſt. aut non intellexerunt, aut ex chriſtiana pietate aliter expoſuere quam pro veritate exponendũ ſenſiſſent. Tertia vero opinio eorum eſt, qui dixere, nec primam, nec ſecundam opinionem ſtare poſſe cum verbis Ariſtotelis, ſed & per illa, & per rationes ex illis deductas euerti: in qua opinione non Albertus modo, & diuus Tho. verum communis theologorũ ſchola eſt, in qua & ego, qui nihil ſum, perſiſto. Nec me ad diuum Thomam affectio portat, niſi quatenus ita ſentio: quippe ſicut Deus, ita & Sancti eius non indigent noſtro mendacio, vt pro ijs dolos loquamur: ſed neque in ijs me aliqua portat elatio, ſed dolor magnus, quo vror ex ſcandalo puſillorum, & deſiderium ingens firmandi infirmos in fide, quibus ad firmiter credendum adiutorio maximo eſt philoſophorũ, Ariſtotelis vero in primis, teſtimoniũ: quemadmodum econtra titubant quidam imbecilles, ſi ea quæ fidei ſunt, in dubiũ verti apud viros præclaros forte audiuerint. & hæc de primo.

Quantum vero attinet ad ſecundum, Ariſtotelis textus tres, & cõtextum vnicum citabo, quibus ſecundi opinãtes innitũtur. Et primus quidẽ in proœmio eſt primi de Anima, vbi tex. co. 12. & 13. ſic in forma loquitur. Dubitationem autem habent & paſsiones animæ, vtrum ſint omnes communis & habentis, an aliqua etiam animæ propria ipſius. Hoc enim accipere quidem neceſſarium eſt, non autem leue. Videtur autem plurimorum quidem nullum ſine corpore pati, neque facere, vt iraſci, confidere, deſiderare, & omnino ſentire: maxime autẽ aſsimilatur proprio intelligere. Si autem & hoc phantaſia quædam, aut non ſine phantaſia, non cõtinget vtique neque hoc ſine corpore. Si quidem igitur eſt aliquid animæ operum aut paſsionum proprium, continget vtique ipſam ſeparari: ſi vero nullum eſt proprium ipſius, non vtique ſeparabilis. Hæc Ariſtoteles, qui ijs quidem verbis ſane intellectis ad probandam, aut etiam improbandam animi noſtri immortalitatem, fundamenta iecit. Vbi etiam illud in primis aduertendum eſt, quod tres cõditionales ediderit. Prima. Si intelligere eſt phantaſia quædam, aut non ſine phantaſia, nõ erit hoc ſine corpore. Secunda. Si eſt aliquid animæ operum aut paſsionum propriũ, continget vtique ipſam ſeparari. Tertia. Si vero nullum eſt ipſius proprium (ſcilicet opus, vel paſsio) non vtique ſeparabilis, ſupple, eſt.

Aduer-

Aduertendum ſecundo eſt, quoſdam & Scotiſtas, & alios dum clariſsimę veritati Thomæ obuiare conantur, in fauorem infidelitatis loqui, & dicere, quod tripliciter operatio quæuis dicitur animæ propria, aut communis animæ & corpori, ſcilicet organice, obiectiue, & partialiter. Et organice quidem communem dicunt eam, quæ elicitur quidem a corpore, non tamen toto, verum ab aliqua parte corporis perfecta per aliquam animæ partem poteſtatiuam, eo modo quo ab oculo elicitur viſio, in quo potentiam viſiuam reſidere liquet. Deinde vero, vt aiunt, dicitur ſecũdo operatio communis obiectiue, illa videlicet, cuius elicitiuum principium eſt anima ſola quidem; verum abſque obiecto corporeo exerceri nequit, vti eſt noſtra intellectio in ſtatu viæ: quæ phantaſmata neceſſario, non quaſi organa, ſed quaſi obiecta exquirit. Tandem vero cõmunis dicitur operatio partialiter, negatiue tamen, vt ſi qua a toto compoſito primo producitur: ita videlicet quod anima nulli certe parti corporis eſſet ratio elicitiua aut productiua eiuſmodi operationis, vt accidebat in cõmuni primo modo: nec ipſa etiam anima ſe ſola eam eliceret, vt dicebatur de communi modo ſecundo, ſed eſſet ratio operandi toti compoſito primo: ſicut ſi dicamus, animam ſe volutantis aut ruẽtis ab alto, eſſe tali corpori rationem quod moueatur ad ima. Similiter quoque, ſecundum iſtos, per oppoſitum dicitur opus animæ propriũ tripliciter, aut quia non eſt per corpus veluti per organum: aut quia per illud nõn ſit tãquam per obiectum: aut quia non eſt per corpus totum tamquam per partem alicuius compoſiti, quod primo operetur. Tertio quoque aduertendum eſt, quod ipſa prædictorum diuiſio eſt mala, & a diabolo excogitata ad obnubilandum veræ philoſophiæ, & chriſtianæ pietatis doctrinam. Quod equidem ex ijs liquet. Nam tertium in ordine membrum eſto in natura conſtare poſsit, tamen a primo vtique non differt, niſi ea ratione, quod illud quod in membro primo facit pars corporis, hoc in membro tertio corpus totum efficit, non autem corporis pars certa, determinata, ac ſignata. Patet vero in tertio de Anima textu commen. 4. & 5. ab operatione intellectus organum excludi, quia corpus eſt, non autem quia corporis pars, aut corpus totum eſt: quippe ex vtroq; æque ſequitur, quod intellectus aut qualis, aut calidus, aut certe frigidus ſit, ſeu corporis totius ſeu partis alicuius actus ſit: imo hoc magis inferri dixeris, ſi totius corporis, vt a parte organica præſcindit, actus ſit: quod ſcilicet organum iam ſit tali corpore immaterialius, vt pote quod ſpecies rerum ſine materia excipiat. Tertium ergo iſtud membrum, quantum ad præſentem inſtitutionem pertinet, contra primum diſtingui nec debet, nec poteſt. Et præterea cum anima rationalis non operetur niſi per potentias, vt

nunc

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nunc ſuppono: omnis autem potentia animæ, vt inductiue patet, aut habet organum, aut in parte eſt intellectiua: omnes enim potentiæ ſenſitiuæ & vegetatiuæ habent organum corporale apud omnes cum medicos, tum philoſophos: conſequenter autē omnis paſsio vel operatio communis animæ & corpori per partē corporis, ideſt organum ſit oportet, niſi dicatur ipſum tangere eſſe operationem, quæ per totum corpus ſit, ea ratione quod organum tactus per corpus omne dilatetur: tamen patens eſt, quod numquam homo toto corpore tangit, imo corporis partes aliquæ ſunt, in quibus nequaquam exiſtit anima ſecundum rationem tactus, verum ſecundum potentias vegetatiuas dumtaxat, cuiuſmodi ſunt dentes & vngues, ac caro tactus organum protegens. Non eſt ergo illa diuiſio philoſophica, ſed diabolica, ideſt diabolicę malignitati accomoda. Aduertendū eſt quarto, quod Ariſtoteles in prima conditionali, quicquid de reliquis dicatur, non loquitur aſſertiue, aut determinando veritatem: ſed inquiſitiue & diſputatiue potius volens oſtendere difficultatem accipiendi de anima veritatem, ſicut etiam facit in multis, quæ poſt iſta verba dicit: vnde illa verba quæ poſt hac ſequuntur, ſcilicet, intelligere, & amare, & odire non ſunt animæ paſsiones, Temiſt. exponens dicit, quod Ariſt. ibi aſsimilatur magis dubitanti, quam docenti: nondum enim deſtruxerat opinionem dicentium non differre intellectum & ſenſum. Et ita etiam in propoſito, cum necdum eiuſmodi opinionem euertiſſet, dictas conditionales argumentando profert, volens per primam oſtendere, quod de paſsionibus animę accipere notionē difficile ſit, quippe etiam illa quæ videntur maxime propria animæ, vt intelligere, videntur eſſe coniuncti: cum intelligere ſit aut phantaſia quædam, ideſt ſenſus, aut non ſine phantaſia: vnde etiam in hoc S. Tho. introducit Ariſtotelem quaſi argumentantem, concludens in fine, ac dicens: Et in hoc erit difficultas huius quæſtionis: quia ſcilicet omnes paſsiones animæ ſecundum apparentiam videntur eſſe coniuncti. hæc S. Tho. qui etiam dicit, quod per duas ſequentes conditionales oſtēdit neceſſitatem dictæ quæſtionis, ſcilicet, an omnes animæ paſsiones coniuncti ſunt, necne. Quia tamen argumētando Ariſt. aliquo modo verū dicit, non autem omnino, ſed plenam determinationem reſeruat ad librum tertium: ideo diuus Tho. eius determinationē quaſi præueniēs, dicit hoc ex parte verum, & falſum ſimiliter ex parte, Intelligere enim eſt animæ propriū, ideſt ſine corporeo organo, & nō proprium, ideſt ſine obiecto corporeo, adducens Ariſtotelem dicentem, quod phantaſmata ſe habent ad intellectum ſicut colores ad viſum, qui ſcilicet ad viſum ſe habent vt obiecta, non autem vt organa, vel inſtrumenta, vt ſoluendo dicetur. Secundus autem textus eſt in tertio de

Anima

Anima a tex.com.17.vſq; ad tex.com.20.vbi Ariſt. loquēs de intellectu agente, ſic dicit. Quoniam autem ſicut in omni natura eſt aliquid, hoc quidem materia vnicuique generi (hoc autem eſt potentia omnia illa) alterum autem cauſa & factiuum, quod in faciendo omnia, vt ars ad materiam ſuſtinuit, neceſſe eſt in anima has eſſe differentias. Et eſt intellectus hic quidem talis in omnia fieri, ille vero in omnia facere, ſicut habitus quidam, & ſicut lumen: quodam enim modo & lumen facit potentia exiſtentes colores. Et hic intellectus ſeparabilis & impaſsibilis & immixtus, ſubſtātia actu ens: ſemper enim honorabilius eſt agens patiente, & principium materia. Idem autē eſt ſecundum actum ſcientia rei: quæ vero ſecundum potentiam tempore prior, in vno eſt; omnino autem neque tempore: Sed non aliquādo quidem intelligit, aliquando autem non intelligit. Separans autem eſt ſolum in hoc quod vere eſt, & hoc ſolum immortale & perpetuum. Non reminiſcimur autem, quia hoc quidem impaſsibile: paſsiuus vero intellectus corruptibilis, & ſine hoc nihil intelligit anima. hæc Ariſtoteles. Quem equidem textum diuus Thomas diuidit per particulas quinque, iuxta ea quæ ſignauimus, in quarum prima dicit Ariſtotelem probare, quod in anima ſit intellectus agens, quia in omni natura, quæ eſt quandoque in actu, quandoque in potentia, ideſt, quæ operatur quandoque in actu, & quandoque in potentia, principium actiuum & paſsiuum ſit oportet, & conſequenter iſta eſſe oportet in anima: quod, vt idem innuit, intelligere oportet aliter quam in alijs naturis, quæ non agunt, ſed aguntur: in ijs enim agens extrinſecum eſſe poteſt, non in anima: quia uon eſſet arbitrio libera, nec a natura ſufficienter in ſuo gradu inſtituta. In ſecunda vero particula, quæ incipit ibi. Et hic intellectus ſeparabilis; ponuntur quattuor conditiones intellectus agentis, ſcilicet eſſe ſeparabilem, impaſsibilem, immixtum ſcilicet ex corporibus, vel immixtum organo (& in his tribus conuenit cum poſsibili) & in actu ſecundum ſubſtantiā, in quo differt a poſsibili, qui ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt in potentia: quod intellige, quia intellectus agens ſecundū ſuam ſubſtantiam vel eſſentiam eſt actus non ordinatus ad alium actum quo perficiatur; ſecus de poſsibili. Et hoc probat, quia agens agit inquantum eſt actu, vnde eſt nobilius paſſo. In tertia autē, quæ incipit ibi: Idem autem eſt ſecundum actum ſcientia rei, incipit loqui de intellectu in actu, dicens quod eſt idem rei intellectæ, & quod in eo potentia ad ſcientiam eſt prior actu, & quod non quandoque intelligit, & quandoque non, cum ſit in ipſo intelligere, per quod differt a poſsibili, & habituali. In quarta autem, quæ incipit ibi. Separatus autē, loquitur de tota parte intellectiua, quæ ſeparata eſt, ex hoc qđ ſine organo operatur,

quod non poteſt dici ſolum de poſsibili, vel ſolum de agēte, & eſt illud quod dixerat in ſecūdo, quod hoc genus animæ ſeparatur ab alijs ſicut perpetuum a corruptibili. In quinta autem, quæ incipit ibi: Nō reminiſcimur autem, excludit obiectionem, ne ſcilicet quis credat, quod in anima, ſi manet poſt mortem, ſit rerū reminiſcentia eo modo quo nunc: quod falſum eſt, quia pars manens eſt impaſsibilis, ideo in ea non ſunt paſsiones, vt ſunt amor, odium, & reminiſcentia, & huiuſmodi, quæ ex aliqua paſsione corporali cōtingunt: paſsiuus vero intellectus, ideſt, pars animæ, quæ nō eſt ſine dictis paſsionibus, eſt corruptibilis: pertinet enim ad partem ſenſitiuam, quæ dicitur intellectus, & rationalis participatiue.1.Ethi.& ſine hoc intellectu nihil intelligit anima. Hæc eſt ſententia & mens diui Thomę in ſua expoſitione. Circa iſtum autem textum, quidam dicunt multa prolixe, & perplura nihil ad noſtum inſtitutum attinentia: vnde eorum doctrinam obiter recitabo. Sic autem habent. Nam primo multum laborant in declarando quonam modo in particula prima, natura, ſumatur: & tandē inferunt, quod ex ratione Ariſt. non habetur, quod in anima ſit agens & patiens diuerſis potētijs: ſed ſolum quod hę differentiæ ſunt in anima ſicut in omni natura: per quod volunt iſti habere, quod ſecūdum Ariſt. intellectus agens ſit ſubſtantia ſeparata, vt poſsint perpetuitatē, quā Ariſt. aſcripſit intellectui, attribuere ipſi intellectui agenti: conſequenter vero negare a poſsibili, & conſequenter ab anima noſtra. Vellem autem quemadmodum & æquum eſt, iſti ita ſecure ſomniantes, & ſine probatione imponentes Ariſtoteli, quod intellectus agens ſit ſubſtantia ſeparata, reſponderent ad rationes diui Thomæ præceptoris ſui, qui ſecundo contra Genti. cap. 78, alias.77. probat hoc eſſe falſum in hæc verba: Quia vero plures crediderunt intellectum agentem eſſe intelligentiam ſeparatam, fuiſſe de mente Ariſtotelis, oſtendendum ex verbis eius, quod ipſe hoc non ſenſit. Dicit enim primo, quod ſicut in omni natura eſt aliquid quaſi materia in vnoquoque genere, & hoc eſt in potentia ad omnia, quæ ſunt illius generis: & altera cauſa eſt quaſi efficiens, quod facit omnia quæ ſunt illius generis, ſicut ſe habet ars ad materiā; neceſſe eſt & in anima eſſe has differētias, & huiuſmodi quidē, ſcilicet quod in anima eſt ſicut materia intellectus poſsibilis, in quo fiunt omnia intelligibilia: ille vero qui in anima eſt ſicut efficiens cauſa, eſt intellectus, in quo eſt omnia facere, ſcilicet intelligibilia in actu, ideſt intellectus agens, qui eſt ſicut habitus, & non ſicut potētia. Qualiter autē dixerit intellectum agentem habitum, exponit ſubiungens quod eſt ſicut lumen: quodam enim modo lumen facit potentia colores eſſe actu colores, inquantum ſcilicet facit eos viſibiles actu: hoc autē circa

intel-

intelligibilia attribuitur intellectui agenti. Ex his autem manifeſte habetur, quod intellectus agens non ſit ſubſtantia ſeparata, ſed magis aliquid animæ. expreſſe enim dicit, quod intellectus poſsibilis & agẽs ſunt differentiæ animæ, & quod ſunt in anima: neutra ergo earum eſt ſubſtantia ſeparata. Adhuc ratio eius hoc idem oſtendit. In omni materia, in qua inuenitur potentia, & actus, eſt aliquid quaſi materia, quod eſt in potẽtia ad ea quę ſunt illius generis, & aliquid quaſi agẽs, quod reducit potentiam in actum, ſicut in artificialibus eſt ars & materia: ſed anima intellectiua eſt quædam natura, in qua inuenitur potentia & actus, cum quandoque ſit actu intelligens, & quandoque in potentia. eſt igitur in natura animæ intellectiuę aliquid quaſi materia, quod eſt in potentia ad omnia intelligibilia, quod dicitur intellectus poſsibilis; & aliquid quaſi cauſa efficiens, quod facit omnia in actu, & dicitur intellectus agens: vterq; igitur intellectus ſecũdum demonſtrationem Ariſt. eſt in natura animæ, & non aliquod ſeparatũ ſecundũ eſſe a corpore, cuius anima eſt actus. Amplius Ariſt. dicit, quod intellectus agens eſt ſicut habitus, quod eſt lumen: habitus autem non ſignatur vt aliquid per ſe exiſtens, ſed alicuius habentis. non eſt igitur intellectus agens aliqua ſubſtantia ſeparatim per ſe exiſtẽs, ſed eſt aliquid animæ humanæ. Non autem intelligitur littera Ariſt. vt habitus dicatur eſſe effectus intellectus agentis, ſed vt ſit ſenſus: Intellectus agens facit hominem intelligere omnia, quod eſt ſicut habitus. hæc enim eſt diffinitio habitus (vt Commen. Auerrois ibidem dicit) quod habens habitum intelligat per ipſum, quod eſt ſibi proprium ex ſe, & quando voluerit, abſque hoc quod indigeat in eo aliquo extrinſeco: expreſſe enim aſsimilat habitui non ipſum factum, ſed intellectũ quo eſt omnia facere. Nec tamen intelligendũ eſt, quod intellectus agẽs ſit habitus per modum quo habitus eſt in ſecũda ſpecie qualitatis, ſecundum quod quidam dixerunt intellectum agentem eſſe habitum principiorum: quia habitus ille principiorum eſt acceptus a ſenſibilibus (vt probat Ariſt. 2. Poſteriorũ) & ſic oportet quod ſit effectus intellectus agentis, cuius eſt phantaſmata, quę ſunt intellecta in potẽtia, facere intellecta in actu: ſed accipitur habitus ſecundũ quod diuiditur contra priuationem, & potentiam, ſicut omnis forma & actus poteſt dici habitus: & hoc apparet, quia dicit hoc modo intellectũ agẽtẽ eſſe habitũ, ſicut lumen habitus eſt. Deinde ſubiungit, quod hic intellectus, ſcilicet agens, eſt ſeparatus, & immixtus, & impaſsibilis, & ſubſtantia actu eſt: horum autem quatuor, quæ attribuit intellectui agenti, duo ſupra expreſſe de intellectu poſsibili dixerat, ſcilicet quod ſit immixtus, & quod ſit ſeparatus: tertiũ, ſcilicet quod ſit impaſsibilis, ſub diſtinctione dixerat. Oſtendit enim primo, quod non eſt paſsibilis

D ſicut

ſicut ſenſus: Et poſtmodũ oſtendit, quod cõmuniter accipiendo pati, paſsibilis eſt, inquantũ eſt ſcilicet in potẽtia ad intelligibilia. Quartum vero omnino negauerat de intellectu poſsibili, dicẽdo quod erat in potentia ad intelligibilia, & nihil horum erat actu ante intelligere, Sic igitur in duobus primis intellectus poſsibilis conuenit cũ agẽte: in tertio partim cõuenit, & partim differt: in quarto autem omnino differt agens a poſsibili. Has quattuor cõditiones agentis probat per vnã rationem, ſubiungens: Semper enim honorabilius eſt agens patiente, & principiũ, ſcilicet actiuum, materia. ſupra enim dixerat, quod intellectus agens eſt ſicut cauſa efficiẽs, & poſsibilis ſicut materia. Per hoc autem mediũ concluduntur duo prima ſic: agens eſt honorabilius patiente & materia: ſed poſsibilis, qui eſt ſicut patiens & materia, eſt ſeparatus & immixtus, vt ſupra probatum eſt. ergo multo magis agens. Alia vero per hoc medium ſic excluduntur: Agens in hoc eſt honorabilius patiẽte & materia, quod cõparatur ad ipſum ſicut agens & actu ens ad patiens, & ens in potentia: intellectus aũt poſsibilis eſt patiens quodãmodo, & potentia ens: intellectus igitur agens eſt, non patiens, & actu ens. Patet autem quod nec ex his verbis Ariſt. haberi poteſt, quod intellectus agens ſit quædã ſubſtantia ſeparata, ſed quod ſit ſeparatus hoc modo, quo ſupra dixit de poſsibili, ſcilicet, vt non habeat organum. Quod autem dicit, quod eſt ſubſtantia actu ens, non repũgnat ei quod ſubſtantia animæ eſt in potentia (vt ſupra oſtenſum eſt) deinde ſubiungit. Idem autem eſt ſecundum actum ſcientia rei: in quo Comm. dicit, quod differt intellectus agẽs a poſsibili: nam in intellectu agente idem eſt intelligens & intellectum, non autem in poſsibili. Hoc autem manifeſte eſt contra intentionem Ariſt. Nam ſupra eadẽ verba dixerat de intellectu poſsibili, vbi dixit de intellectu poſsibili, quod ipſe intelligibilis eſt ſicut intelligibilia. in his enim quæ ſine materia ſunt, idem eſt intelligens & quod intelligitur: ſcientia nãq; ſpeculatiua, & quod ſpeculatum eſt idem eſt. Manifeſte enim per hoc quod intellectus poſsibilis, prout eſt actu intelligens, idem eſt cum eo quod intelligitur, vult oſtendere, quod intellectus poſsibilis intelligitur ſicut alia intelligibilia: & primum ſupra dixerat, quod intellectus poſsibilis eſt quodammodo intelligibilia, ſed nihil actu eſt antequam intelligat: vbi expreſſe dat intelligere, quod per hoc quod intelligit actu ſit ipſa intelligibilia. Nec eſt mirũ, ſi hoc dicit de intellectus poſsibili: quia hoc etiam ſupra dixerat de ſenſu ac ſenſibili ſecundum actum: ſenſus enim fit actu per ſpeciem ſenſatam in actu, & ſimiliter intellectus poſsibilis fit actu per ſpeciem intelligibilem actu: & hac ratione intellectus in actu dicitur ipſum intelligibile in actu.

Eſt igitur dicendum, quod poſtquam Ariſtoteles determinauit de

intelle-

intellectu poſsibili & agente, hic incipit determinare de intellectu in a[illegible], dicens quod ſcientia in actu eſt idem rei ſcitæ in actu: deinde d[illegible] [illegible]ui vero ſecundum potentiam tempore prior in vno eſt, omnin[illegible] [illegible] neque in tempore: qua quidem diſtinctione inter potenti[illegible] [illegible] actum in pluribus locis vtitur, ſcilicet, quod actus ſecundum naturam eſt prior potentia, tempore vero in vno & eodem: quod mutatur de potentia in actum, eſt prior potentia actu: ſimpliciter vero loquendo, non eſt potentia etiam tempore prior actu, quia potentia non reducitur in actum niſi per actum. Dicit ergo quod intellectus, qui eſt ſecundum potentiam, ſcilicet poſsibilis, prout eſt in potentia, prior eſt tempore quam intellectus in actu: & hoc dico in vno & eodem, non tamen omnino, ideſt vniuerſaliter: quia intellectus poſsibilis reducitur in actum per intellectum agentem, qui eſt in actu, vt dixit, & iterum per aliquem intellectum poſsibilem factum actu. Vnde dicit in 3. Phyſic. quod ante addiſcere, indiget aliquis docente, vt reducatur de potentia in actum. Sic igitur in verbis iſtis oſtendit ordinem intellectus poſsibilis, prout eſt in potentia ad intellectum in actu. Deinde dicit; Sed non aliquando quidem intelligit, & aliquando non intelligit: in quo oſtendit differentiam intellectus in actu, & intellectus poſsibilis. Supra enim dixit de intellectu poſsibili, quod non ſemper intelligit, ſed quandoque non intelligit, quando ſcilicet eſt in potentia ad intelligibilia: quandoq; intelligit, quādo ſcilicet in actu eſt ipſa: intellectus autem per hoc fit actu, quod eſt ipſa intelligibilia, vt iam dixit: vnde non competit ei quandoq; intelligere, & quādoq; nō intelligere. Deinde ſubiungit. Separatū autem hoc ſolum, quod vere eſt: quod non poteſt intelligi de agente; non enim ipſe ſolus eſt ſeparatus, quia iā idē dixerat de intellectu poſsibili; nec poteſt intelligi de poſsibili, quia iam idem dixerat de agente. Relinquitur ergo quod dicatur de eo, quod cōprehendit vtrūq;, ſcilicet de intellectu in actu, de quo loquebatur: quia hoc ſolū in anima noſtra eſt ſeparatum non vtēs organo, quod pertinet ad intellectū in actu, ideſt illa pars animæ, qua intelligimus actu cōprehendens poſsibilē & agentē. Et ideo ſubiūgit; Quod hoc ſolū animæ eſt immortale & perpetuū, quaſi a corpore nō depēdens, cū ſit ſeparatū. Hęc diuus Tho. ibi: ex quib' liquet quam grauiter & ſapiēter probet Ariſt. ita ſenſiſſe; cōſequenter autem quam leuiter ſine probatione ſui diſcipuli ab eius mente cū tāta fidei iactura, & tanto puſillorum ſcandalo recedant. Vnde dictam particulam longe melius diuus Thomas exponit, inferens intellectum agentem eſſe aliquid animæ: aliter non ageret anima, verū potius ageretur.

Dicūt ſecūdo iſti, quod ſicut cū dico, intellectus poſsibilis, duo dico: ly intellectum, & ly poſsibilē: & quatenus eſt intellectus, opus eius eſt

intelligere: quatenus vero eſt poſsibilis, actus eius eſt pati: ita cũ dicis, intellectum agentẽ, vocem tuam percipe: & ſicut quatenus agens eſt, quod operatio eius ſit omnia facere nõ negas: ſic quatenus intellectus eſt, quod operatio eius intelligere ſit, non inficiare. Vnde in hoc capitulo, inquiũt, vtramq; operationẽ ei attribuit Ariſt. primã quaſi tranſeuntem, dicens quod eſt quo eſt omnia facere: ſecundã quaſi immanentem, cum dicit, quod eſt honorabilior patiente, quod eſt immateriale: immaterialitas enim dat eſſe intellectiuum, & cum dicit quod ſcientia ſecundũ actum eſt eadem rei, & cũ dicit quod non quandoq; intelligit &c. Hæc iſti, qui primo quidem omnes contrariũ ſentientes arguunt, quaſi propriã vocem ignorarint, conſequẽter autẽ & diuum Tho. & Capreo. a quibus habent omne quod ſunt. Deinde vero ipſi ſuam vocẽ ignorãt, quippe qui putant omne quod dicitur intellectus, immediate intelligere, omni alio præciſo: quod in anima rationali falſum liquet, quæ intellectus dicitur, vt hoc eodẽ cap. ex 11. Metaphy. liquet: nec tamẽ intelligit niſi per potentiã, id eſt intellectũ potẽtiam, ad cuius actum ordinatur: & ſimiliter intellectus agens, intellectus dicitur, non quia intelligat, ſed quia ad hoc vt intellectus poſsibilis intelligat, ordinatur. Deinde vero ex iſta ſua poſitione habere volũt, & expreſſe fatentur, quod quia prima operatio nequit a ſenſibilibus abſolui, quippe quæ terminatur ad illam et, ad quæ intellect⁹ poſsibilis: ideo ad ſecundam ſe tranſtulit Ariſt. & illam ſeparatã ac perpetuam aſtruxit, & ex ea immortalitatẽ intellectus illius ſtatim intulit. hęc iſti. Dico vero, quod vt Ariſtotelem ad rationalis animæ mortalitatẽ trahãt, intellectum agentem cum ſit animæ potentia, vt patuit, faciũt perceptiuam potentiam: nec mirum, cum illum faciant ſubſtantiam ſeparatã ſecundum Ariſt. contra prædicta: & conſequenter etiam anima nõ intelliget ex ſe & libere, ſed ad intelligendum agitur ab alio: nec habet iudicium liberum pluſquam bruta, quæ a ſenſibilibus ad ſentiendum aguntur: quæ omnia nulli dubium eſt eſſe contra mentem Ariſt. & conſequenter & hæc expoſitio: vnde propter eam cõmunis expoſitio minime prætermittenda, aut poſterganda fuit. Tertio dicunt circa operationem intellectus agentis aduertendum, quod & ſi hæc tria, ſcilicet identitas ſcientiæ cum re ſcita, prioritas potẽtiæ reſpectu actus, & continuitas intellectionis, ſecundum diuerſas expoſitiones, diuerſis attribuantur, a littera tamẽ alienæ ſunt omnes, quippe quæ vel fictum aliquid afferant, vel dicant aliquid puerile. Fingunt enim quę eiuſmodi intellectui agenti vel poſsibili ſecundum ſe, vel ſecundum totã ſpeciem aſcribunt: leuis autem eſt qui hæc attribuit intellectui in actu ſecundo, quia a nullius mente quaſi dubium excludendum eſt de intellectu in actu ſecũdo, quod nõ quandoq; intelligit, quãdoq; vero non intelligit,

intelligit,cum de omni actu operante certum ſit, quod nō quandoq; operatur,quandoq; vero non operatur. Deinde vero ſuā expoſitionē afferunt. Ego autē dico, diuum Thomam, cuius expoſitio hic puerilis pueriliter aſtruitur,ſemper grauiſsimę & modeſtiſsimę,etiam in iuuentute docuiſſe, quippe qui numquā verbum elatū protulit,nec alicuius offenſiuum niſi contra impugnatores,aut religionum,aut pietatis fidei chriſtianæ. Quod vero hic dicitur de intellectu in actu, quod ſemper intelligit,& non quandoq; ſic,quandoq; non, pueriliter dictū non eſt,& ſi forte pueriliter intellectum eſt,quippe euidens quidē eſt, quod operatio continuata nō eſt interrupta, vt quandoq; ſit, quādoq; non ſit: euidens tamen non erat, quod in habitione talis operationis differat intellectus in actu ab intellectu agente, & etiā a poſsibili:quorum gratia de intellectu in actu illud dictum fuit, vt inter eum & alios intellectus differentia doceretur, & vt doctrina de intellectu compleretur: qui cum ſecundum Philoſophos quadruplex in noſtra anima aſtruatur,agens ſcilicet,poſsibilis,habitu,& adeptus, ideſt in actu: ſecundum grauiſsimam expoſitionē diui Tho.de ijs omnibus, & de ſubſtantia animæ,prout ex ea pullulant hæ potentiæ,ibi ab Ariſt.in textu habetur,vbi & expletur ſermo de potentia intellectiua,de qua ab inde in eo libro minime tractatur: verū de actibus animæ, & quibuſdam alijs. At vero expoſitio,quam iſti ſubiungunt de mente Ariſt, ſecundum quam totus hic textus de intellectu agente ab eis exponitur; primo animam a natura ſufficiēter inſtitutam negat, vtpote ex ſe minime habentem vnde libere iudicet & agat. Et ſecundo aſtruere cogitur de mente Ariſt.eſſe fictionē Auerrois de modo intelligendi per vnum omnium intellectum immortalem, ſi nullo nos immortali proprio intelligimus: quod, viſo S.Tho.cōtra Auuerroiſtas, & in contra Gen. in prima parte,nullus niſi proteruiendo diceret. Et tertio Ariſt. facit diminutū, quippe qui apud iſtos de adepto intellectu nihil dixiſſet, nec de ſeparabilitate vel inſeparabilitate animæ ſecundū ſubſtātiam, niſi implicite tantum, ea ſcilicet ratione,qua ſecundum iſtos,intellectum poſsibilem dicit corruptibilē, quod non eſt rationabile: quia cum iſta concluſio, Animam ſcilicet rationalem eſſe mortalē; ſit falſa etiā philoſophice, & cōtrarium ſenſerit præceptor Ariſt. Plato, & præceptor præceptoris Socrates, nō eſt probabile quod Ariſt. cōtra philoſophiā & ſuum præceptorē vnico & dubio verbo, & implicite tantū prolato, eam voluerit aſtruere: nec minus eſt improbabile,quod Ariſt.in cuius doctrina hactenus contra fidem aut veritatem inuentū eſt nihil vel in moralibus,vel in logicis,vel in phyſicis,aut diuinis,præter id quod dubitando,nō vt certū,ſed vt probabile de mūdi æternitate ſenſit;in hac concluſione de animi noſtri immortalitate defecerit,in quā tota natu

ralis

ralis conſideratio videtur ordinari: nec doctrinæ ſui præceptoris, quę in hoc vera erat, fuerit capax. Sed hæc eſt temporis noſtri ſuperba malignitas, qua multi putant ſe inter præclaros philoſophos non cenſendos, niſi contra veram fidem & chriſtianam pietatem aliquid aſtruant: non quaſi verum, ſed quaſi de mente Auerrois, aut certe Ariſtotelis, vel eiuſmodi; adeo vt pene nihil in gymnaſijs de rerũ veritate diſputetur, ſed de mente philoſophorum; maxime Auerrois, cum eneruatione vigoris fidei in mentibus puſillorum: quaſi Auerroes eis ſit menſura veritatis, quod ex magna ruditate procedit, vt ſcilicet qui rationum capaces non ſunt, ſcientiam in humana auctoritate poſsideant, huius viri præcipue, qui veram philoſophiam deprauauit, & multa rudiſsime docuit, vtpote quod vna forma omnes operamur, ſiue quod vno intellectu omnes intelligimus; & quod ſubſtantiæ ſeparatæ a nobis intelligi poſſunt in hac vita, alioquin fruſtra, inquit, eſſent ſi non intelligerentur a nobis: quod equidem contra experientiam dixeris. Probatio vero ſua eſt puerilis: quia ad hoc ordinatæ non ſunt, etiam habent operationem, propter quam principaliter ſunt, & conſequenter ſi a noſtra intellectione paſsiua deficiunt, non ſunt fruſtra: quia ſuum principalem finem aſſequuntur, qui eſt operatio propria, vt dicitur in libro de Cœlo & mundo. Sectatores autem eius conantur hoc honeſte colorare: quia ad hoc ſunt ordinatæ, inquiunt, inquantum entia, & ſi non inquantum ſubſtantiæ tales, Quod adhuc non bene dicitur: Tum quia pari ratione intelligeremus Deum, & cordium ſecreta, & quæ mala in ſeculo fiunt, & omnes ſpecies vermiculorum in terra, & mari; cum omnia iſta, inquantum entia, ſub obiecto noſtri intellectus cadant, & ad id ordinetur vt intelligantur: Tum quia eſto inquantum entia ſint ad hoc ordinata vt intelligantur, dico quod intelliguntur a ſe, & ſi non a nobis; conſequenter autem non ſunt fruſtra: Tum etiam quia iſta gloſſ. ex dictis eius non habetur: Tum etiam quia cum hoc habent alium finem, vt dictum eſt. Econtra vero Doctores ſancti ea quæ philoſophiæ ſunt, longe ſubtilius & copioſius item & clarius, quam philoſophi tradidere, in qua re præcipue diuus Thomas in libro contra Gentiles, teſtis eſt: in quo ad eas concluſiones, ad quas philoſophi rationes paucas & obſcuras adduxere, diuus Thomas multas adducit, & clariores, & meliores, & concluſiones innumeras aſtruit, de quibus philoſophi ne cogitarunt quidem. Verum quia & veritatis, & chriſtianæ pietatis zelus me longius abduxit, & a ſpeculatiuis ad practica, iam ad propoſitum redeamus. Quarto vero prædicti, circa ſeparationem intellectus agentis dicunt, Ariſtotelem iacto illo fundamento in procemio, quod intelligere ſi phantaſia aut non ſine phantaſia eſt, non erit ſine corpore: quia non inuenit intelle-

tellectui poſsibili aliquam operationem ſine phantaſmate, quam tamen intellectui agenti inuenit: quia ſcilicet ſecundum ſubſtantiam ſuam ſcit actu & ſemper, ſtatim intuliſſe illius immortalitatem, & mortalitatem iſtius: vndę & dicit, quod eſt ſeparatus ſicut quod vere eſt, ideſt, ſeparatus eſt in eſſendo, & ſubſtantialiter. quaſi diceret. Intellectus poſsibilis, quem etiam ſupradixerat ſeparatum, eſt ſeparatus ſicut rectum, & habet operationem ſine corpore, ſicut ſphęra tangit rectum in puncto. Et quia Plato ponens animam noſtram habere æternam ſcientiam ſecundum ſe, dicere cogebatur noſtrum addiſcere aut inuenire eſſe, aut reminiſci; ne quis ad dictam poſitionem idem ſequi putarit. huic tacitæ obiectioni reſpondet Ariſtoteles dicens. Non reminiſcimur autem, ideſt, noſtrum ſcire non eſt reminiſci: & cauſa eſt, quia iſte intellectus perpetuus impaſsibilis eſt ea paſsione, qua intellectus patitur ab intelligibili: quia per ſuam ſubſtantiam eſt actu intelligens: paſsiuus vero intellectus, ideſt poſsibilis, qui patitur ab intelligibili, dum fit ſingula ſicut ſenſus, eſt corruptibilis ſecundum rem, & ſine hoc intellectu poſsibili anima nihil intelligit: qui tamen ſecundum Platonem, quia ideis informatus erat a principio, ſequebatur ſcire noſtrum aliud nihil eſſe, quam reminiſci. Neſcire autem iſti ſe dicunt, quis in hac littera primus mortem ſomniauit, & inchoauerit exponere quod non reminiſcimur poſt mortem. Si enim, inquiunt, vis falſam iſtam expoſitionem conuincere, vide primo ly, reminiſcimur; de nobis enim hominibus loquitur in numero plurali, & non de anima: dicendum enim fuiſſet: Non reminiſcitur autem. Vide ſecundo ly, quia, cauſalis enim nota eſt, & illi expoſitioni ſeruit ad nihil, imo dicendum fuiſſet: licet hic intellectus ſit poſsibilis. Vide tertio ly, paſsiuus intellectus: in nullo enim vnquam opere Ariſtotelis inuenitur ſignificatum intellectus nomine, niſi vere intellectum. Quare hic ſolum æquiuocatio? Vide quarto, & ſine hoc nihil intelligit anima: ſi enim de reminiſcentia poſt mortem, & de cogitatiua ſermo erat, dicendum erat: & ſine hoc nihil reminiſcitur anima, & non; nihil intelligit: quia hoc & falſum; & extra propoſitum eſt. Vide quinto, quod verba Ariſtotelis in primo libro textus commenti. 66. quæ afferuntur ad inſinuandum, quod quæ illic diſputauit, & hic affirmauit, extra propoſitum ſunt: quia manifeſte ibi loquitur de ipſa anima, vt diſtinguitur contra nos: vnde dicit, quod non ſunt illius paſsiones, ſed habentis: quia & hoc corrupto, non memoratur, neque amat; hic vero manifeſte loquitur de nobis, vt dictum eſt, dum dicit: Non reminiſcimur autem. hæc ex illis quaſi formaliter. Circa iſtam autē particulam dico multa. Primum. Ariſtoteles neque experientia, neque

ratione intellectũ agentẽ intelligere probauit, aut quamuis operationem habere, niſi in phantaſmata: iſti autem expoſitores illud ex eo haberi volũt,quod in textu dicitur,honorabilior patiẽte,ideſt poſsibili.Ex hoc enim inferũt,quod ſit immaterialis,ideſt ſeparat⁹ a materia: ex quo inde inferũt,quod ſit intellectus,ſeu intellectiuus, & cõſequẽter intelligat.Ex his aũt eorũ dictis,duo infero:primũ,quod apud iſtos voluntas ſit intellectus,quia eſt immaterialis,ſecundum vero quod iſti expoſitores ſint circulantes:quia ex immaterialitate ſeu ſeparatione a materia,inferũt operationẽ ſine phantaſmate,ex qua operatione rurſus inferũt illius intellectus ſeparationẽ,ſeu immortalitatẽ. Secundum,apud iſtos expoſitores Ariſt.incongrue probat intellectũ agentẽ eſſe ſubſtantiã ſeparatã, & immaterialẽ.Sic enim arguitur.Intellectus agens eſt nobilior poſsibili,qui ſcilicet apud iſtos eſt materialis & corruptibilis: ergo eſt immaterialis & incorruptibilis, vbi fallacia conſequẽtis vtiq; interuenit.Imo iſti expoſitores,veritate etiã ab inuitis pectoribus emergẽte, dum intellectus agẽtis immaterialitatẽ cõcludere moliũtur,ponũt ipſum poſsibilẽ eſſe immaterialẽ,quem materialẽ & corruptibilẽ de mẽte Ariſt.cõcludere moliũtur. Arguũt enim ex perſona Ariſt. hoc pacto.Cũ enim agens honorabilius ſit patiente,& patiens ſit immateriale,oportet hoc agens quoq; ſeparatũ eſſe a materia. Et ſi dicatur,quod nõ eodẽ modo ſumitur immateriale,ſequitur quod probetur nihil. Tertiũ,ſecundũ iſtã expoſitionẽ,illa particula;Non reminiſcimur aũt,minime cõgruit:quia poſito quod ille intellectus ſit a nobis ſecundũ ſubſtãtiã ſeparatus,operatio eius nõ eſt noſtra:ideoq; vanum eſt reddere rationẽ, quare ſecundũ illũ intellectũ,noſtrũ ſcire non eſt reminiſci,cũ ille intellectus æque ad nos ſpectet vt ſol ad oculũ noctuæ,vel ad colores:vnde particulã illã S.Tho.cõgruẽtius introducit, qui etiã in expoſitione huius tex. mortẽ ſeu ſeparationẽ introduxit: ex quo ſecundũ iſtorũ dictũ ſequitur quod primo ſomniauit, aut primum ſomniantẽ ſit ſecutus.Verum iſti ſomniãt illud dictũ eſſe ſomniũ,quod tamẽ veritas eſt, & plena Ariſtotelicę mẽtis penetratio, apud quem ſeparatio animæ rationalis a corpore,non ſomniũ, ſed res certa eſt,vel ſaltẽ meditata & credita: conſequenter autẽ fundamentum illius gloſſ.ſcilicet poſt mortem, ab Ariſtotele ſumptum eſt, qui de iſta ſeparatione crebro mentionem fecit,vt docet S.Tho.in Opus. contra Auerroiſtas, in principio. Nam ipſe Ariſtoteles in 2. Phyſic. excuſat ſe quod ibi de ſeparatione animæ a corpore non pertractet, ſed ſe ad locum alium, ideſt Metaphyſicam referuet, dicens: Quomodo ſeparabilis hæc, ſcilicet anima, ſe habeat; aut quid ſit, philoſophię primę eſt determinare. Item in tertio de Anima mouet quęſtionem,vtrum intellectus noſter non ſeparatus a magnitudine(ideſt,

quamdiu

quamdiu anima, cuius eſt potentia, eſt in corpore) poſsit intelligere ſubſtantias ſeparatas: in quo innuit, quod aliquid poſsit intelligere ſeparatus, quod non cōiunctus. Item in. 12. Metaphy. tex. cō. 17. poſtquā oſtenderat formas non præcedere ſua ſuſceptiua, ſiue ſuas materias, conſequēter inquirit, vtrū earū aliqua maneat poſt materiam: & ſic dicit apud intellectum Boetij: Si autem aliquid, ideſt aliqua forma poſterius remanet, ſcilicet poſt materiam, conſiderandum eſt: in quibuſdam enim nihil prohibet, vt ſi anima huiuſmodi eſt, nō omnis, ſed intellectus. omnem enim impoſsibile eſt fortaſſe. hęc Ariſt. Vbi ly, ſi, primo loco ponitur aſſertiue, pro quia, uel ſaltē dubitatiue pro vtrū. alioquin de hoc non ſe tractaturū aſtruxiſſet: nec hoc ideo quia ipſe in ſe de ſeparabilitate intellectus dubitaret, ſed quia in libris Metaphyſicalibus, ad quos ſpectat determinare de ſubſtantijs ſeparatis, hoc nōdum probarat, velut ibi dicit diuus Tho. quia non erat illius ſpeculationis, gratia cuius ponitur etiam ly, fortaſſe. Et profitetur diuus Tho. vbi ſupra Ariſt. huiuſmodi quæſtiones ſoluiſſe certiſsime ī libris, quos patet eū ſcripſiſſe, ex his quæ dicit in principio. 12. Metaphy. quos libros dicit ſe vidiſſe, licet nec dū in noſtrū idioma cōuerſos. Patet ergo quod ſeparatio animæ a corpore apud Ariſt. non eſt ſomniū. Quartum, Sanctus Tho. hoc loco intellectum paſsiuum nō dicit cogitatiuā ſolum, ſed totam partem ſenſitiuā, vt obedit rationi: quam Ariſt. ipſe in. 1. Eth. vel intellectum, vel rationem participatiue nominat. Et ipſe Auerroes infidelium ſtudentium chriſtianorum deus, in Ariſtotele inuenit id quod iſti expoſitores & chriſtiani, & religioſi in fauorē fidei non inuenerunt. Nam, Sanctus Tho. 2. contra Gen. cap. 54. in principio imponit Auerroi, quod apud eū de mente Ariſt. homo a brutis ſpecie differt per intellectū paſsiuū, qui eſt ipſa vis cogitatiua: & clare patet hoc in tertio de Anima com. 20. in duobus aut tribus locis. Quintum. Dicit autē textus; Non reminiſcimur: quia omnis operatio animæ, hominis quoq; operatio cōſueuit dici, cū anima aliquid hominis ſit, ipſe etiam homo anima ſeparata eſt, nō eſſentialiter quidē, verū per principalitatē: quippe vnumquodq; illud eſſe dicitur, quod eſt in eo principale, apud Ariſt. in lib. Eth. & ly, quia, deſeruit in propoſito, vt inducta diui Tho. expoſitio docet. Et ly, paſsiuus, de cogitatiua dicitur, vt patuit: licet forte iſti non viderint, quibus in hoc parcendū eſt: quia in iuuentute ſcripſerunt, quando nō poterant omnia vidiſſe; potuiſſent tamen eſſe ad alios reuerētiores. Ad cętera vero quę videnda dicunt, patet ex dictis. Tertius textus eſt in primo de Anima in prologo, & eſt tex. cō. 13. qui iam ex parte citatus eſt, & nihilominus hic repetitur pro intellectu ſubijciendi cōtextus, & ſic habet. Si quidē igitur eſt aliquid animę operū aut paſsionum propriū, contingit vtiq; ipſam ſepa-

rari: ſi vero nullũ eſt propriũ ipſius, non vtiq; erit ſeparabilis, ſed ſicut recto inquantũ rectum multa accidunt, vt tangere æneam ſphęrã ſecundum punctũ, non tamen tanget ob hoc ſeparatũ rectum: inſeparabile enim ſi quidẽ ſemper cum quodã corpore eſt. Hęc ibi. vbi. S. Tho. elucidans illa verba; ſed ſicut recto, ſic dicit. Si vero nõ eſſet aliqua propria operatio ſeu paſsio animæ; ipſam animã a corpore ſeparari non continget, ſed erit de anima ſicut de recto. Licet enim multa accidant recto inquantũ rectum, ſcilicet tangere ęneam ſphęrã ſecundum punctum; nõ tamen accidit ei niſi in materia: non enim tangit rectũ æneã ſphęram niſi in materia. Sic erit de anima, ſi nõ habet propriã operationem, quod licet ei multa accidant, nõ tamen accidunt ei niſi in materia. hęc diuus Tho. Contextus autem eſt in 2. de anima tex. com. xj. vbi ſic habetur. Quod quidẽ igitur nõ ſit anima ſeparabilis a corpore, aut partes quędã ipſius ſi partibilis apta nata eſt, non immanifeſtum eſt; quarundã enim partium actus eſt ipſarum: at vero ſecundum quaſdam nihil prohibet propter id quod nullius corporis ſunt actus. hæc ibi. Hunc autẽ contextum exponentes prædicti expoſitores, dicunt quod ſeparabilitas hic ſumitur pro ea ſeparabilitate, quæ eſt ſecundum eſſe, ita quod eſſe vnius ſit ſeparabile ab eſſe alterius, & vnũ in alio ſecundũ rem non recipiatur: nec ambo in tertio. Nec referre, vtrum littera legatur de actuali ſeparatione, vt tranſlatio Arabica habet: aut de potẽtiali, vt noſtra ſonat: quia vtraq; ſeparatio bene infertur ex non eſſe actũ alicuius corporis. hæc iſti in forma. Qui licet poſſint intelligi vt loquantur exponendo textũ ex perſona diui Tho. & diui Alberti: tamen ex hoc habetur primo, quod ſi ipſi aliter ſentiant, ac ſecundum ſuam expoſitionẽ ſentire deberent, in ſuæ doctrinæ ruinam, habent hęc duo magna luminaria contraria: Et vlterius dico ſecundo, quod neceſſe eſt ita eſſe, vt dicũt hic: quia ſi quod accidens eſt animæ corpore nõ ſuſtentatũ, nec ab illo in eſſe dependẽs, illud a ſubſiſtente ſpiritu ſuſtentetur oportet, & cõſequenter ſubſiſtit anima & immortalis eſt: & rurſus oportet, quod ſi nõ dependet a corpore ſecũdum eſſe, quod nec ſecundũ operari, niſi forte in ratione obiecti: quod non arguit principiũ operandi, non cõmune inſeparabile, vt probabitur, & iſtimet cõcedunt, & ſecundũ catholicam fidẽ concedere oportet: licet iſti de mente Ariſt. faciant quęſtionẽ, qui oppoſitũ non dixit aſſertiue, & ſi diſputatiue. Imo ſi ſenſit Ariſtoteles, vt iſti aſtruunt, ſuã vocẽ ignoret oportet, qui animã ponit mortalẽ, vt iſti dicunt, & cum hoc habere partes, quæ nullius corporis actus ſint; & conſequenter ſine organo operentur. & hæc de contextu. Quantum vero ad textum, illud in primis aduertendũ eſt, quod iſtimet exponendo textum com. 3. in 3. de Anima, ſcilicet, Neceſſe eſt inquantũ omnia intelligit

immixtum eſſe ſicut dicit Anaxa. vt imperet; hoc autē eſt vt cognoſcat:intus apparens enim prohiberet extraneū,& obſtrueret;multa dicunt. Primum. Cū dupliciter aliqua forma dici poſsit eſſe corporea vel ſēſibilis:primo vt in ſe quidditatiue ſit talis,vt forma ignis,ſecūdo vt etiam ſi in ſe non ſit talis,ſit tamen ex ſua natura perfectio rei ſenſibilis ſeu corporeæ:cum Ariſtote.oſtendiſſet intellectum non habere in ſua quidditate admixtionē rei corporeæ, nunc oſtendit,quod non habet eiuſdem admixtionem in ſua actuatione, ita quod nec in ſe eſt aliqua de ijs naturis,nec eſt perfectio alicuius huiuſmodi naturæ:& ad probandum vtrunq; inquiunt,medium eſt,quia intellectus eſſe determinatæ naturę,aut determinatæ naturę perfectio,quæ aliorum cognitionem præpediret: & probat eadē ratione oportere intellectum eſſe ſeparatum a parte corporis,& a corpore toto. Secundū. Quia vero eis videbatur, quod iſta eorum poſitionē euerterent,excogitarunt quomodo ſuſtinere poſſent apud Ariſtotelem intellectum & ſeparabilē a corpore,& mortalem eſſe,& ſic dicunt:Tripliciter aliqua res dicitur naturalis,ſiue phyſica,quidditatiue,perfectiue,& exiſtēter. & ſimiliter tripliciter negatur eſſe phyſica, quidditatiue,perfectiue,& exiſtēter. Verbi gratia.Sphæra non eſt ens phyſicum quidditatiue, cum nō includat ex ſua quidditate materiā ſenſibilem; nec perfectiue: quia non eſt de ratione ſphæræ quod perficiat materiā ſenſibilem, ſeu ſit perfectio eius; ſicut eſt de ratione aīę quod ſit perfectio corporis ſenſibilis;& tamen non dicimus ſphęram non eſſe ens phyſicum exiſtenter: quia in rerum natura inueniri nequit niſi in materia ſenſibili. Ita rem aliquam eſſe immixtam corpori,tripliciter cōtingit,ſcilicet quidditatiue, perfectiue, & exiſtenter. Et ita poteſt dici de intellectu,ſicut inſinuauit Ariſt.in proœmio,quod eſt ſeparatus a corpore,ſicut ſphęra a natura phyſica: Et quemadmodum non repugnat, quod ſphæra neque eſt natura phyſica, neque perfectio naturæ phyſicę,& tamen exiſtit ſolum in phyſicis, & phyſice: ita poteſt eſſe, quod intellectus neq; eſt in ſe aliqua natura corporea, neque eſt perfectio alicuius naturę corporeę,& tamē nō exiſtit,niſi in corpore & corporaliter. Vtrū autem ratio Ariſtotelis probans illum immixtū quidditatiue, & perfectiue, probet eum immixtum exiſtenter, dicunt videri quod ſic: quia ęque impeditur omnium cognitio, ſi intellectus ſit igneus quidditatiue, ſiue realiter, vt patet in guſtu amaricato. Et dicunt non poſſe reſponderi, niſi dicendo, quod intellectus impeditur de facto, & per accidens in ſingulis hominibus a cognitione omnium, ſicut ſphæra de facto nō eſt niſi ignea & terrea, quāuis formaliter & perfectiue ſit neutra: & ſic erit de anima ſicut de ſphæra, cui attribuitur tangere rectum in puncto: & tamen nulla ſphæra inuenitur tangere

rectum in puncto: quia non inuenitur, niſi ignea &c. Hæc ex illis. Qui deinde reſpondẽtes ad argumẽtum a ſe contra ſe per iſtam Ariſtotelis authoritatem factum, quod aliquę partes animę ſint ſeparabiles; reſpondẽt per dictam doctrinã, de quidditatiue, perfectiue & exiſtenter traditam: dicentes, quod in omnibus, quæ docuit Ariſtoteles de ſeparatione intellectus poſsibilis, intendit de ſeparatione formali: quia, vt ipſemet docuit, non ducunt ad animam magis ſeparatam, quam rectum, ſi ad opus proprium non venitur. hæc iſti. Ego autem dico de duobus alterum neceſſario dicendum, aut quod textus Ariſtotelis iſtorum expoſitionẽ non patitur, aut quod Ariſtotelem oportet concedere falſa & inopinabilia. Primo enim ſecundũ iſtũ modum dicẽdi, oportebit philoſophię ſpeculatiuę realis eſſe genera quatuor: quippe præter phyſicam, mathematicam, & diuinam, oportebit de intellectu poſſibili dare aliam: quia ſecundum iſtos abſtrahit a materia ſenſibili, quemadmodũ & mathematica, & non ab intelligibili, cum ſit in corpore, ſine quo nõ intelligitur, ſicut nec accidens aliquod ſine ſubiecto. Secundo oportebit dicere accidens corporale ſecundum ſuam propriam quidditatem non perficere ſuũ proprium ſuſceptiuum, quod eſt corpus ſenſibile, cui dat eſſe aliquod, puta, eſſe intellectiuũ vel aliud: & ita non erit de ratione proprij actus eſſe in propria potentia. Et ſi dicatur, quod intellectus perficit id quod eſt corpus ſenſibile, ſed non inquantum eſt ſenſibile, ſequitur quod calor non erit accidens, vel ens phyſicum: quippe qui non perficit ſubſtantiam ſenſibilem vt ſic, cum in ſubiecto ſuo nullam præſupponat ſenſibilem qualitatẽ, ſed inſit ei mediante quantitate: non enim ante calorem ineſt igni alia qualitas ſenſibilis. Tertio, quia fateri oportebit, quod virtus corporea & indiuidua ſuſcipiat formas vniuerſales & immateriales. Quarto, quia ſequitur quod intellectus poſsibilis in vniuerſali operetur ſiue intelligat: quia poſsibilis intellectus poteſt intelligere omnia, & nullus talis intellectus in particulari poteſt intelligere omnia. Quinto dicere oportebit, quod ſubſtantia intellectualis, & cui inſit naturalis appetitus perpetuitatis, ſit expers, & ſuo naturali deſiderio fruſtretur. et infinita alia abſurda ſequuntur ex iſta expoſitione, & poſitione; & cõſequenter non eſt rationabilis. Quod autem dicit opinio iſta de eo, quod eſt tripliciter ens eſſe phyſicum, eſt chimera diaboli pro veritate euertenda, & dico omne ens mundi realiter eſſe diuinũ aut phyſicũ, ideſt ſpirituale aut corporale: mathematica autẽ ſunt phyſica, ideſt accidentia corporũ naturaliũ, licet per intellectum conſiderari poſsint non naturaliter: dico etiam omne ens nõ metaphyſicũ eſſe naturale quidditatiue ad hũc ſenſum, quod includit in aliqua ſua diffinitione materiam ſenſibilem intrin-

ſece, uel per additamentum, cum ſit corpus vel accidens corporis. Dico ulterius, quod ſphæra naturalis eſt ens phyſicum: licet poſsit conſiderari metaphyſice; & omne quod exiſtenter eſt ens phyſicū, eſt etiā quidditatiue: quia licet in aliqua ſui diffinitione nō includat explicite materiam ſenſibilem ſeu phyſicā, in aliqua tamen alia includit: unde nec ipſa quantitas ſine ſubſtantia diffinitur. Quantum ad tertium autem contra dictam poſitionem, concluſionem oppoſitam poſiturus, aliquas alias præparatorias prælibabo. Sit ergo hæc prima. Tam intellectus poſsibilis, quam agens, apud Ariſtotelem eſt pars, ideſt potentia animæ rationalis. Nam de poſsibili etiā per iſtos patet; & pars Thomæ abundanter contra Auerroiſtas probatur: de agente autem probatum eſt ſupra per S. Tho. & probo tripliciter. Primo. Nam Ariſt. in 2. de Anima tex. com. xi. dicit, quod animā ſeparari ſecundum partes quaſdam nihil prohibet, propter id quod nullius corporis ſunt actus. Aut ergo iſtæ partes, quæ non ſunt ſubiectiue in corpore, ſunt intellectus agens & poſsibilis, aut poſsibilis & voluntas, aut volūtas & intellectus agens, a ſufficienti diuiſione: cū aliæ potentiæ nō ſint quibus ſeparatio cōuenire aut credatur, aut poſsit, apud quoſcunq; expoſitores. Non autem poſſunt iſti reſpondere tertium: quippe qui intellectum poſsibilem apud Ariſt. actum corporis credunt, & a fortiori voluntatem, quæ & imperfectior & poſterior ſit oportet; nec ſecundum, eadem ratione. ergo primum dicant oportet: conſequenter autem apud Ariſt. vterq; intellectus potentia animę eſt. Secundo probatur idem. Nam Ariſt. ratio inducta, quod in omni natura oportet eſſe agens & patiens, hoc probat: quia licet propriū agens in natura acta & mota poſsit eſſe extrinſecum; in natura tamen libera quod intra ſit oportet, quippe nihil ab alio motum vt ſic, actui ſuo dominatur: unde diuus Tho. ſuo diuinitus rectus ingenio, ſic Ariſt. rationem deduxit. Tertio. Nam diuus Tho. 2. con. Gen. cap. 78. hoc multis rationibus probat, quibus iſti ſui diſcipuli, antequā eum poſtergarent, debuiſſent reſpondere. ſupra uideatur. Secunda. Vterque intellectus tam agens, quam poſsibilis immortalis eſt & incorruptibilis apud Ariſtotelem. nam de agente per iſtos poſitores pateat: de poſsibili autem multipliciter probatur. Primo. Nam omnis res corruptibilis apud Ariſtotelem aut corpus eſt, aut virtus in corpore: ſubſtantiæ enim ſpiri uales, aut earum accidentia apud ipſum alterationi minime ſubduntur, quippe quæ ſolum ſit apud contraria. Apud ipſum autem intellectus poſsibilis neque corpus eſt, nec uirtus in corpore, quippe qui non miſcetur corpori, vt dicitur in 3. de Anima tex. com. 4. Ergo apud Ariſtotelē immortalis eſt, & conſequenter anima rationalis. Dicunt hi poſitores, quod non miſcetur corpori quidditatiue aut perfectiue, ſed exiſtenter

tantum,

tantum,quod nõ arguit immortalitatẽ. Sed cõtra hoc:quia omne accidens corporeum in ſua quidditate includit corpus, cum per additamentum diffiniatur, & conſequenter materiam ſenſibilem ſaltem in cõmuni. Præterea, iam probatum eſt, quod ad iſtam doctrinã multa abſurda ſequuntur. Et præterea ſi intellectus poſsibilis eſt in corpore, eſt in eo vt forma ſubſtantialis vel accidentalis, & ſic dat ei aliquod eſſe, & conſequenter perficiat oportet: & conſequenter eſt in eo perfectiue, & veraciter perficit corpus ſenſibile. Et ſi dicatur quod corpori aſsiſtit, iam ſubſiſtit, contra iſtos. Et ſi dicatur quod illud quidẽ perficit, ſed hoc ex quidditate ſua minime habet: hoc vtique nihil eſt, quia forte nullũ accidens habet quod ex ſua quidditate perficiat corpus ſenſibile vt ſic. Quicquid tamen ſit de alijs, hoc nulla ex primis qualitatibus ſenſibilibus habet, ſed facit aliquod corpus eſſe ſenſibilé vt ſic: vnde intellectus a corpore non erit caliditate aut ſenſu ſeparatior. Et præterea ſi intellectus eſt in corpore exiſtenter, aut ergo in toto, aut in parte: non in toto quidem, quippe ad cuiuſque partis læſionem, eius præpediretur operatio: nec ſecundum, quia idem eſſet iudicium de eo, & de ſenſu, qui & ipſe ſenſibile corpus quidditatiue non perficit; conſequenter autem intellectus non niſi indiuidualiter reciperet. Et præterea ſi eſt in corpore exiſtenter, cum ſit ibi realiter: ſiue præcedant eum qualitates ſenſibiles, ſiue ſequantur, & quantus, & extenſus, & diuiſibilis eſſet: conſequenter autem & calidus aut frigidus per ſe vel per accidens, & eiuſmodi: ſicut & ſenſus, cõtra Ariſt. 2. de Anima. Secundo probatur idem. Quicquid apud Ariſtotelẽ eſt corruptibile, etiam eſt alterabile: quia corruptio non eſt niſi per contrarietatem, ſecundum quam alteratio inducitur: Sed intellectus poſſibilis apud Ariſt. eſt inalterabilis, quia & impaſſibilis, patet in 3. de Anima tex.cõ.3. quod de paſſione corruptiua intelligitur, quę abijcit a ſubiecto, vt patet etiam per iſtos expoſitores: vnde neque ab excellenti intelligibili patitur, niſi per accidens ratione corporis, vt libro eodem patet. Eſt ergo incorruptibilis, & cõſequenter etiam anima rationalis. Tertio. Quicquid apud Ariſt. eſt corruptibile, etiam debilitabile ſit oportet, ſicut & alterabile. Intellectus autẽ poſſibilis apud Ariſt. non eſt debilitabilis, ſicut nec noſter viſus, & a fortiori, niſi gr̃a organi: quia apud eum ſi ſenex accipiat oculum iuuenis, vtique videbit vt iuuenis, vt dr̃ in 1. de Anima. Igitur idem quod prius ſequatur oportet. Quarto. Quicquid a corpore eſt ſeparabile, ita qđ eſt quidem, & tamẽ nõ eſt corporis actus, eſt immortale apud Ariſt. quippe quod ſine corpore exiſtit, inalterabile eſt, quia & ĩmobile ex.6.Phy. Intellectus autẽ poſſibilis eiuſmodi eſt, qñquidẽ aliquæ animæ rationalis partes ſunt ſeparabiles. 2. de Anima tex.com. xi. & iſtæ eſſe nequeunt

queunt

queunt niſi intellectus agens & poſſibilis, ut in prima cõcluſione probatum eſt. ergo idem. Quinto. Si apud Ariſt. intellectus poſſibilis eſt mortalis, aut corpus, aut aliquid corporeum ſit oportet, vt patuit: neutrum vero apud eum eſt, quippe qui putat eum ſuper actum ſuũ flecti, vt in 3. de Anima, patet quod nulla corporea virtus facere põt, vt Auicc. docuit & experimur. ergo idem. Sexto. Si intellectus poſſibilis apud Ariſt. eſt in corpore exiſtenter vt ſphæra, accidens corporerũ ſit oportet, habens determinatam naturam corporeã, cum nihil in genere ſit vel in mundo quod in aliqua ſpecialiſſima ſpecie eſſe nõ oporteat. Hoc autem falſum eſſe liquet, quia omnia nequaquam intelligeret, vt ipſemet dicit in 3. de Anima. ergo idẽ. Sed dicitur quod eſt cognoſcitiuus omnium de ſe formaliter, quamuis per accidens impediatur reſpectu ſingulorum hominũ. Sed contra hoc, tum quia ſequitur quod in vniuerſali poſſit intelligere (& loquor ex parte intelligentis, & non obiecti) cum omnia poſſit intelligere, & non vt eſt in ſingularibus: quod eſt abſonum, quia actus ſunt ſuppoſitorum: tum quia natura in ſuis operibus non impeditur niſi raro, & per accidens, & huiuſmodi non eſt in omnibus, ſed in paucioribus ſolum. Septimo. Nam ipſe Ariſtot. 1. de Anima tex. 83. loquens de eo intellectu quo intelligimus, dicit Rationabiliſſimum eſt hunc eſſe nobiliſſimũ & diuinum ſecundum naturam. Et in 2. eiuſdem, tex. com. 21. dicit. Intellectus & perſpectiua potentia videtur genus alterum animę eſſe, & hoc ſolum cõtingere ſeparari ſicut perpetuum a corruptibili: reliquæ autem partes animæ manifeſtum ex ijs quod non ſeparabiles ſunt. Intellectum ergo qui eſt pars animæ Ariſtoteles dicit perpetuum: quod ſecundum iſtos expoſitores de agente non poteſt intelligi, quem apud Ariſt. ponunt ſubſtantiam ſeparatam. Circa iſtum autẽ textum, qui contra eos euidenter concludit, ſicco pede tranſeunt.

Tertia concluſio. Anima rationalis apud Ariſt. eſt immortalis. Probatur primo. Nam omne ſubiectũ perpetuorum & immortaliũ accidentium, apud omnes philoſophos perpetuum & immortale eſt. Apud Ariſt. autem rationalis anima perpetuorum & immortalium accidentium ſubiectũ eſt, ideſt, intellectus agentis & poſſibilis, qui partes ſeu potentiæ vel accidentia animæ ſunt, vt patet per cõcluſionem primã; & immortales, vt patet per ſecundã. Ergo apud Ariſt. anima rationalis immortalis eſt. Secundo. Nã apud Ariſt. vt patet 1. de Anima tex. cõ. 13. ſi anima habet operationẽ ꝓpriã (intellige actu vel habilitatẽ ſeu aptitudine) eſt ſeparabilis a corpore, & cõſequẽter ĩmortalis actu vel aptitudine: nõ em̃ eſt ſeparata a corpore, vel apta ſeparari, niſi & eſſe apta nata ſit: vnde ſi abſq; corpore operari põt, abſq; corpore eſſe poſſit neceſſe eſt. Ipſa aũt aĩa apud Ariſt. ꝓpriũ opus habet vtiq; actu vel

aptitudine, in quo corpus partem & communionem habere nõ poſſit: quippe apud ipſum habet virtutem & poteſtatem propriam, in qua potentia ſeparabilis eſt, inquit ipſe 2. de Anima tex. com. 21. & intellectus immixtus eſt corpori, ſupple actu. 3. de Anima tex. com. 4. etſi propriam habet potentiam anima, propriam habeat operationem neceſſe eſt: quia cuius eſt potentia, eius eſt & operatio, ut in libro de Som. & vigilia ipſemet Ariſt. aſtruxit. Ergo apud Ariſt. immortalis ſit noſter animus oportet. Tertio. Nam omnis ſubſtantia operationem ſine corpore habere nata immortalis eſt apud omnes, nullo reclamante, & ratione liquet: quippe quod ſine corpore operari poteſt; & ſi alterabile eſt, & ſine corpore eſſe poſſit oportet, alioquin poſſibiliter operaretur quidem, nec tamen eſſet: liquet etiam idem per eam conditionalem, quam ſupra ex prologo primi de Anima ex Ariſtot. deduximus: Si anima, inquit, habet operationem propriam, continget eam ſeparari: quæ conditionalis vtique vera non eſſet, niſi omne tale eſſet immortale, quippe ſemper conditionalis vera, neceſſaria cũ ſit, vniuerſalem cathegoricam includat oportet: Anima autem humana apud Ariſt. operationem habet ſine corpore, vt in lib. 15. de Animal. cap. 3. clare patet, vbi ſic: Mens ſola, inquit, extrinſecus accedit, eaq; ſola diuina eſt: nihil enim cum eius actione comunicat actio corporalis. Igitur apud eum anima rationalis immortalis ſit oportet. Quarto. Nam ipſe idem in primo de Anima tex. com. 21. Intellectus inquit, ideſt anima intellectiua, & perſpectiua potentia, ideſt intellectus noſter, videtur genus alterum animæ eſſe: alterum inquam, ſubaudi a vegetatiua & ſenſitiua: & hoc ſolum inquit contingere ſeparari ſicut perpetuũ a corruptibili. Item idẽ in 12. Metaphy. tex. cõ. 17 Mouentes quidem igitur inquit cauſæ, vel prius facto exiſtentes, quę autem vt ratio, ſimul: quando enim ſanatur homo, tunc eſt ſanitas, & figura ęreę ſphęræ ſimul & ærea ſphæra. Si autem poſterius aliquid maneat perſcrutandum eſt. In quibuſdam enim nihil prohibet, vt ſi eſt anima talis, non omnis, ſed intellectus: omnem namque impoſſibile forſan. Vbi patet quod cauſæ mouentes ſecundum eum, ideſt efficientes, ſunt effectibus priores, non autem formæ: ſed ſunt ſimul, vt anima cum homine: vtrum vero poſt effectum remaneat aliqua forma, dicit abſolute quod aliquæ manere poſſunt, ſed non forſitan omnes: & dicit, forſitan, quia hoc determinandi non erat ibi locus, vt docuit diuus Tho. Dicit vero quod aliquæ poſſunt manere, vt ſi eſt anima talis, non omnis, ſed intellectus: vbi ly, ſi, ſtat pro quia: quamuis ſicut & de ly, forſitan, dici poſſit. Nec prodeſt ſi dicatur, quod omnia ibi ponuntur ſub illa conditione, ſi: quippe liquet quod ante illam conditionem abſolute dixit, nihil prohibere aliquam formam

eſſe

eſſe talem; & quod ſubditur, vt ſi, ea ratione dicit quæ tacta eſt. Et ſic illum textũ non S.Tho. modo, verum & Comm. intellexit (quamuis in intellectus natura fallatur) & omnes pene expoſitores. Et hæc de tertio. Quantũ ad quartũ, præter ea quæ ſupra ſparſim ſoluta ſunt, vnicum principale motiuum prædictorũ reperi tale. Si intelligere eſt phantaſia, aut non ſine phantaſia, non erit hoc ſine corpore, vt inquit Ariſt. 1. de Anima. Intelligere autem non eſt ſine phantaſmate, vt patet in 3. de Anima tex. com. 30. & 39. Non eſt ergo intelligere ſine corpore, cõſequenter autem nec anima. Solutio. Ad horum intellectũ illud in primis notandum eſt, quod aſſumpta conditionalis, licet ſit argumentatiue prolata ab Ariſt. vt dictum eſt, vera tamen eſt, ſi pariformiter, & vno modo intelligatur antecedens & conſequens, ideſt vtrumq; actu, vel vtrumque aptitudine, vt ſit ſenſus. Si intelligere eſt phantaſia vel nõ eſt ſine phantaſia ĩ actu, nõ eſt ſine corpore in actu, ſiue non eſt ſeparatũ a corpore in actu: ſi vero eſt phantaſia vel non ſine phantaſia in aptitudine, nõ eſt ſine corpore in aptitudine, ſiue nõ eſt ſeparabilis a corpore. Dico autẽ quod eſt ſine phãtaſia aptitudine, licet nõ actu in vita iſta mortali: & ideo eſt a corpore ſeparabilis, licet non hac vita durante: vnde in aptitudine loquendo negatur minor, ſiue poſitio antecedentis. Igitur ex prçciſa organi excluſione non infertur ſeparabilitas in actu: ſecus vero in aptitudine, quia operationi quæ ſine organo eſt, non repugnat eſſe ſine phantaſmate, cum eliciatur a ſubſtantia ſpirituali per ſe ſubſiſtente, nec dependente a corpore: & quæ conſequenter eſſe poteſt extra corpus, & habet potentiã propriam corpori nõ cõmunem, quæ ſcilicet omnino eſſe poteſt ſine corpore, & conſequenter operationẽ ſimiliter propriã: quippe cuius eſt potentia, eius quoq; ſit operatio oportet, vt dictum eſt. Eſt autem veriſsime iſta mens Ariſt. vt patet in 2. de Anima. tex. com. xj. vbi, vt patuit, ſic dicit. Quod quidem igitur nõ ſit anima ſeparabilis a corpore, aut partes quædam ipſius, ſi partibilis apta nata eſt, nõ immanifeſtum eſt: quarundam enim partium (ſcilicet corporis) actus eſt ipſarum. At vero ſecundũ quaſdam nihil prohibet propter id quod nullius corporis ſunt actus. hęc ibi. Ex quibus liquet, quod ſunt aliquę partes, ideſt aliquę potentię animę, quę nõ ſunt actus alicuius partis corporis, quę ſunt ſeparabiles, vt intellectus vterq;, vt dictum eſt, etiam ſi pro iſto tempore non operentur ſine corporali obiecto. Dependere enim in operando a corpore vt ab obiecto, non tollit ſubſiſtentiam operantis: nam ſubſiſtunt bruta, quæ nec viſionem, nec quamcumq; operationẽ habẽt in extrinſeca a corpore vt obiecto inde pendentẽ. Ex ijs autẽ diſſonantia quædam inter viros illuſtres aufertur. Operari enim ſine corpore vt obiecto, ſine contradictione infert operari ſine

F corpore

corpore vt orgaño: econuerſo autem operari ſine organo corporeo, apud aliquos non infert operari ſine corporeo obiecto, & verum eſt ſine tali obiecto in actu pro vita iſta: apud alios autē operari ſine organo, infert operari ſine obiecto corporeo, & verum eſt in aptitudine: quippe quod operatur ſine organo, licet non ſine obiecto corporeo, ſine organo ſit oportet, cum operari pręſupponat eſſe: quod autē ſine organo eſt, a corpore nō dependeat in eſſe oportet: cōſequenter autē intereunte corpore ſtabit, & tamen tunc non erit ocioſum, ſicut nec ſubſtantia quęuis. operabitur ergo ſine obiecto corporeo, ſeu ſine phātaſia. Hanc tamen diſſonātiam alij aliter tollunt. Ad argumentū ergo dico primo, quod illam conditionalem Ariſt. arguendo & inquirēdo inducit. dico ſecūdo, quod in ſenſu aliquo vera eſt: quia ſi intelligere non eſt ſine phantaſia in actu, non eſt ſine corpore in actu: & in aptitudine, ſi in aptitudine: ſed ex non eſſe ſine phantaſia in actu, non infertur non eſſe ſine corpore in aptitudine: actio enim quę a phantaſia pendet ſolum vt obiecto ſine organo elicita, eſt potentiæ quæ corpori nō innititur: conſequenter autem pereunte corpore, non peribit: verū potius in ſuo ſubiecto incorruptibili manebit, & tunc poterit eſſe ſine phantaſmate ente. Arguitur etiam ſecundo ſic. Nam dictum eſt quod in propoſito proprium & commune tripliciter dicitur, organice, obiectiue, & partialiter. Si ergo proprium & commune primo modo capitur, ſecunda conditionalis non eſt neceſſaria: conſequenter autem erit falſa, ſcilicet ſi eſt alquid animæ operum aut paſsionum propriū, continget ipſam ſeparari: quia ſtat corpus ad illam operationem concurrere modo tertio: ſtat enim quod anima excludat quamcunque partem corporis ab alicuius operationis communione; & tamen ſit ratio operandi toti compoſito primo: & ſic operatio & non erit per organum, & erit communis. Non ergo ex operari ſine organo, bene infertur ſeparabilitas. Solutio iam patet ex dictis: quia ille tertius modus concurrendi non eſt dabilis; & ſi daretur, eſſet illa operatio cōmunis primo modo, ideſt organice quātum ad illud quod operationē modo primo communem facit: quod eſt ratio corporis, non ratio partis aut totius, vt ſupra dictum eſt. Multa alia argumenta fiunt ab aliquibus, quæ omnia per prædicta ſoluuntur. At Perretum reſpondi minime, quia de his ante eum ſcripſeram: nunc vero reſpondere non oportet: quia per Fratrem Hieronymum Fornarium Bachalarium, & per Fratrem Bartholomęum Piſanum fundamenta eius euerſa ſunt. Et hæc de tota iſta quęſtione.

Aliquas

Aliquas eſſe ſubſtantias intellectuales, humana anima præſtantiores.
CAP. VI.

PRINCIPIVM autem aliud rurſus noſtræ conſiderationis ex eo vel maxime lubet aſſumere, vt ex veræ philoſophiæ principijs contra fideles infideles chriſtianos, qui Chriſti fidem minime ea reuerẽtia qua decet complectuntur, expeditionem paremus, vt quæ in diuinis litteris & legunt, & decredũt, aut vix credũt, ex vera philoſophia docti credant: & id vel in primis eſſe aliquas ſubſtantias, quæ intellectu vigeant anima humana prǽſtantiores. Nec enim de intellectuali creatura ex participatione loquimur, cuiuſmodi eſt homo intellectu pollens ſecundum partem, ideſt animam: ſed de ea quæ eſt intellectualis complete, quaſi quædam perfecta & cõpleta natura ſubſiſtens. Quod equidem multis punctis efficiemus, illo vel maxime ſuppoſito, quod Deus ſit, & quod rerum cauſa voluntaria ſit, quod & Theologi ac Philoſophi probant, & nullus niſi inſanus decredit: quis enim exiguo volumine omnia probarit. Suppoſita ergo ſint hæc.

Punctum primum. Quia noſtra cognitio omnis a ſenſu incipit, qui corporalium eſt, & corporalia nouit: homines philoſophi a principio de veritate rerum naturalium conquirentes, ſolã naturam corpoream capere potuerunt, adeo vt nihil niſi corpora eſſe exiſtimarent, etiam animam ipſam noſtram contra ea quæ monſtrauimus corpus eſſe dicentes, quos etiam ſequuti videntur hæretici Manichæi, Deum lucem quandam eſſe corpoream infinitis ſpacijs diſtantem rati: ſic quoque Antropomorphitæ hæretici, Deum lineamentis humani corporis figurarunt, nihil vltra corpora eſſe putantes. Sed poſteriores Philoſophi ad incorporeæ ſubſtantiæ notitiam deuenere, & horum primus Anaxagoras, qui a principio aſtruens omnia corpora fuiſſe commixta, coactus eſt ſupra corpora aliquid immixtum & incorporeum aſtruere, quod corporalia cuncta mouendo ab inuicem ea diſtingueret, illud vocans intellectum mouentem, & diſtinguentẽ omnia, quem religio & pietas chriſtiana Deum vocat. Plato vero ad eiuſmodi ſubſtantias incorporeas aſtruendas atque monſtrandas, alia via proceſsit, quod ſcilicet exiſtimarit neceſſe fore, vt ante omne participãs ipſo eſſe, aliquid eſſet abſtractius participatum: conſequẽter vero cum omnia corpora ſenſibilia ea participent, quæ de ipſis prædicãtur, naturas ſcilicet generum ac ſpecierum, & aliorum quæ de ipſis vniuerſaliter dicuntur, ſicut Socrates participat naturam hominis (neque enim in Socrate eſt omnis humanitas, ſed pars vna humanitatis) equus iſte naturã equi, & hic ceruus naturam cerui: etiã omnium huiuſmodi rerũ naturas ſiue ſpecies poſuit Plato a ſẽſibilibus abſtractas:

ſubſiſtere, & has ſubſtantias ſeparatas nominabat. Ariſt. vero ad idem ſubſtantias, ſcilicet incorporeas aſtruendas proceſsit ex motus cæleſtis perpetuitate. Oportet enim cæleſtis motus (ſicut & actionũ omnium ac motionum) aliquem finem eſſe; qui equidem finis, ſi non ſemper modo vno ſe habeat, ſed vel per ſe, vel per accidẽs moueatur, illũ cæleſtem motũ non ſemper vniformiter ſe habere neceſſe eſt: nam etiã id videmus, quod motus naturalis grauiũ & leuium intẽditur, cũ fini, ideſt loco proprio vicinatur, aliter ſcilicet ſe habente fine motus, quã prius, propter maiorem vel minorem propinquitatẽ ad mobile quod mouetur. In motibus autẽ cæleſtium corporum vniformitatẽ ſemper obſeruari perſpicuum eſt, (vnde & Aſtronomi per millia annorum ante enuntiare poſſunt futuras eclypſes) ex qua etiam perpetuitatẽ huius motus Ariſt. argumẽtatus eſt. Oportebat igitur eum aſtruere finem huiuſmodi motus, nec per ſe, nec per accidens moueri poſſe: cõſequenter autem illum non eſſe corpus, quod ſemper eſt mobile. Igitur ei neceſſarium fuit aſtruere ſubſtantiã aliquam omnino a corpore ſeparatam, quæ reſpectu cæleſtis motus finis eſſet & gratia cuius.

Punctum ſecundum. Tres autem iam dictæ poſitiones in hoc diſſidere videntur, quod Anaxagoram quidem, ſecundũ principia ab eo ſuppoſita, vnicam immaterialẽ ſubſtantiam aſſeuerare oportuit. Platoni autem multas ponere incumbebat, & inuicem ordinatas, ſaltem ad numerũ & ordinẽ ſenſibilium ſpecierũ, quas abſtractas aſtruebat: quicquid de generibus aut aliquibus tranſcendentibus dicatur. Poſuit enim primum abſtractũ, quod eſſentialiter & vnum, & bonum eſſet; & conſequẽter diuerſos ordines intelligibiliũ, ut etiam dicetur. Ariſt. quoq; ideo poſuit plures, quod in cælo appareant multi motus apud eũ perpetui & vniformes: cuiuſlibet autẽ motus eiuſmodi oportet eſſe aliquem finem propriũ, qui ſubſtantia eſt incorporea, vt patuit: conſequenter autẽ neceſſe fuit eum ponere multas ſubſtãtias incorporeas ordinatas ſecundum numerum & ordinem cæleſtiũ motuum; nec exceſsit vltra, quippe qui in ſuis philoſophicis documentis hoc habuerit proprium, a manifeſtis minime diſcedere. Sed iſtę vię tres trium philoſophorum, Chriſtianę pietati nõ ſunt multum accõmodæ: quippe qui nec cum Anaxagora ſenſibilium mixtionem ponimus; nec vniuerſalium realem abſtractionẽ cum Platone; nec cæleſtis motus æternam perpetuitatem cum Ariſtotele, & conſequẽter ad manifeſtationem inſtituti noſtri alijs vijs incedamus oportet.

Punctum tertium. Oſtenſuri ergo ſumus ex diuina prouidẽtia, quæ rebus omnibus perfectionem ſecundum earum modum optime aſsignauit, conſequẽs fuiſſe, quod quędã ſubſtantiæ intellectuales crearentur in ſummo rerũ vertice conſtitutę. Primo. Nã vt ait. S. Tho. lib. 2.

contra

contra Gent. cap. 46. tunc effectus maxime perfectus eſt, quando redierit in ſuum principium, vnde & figurarum perfectiſsima circulus eſt, & motuum omniũ, qui circularis eſt, quod in his ad principiũ redeatur. Redeunt vero ad ſuum principiũ, & ſingulę, & omnes creaturæ ea ratione, qua principij ſui ſimilitudinem attingunt ſecundum eſſe ſuum, ſuamque naturam; quod in quadam aſsimilatione eſt, in qua perfectionem nanciſcuntur; ſicut & omnes effectus perfectos dixeris, vbi cauſæ agenti ſimilantur, vt ignis igni, & homo homini generãti, & domus arti ædificatoriæ. Cum igitur diuinus intellectus & voluntas productarum creaturarum principium ſit, (ſicut & omnium artificiatorum intellectus & voluntas artificis) Deus enim mundum fecit, & non niſi volens vt artifex, ad vniuerſi ex creaturis cõſtituti perfectionem neceſſarium fuit aliquas eſſe intellectuales creaturas in intellectuali natura Deo conſimiles. Secundo. Supra perfectionem primam in rebus additur perfectio ſecunda, quippe duæ perfectiones finitæ aliquid plus ſint oportet, quam altera tantum. Sicut autem ad perfectionem primam rei, eſſe eius & natura cõcurrit; ſic rei operatio ad ſecundam. Igitur ad conſummationem vniuerſi perfecti, eſſe aliquas creaturas oportuit, quæ redirent in Deum, nedum naturæ, verũ etiam operationis ſimilitudine: quod equidem aliter quàm per actum intellectus & voluntatis eſſe non poteſt, quippe nec Deus aliter erga ſeipſum operatur. Igitur ad optimam perfectionem vniuerſi, oportuit aliquas eſſe creaturas intellectuales. Tertio. Ad hoc vt perfecte diuinæ bonitatis repræſentatio per creaturas eſſet, nõ ſolum quod res bonæ fierent, verumetiam quod ad aliorum bonitatem agerẽt, oportuit: quippe & Deus & bonus eſt, & alijs bonitatem largitur. Perfecte autem aliquid alicui in agendo ſimilatur, quando non modo eadem eſt ſpecies actionis, verumetiam idem modus agendi. Ad ſummam igitur rerum perfectionem opportunum fuit, vt creaturæ eſſent aliquæ, quæ agerent eo modo quo Deus, qui per intellectum & voluntatem agit, vt dictum eſt. Quarto. Similitudo effectus ad eam cauſam, quam efficientem dicunt, in ipſa forma effectus conſiſtit, quę in agente pręeſt: agit enim omne agens ſibi ſimile in ea forma qua agit. Hæc aũt agentis forma plerumque in effectu ipſo æque & in eadẽ natura, vt in agẽte erat, recipitur; vt cum ignis ignem, & homo hominem generat: plerumque vero recipitur modo longe inferiore, ſicut domus quæ in mẽte artificis intelligibiliter exiſtens quid ſpirituale eſt, & tamẽ in rebus materialibus materialiter recipitur, videlicet in lignis, lapidibus, & cemento. Igitur vniuerſi ſumma perfectio id exquirit, vt non modo ſecundum ſecundam, verumetiam ſecundum primam aſsimilationem creaturæ Deum imitentur. Forma autem qua Deus creaturam efficit,

forma

forma eſt intelligibilis, ſeu intellectualis eius conceptio: eſt enim agẽs per intellectum, vt dictum eſt. Ad ſummam igitur vniuerſi perfectionem, creaturas aliquas eſſe neceſſe eſt, in quibus ſecundum ſe forma diuini intellectus & exprimatur, & imprimatur, quod eſt eas eſſe natura intellectuales. Quinto. Ad efficiendum creaturas Deum mouet aliud nihil, niſi ſua bonitas, quam rebus alijs communicare ſtatuit, per modum aſsimilationis ad ipſum: quippe, qui in agendo finem alium quam ſeipſum, qui ſua bonitas eſt, habere nequit: alioquin aliquid foret eo nobilius. Inuenitur autem vnius ſimilitudo in alio dupliciter, & quidẽ in primis quantũ ad eſſe naturæ, ceu ſimilitudo caloris ignis in re eſt ignita per illum: deinde vero ſecundum cognitionem, veluti eſt ſimilitudo ignis in viſu aut tactu. Vt igitur diuina ſimilitudo in rebus perfecte ſit modis poſsibilibus, diuinã bonitatẽ rebus modis prædictis duobus communicari oportuit, ſcilicet in eſſendo, & cognoſcẽdo eam vero cognoſcere ſolus intellectus poteſt, quippe quæ ſub ſenſu non cadat. Igitur creaturas intellectuales eſſe neceſſe fuit. Sexto. In omnibus quæ decenter ordinata ſunt, habitudo ſecũdorum ad vltima imitatur habitudinem primi ad omnia ſecunda & vltima: licet quandoque deficienter. Deus autem omnes in ſe creaturas comprehendit, quippe qui ſit prima cauſa virtute cõtinens omnes effectus. Et hoc in corporalibus creatũris repræſentatur & oſtenditur, licet per alium modum: quandoquidem ſemper corpus ſuperius inferius continet, & cõprehendit: tamen ſecundum extenſionem quantitatis, cum creaturas omnes Deus modo ſimpliciore, & minimẹ quantitatis contineat: vt igitur nec in hoc modo ſimpliciter cõtinẽdi, Dei imitatio deeſſet creaturis, creaturæ intellectuales factæ ſunt, quæ corporales continerent: non quidem extenſione quantitatiua, verum per intelligibilem modum: Quippe quod intelligitur, in intelligente eſt, & eius intellectuali operatione comprehenditur. Sic ergo liquet ſupra animam humanam aſſe aliquas ſubſtãtias intellectuales, quas Philoſophi intelligẽtias, diuinæ litteræ angelos vocant, ideſt nuncios, quód nobis ſcilicet annuncient diuina.

Punctum quartum. Ex dictis vero iam oſtendi poſſet, nullam ſubſtantiam ex toto intellectualem, eſſe corpus. Primo. Nullum enim corpus (ea ratione qua corpus, ſecus vt cauſa effectiua) aliud continet niſi quantitatiua menſuratione: vnde & ſe toto aliquid totum continet, & partem parte: maiorem quidem maiore, & minorẽ minore. At vero intellectus non comprehendit rem intellectam eiuſmodi quantitatiua commenſuratione, cum ſe toto intelligat, & cõprehendat totum, & partẽ; maiora quoq; in quantitate, & minora. Igitur nulla ſubſtantia ex toto intelligens, eſt corpus. Secundo. Corpus nullum corporis

poris alterius ſubſtantialem formam poteſt excipere,niſi interuenien-te corruptione,ſuam perdiderit,vt experimenta teſtantur. Intellectus autem ex eo quod corporum omnium formas exceperit,corrumpitur minime,verum perficitur magis,intelligendo enim perficitur: intelligit autem ex eo vel maxime,quod in ſe intellectorũ formas excipiat. Igitur ſequitur idem quod priore ratione. Tertio. Indiuiduorũ eiuſdem ſpeciei diuerſitatis principium, eſt diuiſio quantitatiua materiæ: huius enim ignis forma,ab ignis illius forma non alia ratione ſecernitur, niſi quod ſint in diuerſis partibus p quas materia diuiſa eſt haud dubium diuiſione quantitatis ſolius, ſine qua materia vtique indiuiſibilis eſt. Quod autem recipitur in corpore, ſecundum quantitatis diuiſionem recipiatur oportet. Ergo forma non recipitur in corpore niſi vt indiuiduata. Si igitur intellectus eſſet corpus,formæ rerum intelligibiles in eo minime reciperentur,niſi vt indiuiduatę.Intelligit vero intellectus res per rerũ formas apud ſe habitas. Non ergo intelligeret vniuerſalia, ſed particularia ſola, quod falſum experimur. ergo idem. Quarto. Secundum ſuam ſpeciem ſolam agit omne agens,quippe cuilibet agenti ſua forma,a qua ſpeciẽ nãciſcitur, eſt agẽdi principiũ. Igitur ſi intellectus corpus eſt, intellectus operatio ordinẽ corporum non excedit. Igitur ſola corpora intelligat neceſſe eſt,cuius oppoſitũ experimur in nobis,qui nõ ſumus intellectus,ſed habemus intellectũ, ideſt animam intellectiuam. ergo idem. Quinto. Si ſubſtantia intellectus eſt corpus, aut finitum igitur,aut infinitũ corpus ſit oportet. Non autem erit corpus infinitum,quippe tale eſſe non poſſe actu, in Phyſicis oſtenſum eſt, & nos ſupponamus.Igitur ſi corpus eſt, corpus finitum eſt.Hoc vero eſſe impoſsibile vel ex hoc pateat,quod in nullo finito corpore infinita potentia eſſe poteſt, vt etiam in Phyſicis demonſtratum eſt: potentia vero intellectus quodammodo infinita eſt, quippe qui infinitum intelligat, numerorum ſpecies ſemper augẽdo, & ſimiliter figurarum ac proportionum: vniuerſale quoq; cognoſcit, puta,hominem vel animal, quod ſecundum ſuum ambitũ virtute infinitum eſt,quippe quod infinita indiuidua ſub ſe cõtinere poſsit. Ergo ſubſtantia intellectualis corpus non eſt. Sexto. Impoſsibile eſt duo corpora in inuicem ſe concludere & continere,quippe continens ſemper contentum excedat oportet. Duo vero intellectus ſe inuicem continent & comprehendunt,quippe qui ſe inuicem intelligũt. ergo idem. Septimo. Nullius corporis actio ſuper agens ipſum reflecti poteſt.oſtenſum eſt enim in Phyſicis nullum corpus a ſeipſo moueri,niſi forte ſecundum partem:ita videlicet quod vna pars eius mouẽs ſit, & alia mota. Intellectus vero ſupra ſeipſum agẽdo reflectitur,quippe qui ſeipſum non ſecundum partem modo, verumetiam ſecundũ totũ

intelligat.

intelligat. Ergo idē. Octauo. Actio corporis ad actionē aliquam minime terminatur: ſicut nec motus ad motum, vt in Phyſicis probatū eſt. Actio autem ſubſtantiæ intelligentis, ad actionē terminari poteſt, quippe intellectus ſicut rem intelligit, ita & ſe intelligere vtique intelligit, & ſe intelligere ipſum intelligere, & ſic in infinitum: vnde ſubſtantiam ex toto intelligentem eſſe corpus impoſsibile eſt. Quæ vero habet partem intellectiuam, & partem non intellectiuam, vt homo, corpus vtique eſſe poteſt.

Aliquas eſſe ſubſtantias intellectuales incorporeas. CAP. VII.

ET ſi vero ex dictis iam haberi poteſt, aliquas eſſe ſubſtantias intellectuales omnino incorporeas, quas Philoſophi intelligentias, Chriſtiana vero pietas angelos dicit; id tamen clarius ex ſequentibus punctis eluceſcet.

Primum. Nulla ſubſtantia intellectualis alteri corpori elementari vniri vt forma poteſt, quā humano. Notanter dicitur elementari, quatenus a cæleſtibus præſeruemur, de quibus an animas habeant, vt ſol, luna & vniuerſaliter aſtra, dubitatio & inter philoſophos, & inter ipſos theologos fideles extitit, quam equidē quæſtionem conſulto prętereo, quod noſtro inſtituto nihil attinet. Notanter etiā dicitur, vt forma, propterea quod aliud ſit eſſe motorem, atque aliud eſſe formam: vnde qui cæleſtia corpora ab intelligentia animari formaliter negant, admittunt tamen intelligentiam etiam eis vniri vt motorem mobili, & equidem naturaliter proportionato, & commenſurato ac proprio. Sic ergo præſens punctum deducitur philoſophice. Si enim natura intellectualis alteri corpori elementari, quam humano vnitur vt forma, vtiq; aut mixto, aut ſimplici vniatur oportet, cum inter hæc medium ſit nullum. Non poteſt autem vniri mixto, quia illud a toto ſuo genere oporteret eſſe complexionis maxime temperatæ inter omnia mixta, cum talia cernamus tanto nobiliores formas ſortiri, quāto magis ad complexionis temperamentum attingunt: conſequenter autem quod formam nobiliſsimam vtpote ſubſtantiam intellectualem nāciſcitur, temperatiſsimum ſit oportet: vnde etiam videmus carnis mollitiē, & tactus bonitatem æqualitati complexionis atteſtantia, ſigna eſſe bonitatis intellectus. Complexio vero maximæ æqualitatis vna tantum ſit oportet, & ea eſt, quæ humano corpori congruit. Igitur ſi intellectualis ſubſtantia alicui corpori mixto vniatur, illud eiuſdem naturæ cum humano corpore ſit oportet; forma quoque eius neceſſario eiuſdem naturæ erit cum humana anima: & conſequenter inter hominē & animal illud differentia ſpecifica minime erit. Similiter autē neq;

corpori ſimplici,puta vni quattuor elementorum vniri poteſt intellectualis ſubſtantia. Primo. Nam vnumquodque corpus eiuſmodi & in toto, & in partibus ſimile eſt: eiuſdem enim naturæ ac ſpeciei totus aer & pars aeris eſt; & tota aqua, & aquæ pars: habet enim eundem motum, & itidem de alijs eſt. Similibus autem mobilibus & motibus, ſimiles formæ debentur. Si igitur dictorum corporum aliqua pars animata ſit anima intellectuali, puta aeris, aer totus, omneſque aeris partes eadem ratione ea anima erunt animata. Hoc autem manifeſte & plane falſum eſt:nulla enim operatio vitalis in aeris aut alterius elementi partibus apparet. Non igitur alicui parti aeris, vel ſimilium corporum, ſubſtantia intellęctualis vnitur vt forma. Secundo. Si alicui corporum ſimplicium ſubſtantia aliqua intellectualis vnitur vt forma,aut intellectum tãtum habebit, aut etiam potẽtias alias,puta ſenſitiuas,aut nutritiuas,vt in homine liquet.Et equidem ſi intellectum tantummodo habet, corpori fruſtra vniatur oportet: omnis enim forma corporis aliquam habet operationem propriã per corpus; intellectus autem nullam habet operationem ad corpus pertinentẽ,niſi ſecundum quod mouet corpus: intelligere enim non eſt operatio talis,quæ per corpus expleatur,vt probat Ariſt.3.de Anima,& pari ratione etiam velle.Elementorum etiam motus ſunt a mouentibus naturalibus,ideſt generantibus,nec mouẽt ſeipſa,vnde propter eorum motum ea eſſe animata non oportet.Si vero dicta ſubſtantia habet etiam alias potẽtias animę,cum partes illæ aliquorum organorum partes ſint, oportebit in partibus elementorum diuerſitatẽ organorum eſſe,quod ſenſui & ſimplicitati eorum vtiq; repugnat. Non ergo ſubſtantia intellectualis alicui elemento, aut eius partibus vniri poteſt. Tertio.Quanto aliquod corpus eſt propinquius materiæ primæ, tanto eſt ignobilius: quippe quod magis in potentia & minus in actu completo ſit. Elementa autem ipſa,materiæ primæ ſunt propinquiora quam mixta corpora,cum & ipſa ſint mixtorum corporũ materia prima.Sunt igitur elementorum corpora ſecundum ſpeciem ſuã ignobiliora corporibus mixtis. Cum ergo nobilioris corporis nobilior forma ſit oporteat, impoſsibile eſt formarum nobiliſsimam animam, ſcilicet intellectualem,elementorum corporibus vniri. Quarto. Si corpora elementorum,aut eorũ partes aliquæ nobiliſsimis animabus, quæ ſunt intellectuales animæ,animata forent, quanto aliqua corpora elemẽtis viciniora ſunt, propinquiora quoq; ad vitam ſint oportet, quæ eſt ab anima.Hoc vero minime apparet, verum contrarium magis: nam plantæ minus habent de vita quam bruta, cũ tamen elemẽto terræ viciniores ſint: mineralia quoq;,quæ adhuc propiora ſunt,de vita habent nihil.Non igitur ſubſtantia intellectualis aut elemẽto,aut-

G parti

parti elementi vnitur. Quinto. Nam omnium viuentiũ corruptibiliũ vita, per cõtrarietatis excellentiã corrumpatur oportet: bruta enim & plantæ ab excellenti calido & frigido, humido ac ſicco mortificantur. In corporibus vero elementorũ harũ cõtrarietatũ excellentiæ præcipue ſunt. Impoſsibile igitur eſt in eis eſſe vitã, & conſequẽter intellectualẽ ſubſtantiã eis eſſe vnitã eo modo quo forma. Sexto. Elementa, & ſi ſecundum totũ ſunt incorruptibilia, partes tamen ſingulæ corruptibiles ſunt, vtpote quæ contrarietati ſubiectę ſint. Igitur ſi hæ partes ſubſtantias cognoſcentes habent vnitas, maxime videtur eis cõpetere vis diſcretiua corrumpentiũ: quæ equidẽ ſenſus tactus eſt, qui calidi & frigidi, ac ſimilium contrarietatũ diſcretiuus eſt: propter quod etiam quaſi neceſſarius, vt a corruptione præſeruet, omnibus animalibus adeſt. Hunc aũt ſenſum ineſſe corpori ſimplici impoſsibile vtiq; ſit oportet, cum organum tactus oporteat contrarietatibus actu carere, & ſi non potentia; quod ſolũ in mixtis temperatis cõtingit. Igitur impoſsibile dixeris aliquas elemẽtorũ partes animatas fore anima cognitiua, nedũ intellectiua. Septimo. Omne corpus viuens aliquo modo ſecundũ animã localiter moueatur oportet: nam corpora cæleſtia, ſi tamen animata ſunt, circulariter rotata mouentur: animalia vero perfecta motu progreſsiuo; oſtrea vero & ſimilia motu dilatationis & conſtrictionis; plantæ quoque motu augmenti & decrementi, quod eſt vtcunque localiter moueri. Sed in elementis, motus qui ſit ab anima, apparet nullus, ſed naturalis tantummodo ſurſum vel deorſum: aut circularis quantum ad ignem, aut aerem attinet, quæ ex cæli motu & ipſa rotantur. Non ſunt igitur corpora viuentia.

Punctum ſecundũ. Si vero dicatur, quod ſubſtantia intellectualis, & ſi elemento vel parti eius nõ vnitur vt forma, vnitur tamẽ vt motor proprius & cõnaturalis eo modo, quo intelligẽtiæ corporibus cęleſtibus vniũtur, vt infra probabitur: primũ quidẽ in aere hoc dici impoſsibile eſt. Nã cũ pars aeris per ſeipſam terminabilis nõ ſit, nõ poteſt pars eius aliqua determinata motũ propriũ habere, gratia cuius rei intellectualis ſubſtãtia illã motura iũgatur. Et præterea, ſi qua ſubſtãtia intellectualis vnitur alicui corpori naturaliter ſicut motor proprio mobili, oportet ſubſtãtiæ illius virtutẽ motiuã limitari ad corpus mobile, cui naturaliter vnitur: nã cuiuſlibet motoris proprij virt⁹ in mouẽdo propriũ mobile nõ excedit: alioquin natura operãdo ſupefflueret, faciẽdo per maius, quod æque bene poteſt facere per minus. Ridiculũ autẽ videtur dicere, virtutẽ cuiuſq; ſubſtãtiæ intellectualis aliquã determinatã partẽ alicuius elemẽti, aut corp⁹ mixtũ in mouẽdo nõ excedere. Nõ ergo dicendũ videtur, quod aliqua ſubſtãtia intellectualis vniatur alicui corpori elemẽtari, aut ſimplici aut mixto naturaliter vt motor,

niſi etiã ſibi vniatur vt forma. Preterea, Motus corporis elemẽtaris ex alijs principijs cauſari poteſt, quã ex ſubſtãtia intellectuali. Igitur ſuperfluũ eſſet gratia motuũ huiuſmodi ſubſtãtias intellectuales corporibus elementaribus naturaliter vniri. Ex ijs vero corollarie liceat inferre, falſam eſſe opinionem Apuleij, & quorũdam Platonicorũ, qui dixerunt dæmonia eſſe animalia corpore aerea, mente rationalia, animo paſsiua, tempore æterna: falſam quoq; itidẽ eſſe quorundã Gentilium ſententiam, quod elemẽta ſint animata, ac perinde more deorum colenda: falſam itidem eſſe opinionem dicentium angelos & dęmones habere corpora naturaliter vnita; quæ quidem corpora de natura eſſe ſuperiorum vel inferiorum elementorum aſtruebant.

Punctum tertium. Sunt ergo aliquæ ſubſtantiæ intellectuales corporibus nõ vnitæ, quas intelligentias vel angelos dicũt ſiue bonos, ſiue malos. Vt vero Chriſtiani, qui theologis minus quàm philoſophis credunt, erubeſcant; rationem Ariſt. ad hoc probandum vltimo loco relinquẽtes, id ex ſacris theologis aſtruamus, vt horum rationes quantũ numero & virtute Ariſtotelicæ præſtent, quiſq; vel rudis intelligat.

Arguitur ergo ſic. Primo. Nam quod ſupra alias oſtenſum eſt, & nunc ab omnibus eſt confeſſum, ſupponentes videlicet, quod deſtructis corporibus humanis, ſubſtantia intellectualis quæ perpetua maneat, ſic proceditur. Nam ſi ſubſtantia intellectus, quæ remanet vna ſit omnium, ſicut quidam, ideſt Auerroes & Auerroiſtæ dicunt, aut verius fingunt; neceſſario ſequitur, eam ſecundum ſuum eſſe a corpore eſſe ſeparatam, ſicque noſtra intentio ſtabilita eſt, quod ſcilicet aliqua intellectualis ſubſtantia ſine corpore ſubſiſtat. At vero ſi corporibus deſtructis, plures intellectiuæ animæ manent, aliquibus ſubſtãtijs intellectualibus ſine corpore ſubſiſtere conueniat oportet: præſertim cum animam de corpore tranſire ad corpus, alias oſtenſum eſt; & nunc ſupponatur eſſe impoſsibile. Non tamen animabus conuenit per ſe ea ſubſiſtentia, quam habent a corpore ſeparatæ, ſed per accidens tantum, cum naturaliter ſint corporum formæ, & naturaliter appetant eſſe in corpore, vt experimur: & probat ratio, quippe omnis pars in ſuo toto eſſe cupit. Vnde hinc naturali ratione etiam ad futurã reſurrectionem argumentamur, quaſi ſcilicet eſſe animę extra corpus, cum ſit contra naturam, nõ poſsit eſſe perpetuũ. Cum autem eo quod eſt per accidens, prius ſit id quod eſt per ſe, etiã aliquę ſubſtãtiæ ſeparatæ animabus priores per ſe ſeparatæ ſint oportet. Secũdo. Quicqd de ratione generis eſt, puta animalis, de ratione quoq; ſpeciei ſit oportet, puta hominis; nõ tñ ecõtra, de rõne generis eſt quicquid eſt de ratione ſpeciei: ſicut rõnale de rõne eſt hominis, nõ aũt aĩalis. Quicquid vero eſt de rõnę ſpeciei, & nõ gñis, vt rõnale, nõ eſt neceſſe omnibus

ſpeciebus generis ineſſe.multę enim ſunt brutorũ ſeu irrationabilium animalium ſpecies.Subſtantiæ autẽ intellectuali cõuenit ſecundũ ſuũ genus quod ſit per ſe ſubſiſtẽs,cum habeat per ſe operationẽ, ideſt intelligere, quod nullũ habet organum corporale per quod expleatur; immo oportet ab omni corpore eſſe denudatum, alioquin intelligere nequiret omnia corpora, vt deducit Ariſt. ſicut nec pupilla videret omnes colores,ſi aliquem haberet innatum.De ratione vero rei per ſe ſubſiſtentis non eſt quod alteri vniatur, alioquin omnis ſubſtãtia corporea in ſpecie completa vniretur alteri ad conſtituẽdam aliã in infinitum,quod eſt inſanire. Non eſt igitur de ratione ſubſtantiæ intellectualis ſecundũ ſuum genus,quod ſit corpori vnita: & ſi hoc ſit de ratione alicuius ſubſtantiæ intellectualis,quæ eſt anima. Sunt igitur aliquę ſubſtantiæ intellectuales corporibus nõ vnitę. Tertio. Nam ſuperius in ſuo vltimo ſemper inferius cõtingit in eius ſupremo, ſicut & in corporibus integrantibus mundum, ſuperficies concaua ſuperioris & conuexa inferioris adeo ſe contingunt,quod mathematice ſiue ſitu ſunt vna;phyſice tamen, ſiue ſubiecto ſunt duæ.Natura autem intellectualis eſt corporali ſuperior, & eam contingit ſecundum aliquam partem ſui,quæ eſt anima rationalis. Oportet igitur quod quemadmodum corpus perfectum rationali vel intellectiua anima in genere corporũ ſupremũ eſt: ita anima rationalis,quæ vnitur corpori in genere ſubſtantiarũ intellectualiũ infima ſit.Sunt igitur aliquæ intellectuales ſubſtantiæ,non vnitæ corporibus,ſuperiores anima ſecundum ordinẽ naturæ. Quarto.Si quid in genere quopiã imperfectũ inuenitur,ante illud in genere eodẽ naturę ordine aliquid perfectũ ſit oportet;perfectũ enim imperfecto natura prius eſt: Quia licet hoc indiuiduum, quod modo generatur,puta bos,aut equus,vel homo,prius imperfectũ ſit, deinde vero perfectũ: in quolibet tamen genere horũ oportet imperfecta a perfectis oriri,non econtra. Vnde ſimpliciter perfecta ſunt priora, & actus prior potẽtia,vt patet in 10. Metaphy.Formæ aũt quę ſunt in materijs,actus imperfecti ſunt, quippe quæ nõ habeãt eſſe cõpletum.Sunt igitur aliquæ formæ,quæ ſunt actus completi per ſe ſubſiſtẽtes in cõpleto eſſe vel ſpecie. Omnis vero forma per ſe abſq; materia ſubſiſtẽs eſt ſubſtãtia intellectualis:Immunitas enim materię cõfert eſſe intelligibile,cuius ſignũ eſt: qa vnũquodq; eſt cognitiuũ magis vel min⁹ ſecũdũ remotionẽ a materia,vnde maxime materialia nõ cognoſcũt,vt elementa, mineralia, & plantæ: Et cõſequẽter quod eſt in ſummo gradu immaterialitatis, vt quia eſt immateriale, in ſummo gradu cognitionis,q eſt intellectiuũ eſſe, ſit oportet,ſecũdũ regulã logicalẽ:Sicut ſic ad ſic,& magis ad magis,ita maxime ad maxime.Sunt ergo aliquę ſubſtãtię intellectuales corporib⁹ nõ vnitę. Quinto.Subſtantia

ſtantia ſine quātitate eſſe poteſt, & ſi nō econtra: ſubſtātia enim aliorū generū prima eſt tēpore, ratione, & cognitione apud Philoſophos. Nulla autem ſubſtantia corporea eſt ſine quantitate. Poſſunt igitur quædam eſſe in genere ſubſtantiæ abſque corpore omnino. Omnes autem naturæ poſsibiles in rerum ordine inueniuntur, aliter enim vniuerſum imperfectum eſſet; in ſempiternis etiam non differt eſſe & poſſe. Sunt igitur aliquæ ſubſtantiæ abſque corporibus ſubſiſtentes poſt primam, quæ Deus eſt, qui in genere non eſt, vt per ſe confeſſum eſt; & ſupra animam, quæ corpori vnita eſt. Sexto. Si ex duobus aliquibus inuenitur aliquid compoſitum, & alterum eorum inuenitur per ſe; quod eſt minus perfectum, etiam reliquum quod eſt perfectius, & reliquo minus egens, per ſe inueniatur neceſſe eſt. Inuenitur autem aliqua ſubſtantia compoſita ex ſubſtantia intellectuali & corpore, vt per ſe de homine patet: corpus autem inuenitur per ſe ſine natura intellectuali, ſicut in brutis ac plantis, & in omnibus inferioribus corporibus. Igitur multo fortius ſubſtantiæ intellectuales corporibus non vnitæ, inueniantur oportet. Septimo. Subſtantiam rei, ſuæ operationi proportionatā eſſe neceſſe eſt: eo quod operatio rei actus ſit, & bonum ſubſtantiæ operantis: maximeque ea, quam immanentē vocant: actus enim in ſuſceptiuo diſpoſito & conuenienti ſit oportet: Subſtantiæ autem intellectualis operatio propria intelligere eſt, vt cōfeſſum eſt. Igitur intellectualem ſubſtantiam talem eſſe oportet, quæ dictæ operationi congruat. Intelligere autem cum operatio ſit per organum corporeum non exercita (nullus enim Philoſophus aut Medicus vnquam potuit intellectui organū deſignare, ſed ſolum phantaſię & ceteris ſenſibus) non indiget corpore niſi ea ratione quod intelligibilia a ſenſibilibus ſūmuntur: omnis enim noſtra cognitio a ſenſibus proficiſcitur, Ariſt. & experientia docentibus. Hic autem modus intelligendi imperfectus eſt: perfectus enim eſt, vt ea intelligantur, quæ ſecundum ſuam naturam intelligibilia ſunt. Quod vero nō intelligantur niſi ea quæ ſecundum ſe intelligibilia non ſunt, ſed fiunt intelligibilia per intellectum accipientem, ac abſtrahentem a ſenſibus, imperfectiſsimus modus intelligendi eſt. Si igitur ante omne imperfectum in quolibet genere oportet eſſe perfectum aliquod, vt probatū eſt; oportet ante animas humanas intelligentes per dictum imperfectum modum, aliquas eſſe intellectuales ſubſtantias, quę ea intelligāt, quæ ſecundum ſe intelligibilia ſunt, a ſenſibus cognitionem minime capientes, ac per hoc omnino a corporibus ſeparatas. Octauo ac vltimo argumētatur per rationem Ariſt. Nam ipſe. 12. Met. tex. com. 43. ſic argumentatur. Motum continuum regularem, & quantum in ſe eſt indeficientem, oportet eſſe a motore, qui nec per ſe, nec per accidens

cidens moueatur: propterea enim motus animaliũ non eſt perpetuus, quia mouens,ideſt anima per accidens mouetur moto corpore; & cõſequenter mouens non ſemper eſt in eadẽ diſpoſitione mouendi: Plures etiam motus oportet eſſe a pluribus motoribus. Motus autem cæli continuus, & regularis, & quantum in ſe eſt, indeficiens eſt, & præter primum motum,ſunt multi tales motus in cælo, vt Aſtrologorum con ſideratio manifeſtat. Igitur eſſe oportet plures motores, qui non moueantur nec per ſe,nec per accidens. Nullum autẽ corpus mouet motu locali pręciſe, niſi localiter moueatur:quippe oportet quod impellat,vel trahat,vel giret;quæ omnia ſine locali motu mouentis minime perficiuntur: motor autẽ incorporeus vnitus corpori mouetur per accidens ad motum corporis, vt de anima liquet. Oportet igitur eſſe plures motores,qui non moueantur,neq; ſint corpora, neque corporibus vniti. Motus autẽ cæleſtes ſunt ab aliquo intellectu, vt infra probabitur. Sunt igitur plures ſubſtantiæ intellectuales corporibus non vnitæ. Quod etiam Diony.4.cap.de di.no.firmat, dicẽs angelos & immateriales,& incorporeos eſſe. Per hoc vero Sadducęorum poſitio tollitur,qui dicunt,ſpiritum non eſſe. Et poſitio antiquorum naturalium, qui dicebant,omnẽ ſubſtantiam eſſe corpoream. Et poſitio Origenis. quod nulla ſubſtãtia poſt diuinam Trinitatem abſque corpore ſubſiſtere poteſt. Et poſitio multorum aliorum,quod angeli & boni, & mali habeant corpora naturaliter vnita.

Punctum quartum. Subſtantiæ intellectuales incorporeę ab anima humana ſpecifice diſtinguntur. Primo. Maior eſt differentia animæ humanæ ad ſubſtantiam ſeparatam,quã vnius talis ſubſtantię ab alia. Subſtantiæ autem ſeparatæ omnes adinuicem ſpecie diſtinguntur, vt oſtendetur puncto ſequẽti, Multo igitur magis, & ſubſtantia ſeparata, quam intelligentiam dicunt,ſpecie differt ab anima. Secundo. Vnaquęq; res habet proprium eſſe,ſecundum rationem ſuæ ſpeciei:quorũ enim ratio eſſendi diuerſa eſt, horũ ſpecies quoq; diuerſa ſit oportet. Eſſe vero humanæ animæ & intelligentiæ non eſt unius rationis: nam in eſſe ſubſtantiæ ſeparatæ corpus communicare non poteſt, ſicut in eſſe humanæ animæ poteſt:quippe quæ ſecundum eſſe vnitur corpori ſicut forma materiæ. Anima igitur humana ab angelicis ſpiritibus ſpecie differt. Tertio. Quod ſecundũ ſeipſum ſpeciẽ habet,cũ eo quod ſecundum ſe ſpeciem nõ habet, eiuſdem ſpeciei eſſe nequit. Subſtãtia autem ſeparata habet per ſe ſpeciẽ, vt liquet; quia pars compoſiti ex materia & forma eſſe nequit,eſſet enim corporea: anima vero ſpeciẽ per ſeipſam non habet, ſed pars eſt humanæ ſpeciei. Impoſsibile eſt igitur quod eiuſdem ſpeciei ſit cũ ſubſtantijs ſeparatis. Quarto. Species rei ex propria operatione percipitur; operatio enim virtutem, &

virtus

virtus eſſentiam demonſtrat. Propria autem operatio animæ humanę eſt intelligere, accipiẽdo a phãtaſmatibus & ſenſibus, vt experiẽtia teſtatur, non autẽ ſubſtantiæ ſeparatæ, cũ non habeat organa corporea, in quibus oportet eſſe phantaſmata & ſenſus; vnde eſt alius omnino modus intelligendi vtriuſq;. Non ſunt igitur hæc eiuſdem naturæ vel ſpeciei. Quinto. Vbi ſunt partes diuerſæ, & multo fortius vbi vnũ habet compartẽ, & non aliud, nõ poteſt eſſe ſpecies vna, quippe cum partium diuerſitate non ſtat vnitas totius. Sed intelligentia & anima humana ſunt eiuſmodi: quia anima habet corpus compartem hominis: intelligentia autem eſt ſine corpore, vt probatum eſt. Non ſunt ergo vnum ſpecie rationalis anima & angelus.

Punctum quintũ. Sed neq; aliquę duæ intelligentiæ conueniunt in vna ſpecie: verũ omnes ſunt ſpecie differẽtes. Primo. Oſtenſum eſt enim quod intelligentiæ ſunt quędam quidditates ſine corpore ſubſiſtentes: Species autẽ rei eſt, quam ſignificat diffinitio, quę ſignum eſt quidditatis rei: vnde quidditates ſubſiſtentes ſunt ſpecies ſubſiſtentes. Plures ergo ſubſtantiæ ſeparatę eſſe non poſſunt, niſi ſint ſpecies plures. Secũdo. Quæcunq; ſunt idem ſpecie, numero vero differũt, materiã habeant oportet: differentia enim quæ eſt ex forma, ſpeciem: quæ vero eſt ex materia, numerũ variat. Subſtantiæ autẽ ſeparatę nõ habẽt omnino materiã, neq; q̃ ſit pars earũ, neq; cui vniãtur vt formę. Igitur plures eiuſdẽ ſpeciei eſſe, eſt omnino impoſſibile. Tertio. Nã in rebus corruptibilibus ad hoc in ſpecie vna ſunt indiuidua plura, vt natura ſpeciei, quę perpetuo in vno indiuiduo ſaluari non poteſt, ſaluetur in pluribus: vnde etiã in corporibus incorruptibilibus, in ſpecie vna nõ eſt niſi indiuiduũ vnum, vt vnus ſol, vna luna. Subſtantię vero ſeparatæ natura in indiuiduo vno perpetuo ſaluari poteſt: quippe incorruptibilis eſt, vt alias probatũ eſt. Non igitur oportet eſſe in eis indiuidua plura ſub ſpecie vna. Quarto. In vnoquoq; id quod eſt ſpeciei, eo quod eſt indiuiduationis principium nobilius eſt, præter rationem ſpeciei exiſtens. Igitur ſpecierum multiplicatio plus perfectionis pluſque nobilitatis vniuerſo addit, quam multiplicatio indiuiduorum in ſpecie vna. Perfectio autem vniuerſi maxime conſiſtit in ſubſtantijs ſeparatis. Magis igitur competit ad vniuerſi perfectionem, quod plures ſint ſubſtãtię ſecundum ſpeciem diuerſæ, quam quod in eadem ſpecie multæ ſint ſecundum numerũ. Quinto. Corporibus cæleſtibus intelligentiæ potiores ſunt & perfectiores: In corporibus autem cæleſtibus propter eorum perfectionem non inuenitur in ſpecie vna niſi indiuiduum vnum; tum quia vnumquodque eorum conſtat ex materia tota ſuæ ſpeciei: tum quia in indiuiduo vno eſt perfecte virtus ſpeciei ad complendum illud in vniuerſo,

ad quod ſua ſpecies ordinatur, ſicut in ſole & luna præcipue patet. Multo igitur magis in ſubſtantijs ſeparatis non inuenitur niſi indiuiduum vnum in ſpecie vna.

Quid de ſubſtantiarum incorporearum ſeu intelligentiarum natura ac numero Philoſophi ſenſerint, præcipue Plato & Ariſtoteles. CAP. VIII.

QVIA vero iam aliquas intelligentias, aut angelos eſſe monſtrauimus, ſupereſt vt etiam de numero eorum aliquid dicamus; ſic enim etiam plenius diabolica figmenta detegemus; quod in toto hoc opere eſt noſtrum principalius inſtitutum. Hoc autem multis punctis faciemus, prius tamen Gentilium falſas opiniones prælibantes.

Punctum primum. De natura rerum qui primo, ideſt ante omnes alios philoſophari cęperunt, ſola corpora in rerum natura eſſe exiſtimantes, prima rerum principia corpora aliqua ſiue elementa poſuere, aut vnum, aut plura, quibus omnibus eorumque ſequacibus videbatur nullas eſſe ſubſtantias incorporeas, quas nos angelos dicimus: ſed eorum quiſq; illud idem elementum, cui auctoritatem principij aſcribebat, deum putauit. Verum Epicurei ex doctrina Democriti originem trahentes, poſuerunt quoſdam deos corporeos quidem, ſed tamen in effigie humana, & penitus ocioſos, nihil curantes, vt fruendo voluptatibus beati eſſent. Huic autem opinioni antiqui reſtiterunt. Anaxagoras enim primus, & ſi cum cæteris naturalibus Philoſophis principia corporalia poneret; primus tamen inter Philoſophos poſuit rerum incorporale principium, ideſt intellectum, credens corporalia omnia quæ ſunt, cum eſſent mixta, non poſſe diſtingui, niſi per omnino immixtum nihil habens commune cum reliquis. Licet autē opinio hæc cęteris verior ſit, quæ ſolum materialem naturam ponebant, tamen a veritate multipliciter deficit. & quidem primo, quia vnicum intellectum poſuit, qui mundum fecit diſtinguendo commixta, qui eſt Deus, & conſequenter de angelis nihil edocuit. Secundo, quia intellectum illum non poſuit vniuerſale eſſendi principium, verum diſtinguendi ſolum: quippe qui non dicebat corpora commixta ab eo intellectu eſſe, ſed ſolum diſtingui: vnde iſte ſuus intellectus videtur fuiſſe ſimilis in officio intelligentiæ, quę mouet primum cælum, vel certe ſolem, quæ herbas in elemento terræ confuſas & cōmixtas inde educendo diſtinguit. Præter hoc tamen debuiſſet alium intellectum poſuiſſe, qui res commixtas effeciſſet.

Punctum ſecundum. Contra hanc autem opinionem primorum philoſophorum naturalium, ſufficientiori via Plato proceſsit, dicens naturas

naturas quaſdam a materia fluxibilium ſeparatas, in quibus veritas fixa reſideret, quibus hęrendo, humana anima cognoſceret veritatem: contra ſentẽtiam antiquorũ, qui omnes cõcorditer aſſeuerabant certam rerũ veritatẽ minime poſſe ſciri, quod corporalia in fluxu iugiter eſſent, ac perinde ſenſus noſtros decipi, qui ſola corpora diſcernunt. Poſuit autem Plato duo rerum genera a ſenſibilibus abſtracta, mathematica ſcilicet, vt quantitates; & vniuerſalia, quæ dicebat ſpecies vel ideas: & id ea ratione, quia exiſtimauit aliqua ita eſſe abſtracta & ſubſiſtentia in re, ſicut ſunt in noſtri intellectus apprehenſione, qui id quod in ſenſibilibus eſt, ſine ſenſibilibus apprehẽdit, vt hominẽ ſine hoc & illo homine, puta, Sorte & Petro: quod quidem intellectus noſter dupliciter efficit; primo videlicet abſtrahendo mathematica a materia ſenſibili, vt dum ſuperficiem ſine colore ſpeculatur; vel abſtrahendo vniuerſalia a ſingularibus, vt hominem a Socrate & Platone. Mathematica autẽ poſuit media inter ſpecies & ſenſibilia: quod cum illis conueniant in eſſe ſeparata, & cum his in eſſe plura in ſpecie vna; poſſumus enim in mathematicis plura apprehendere vnius ſpeciei, puta, duas lineas æquales, quod non eſt in ſpeciebus: quippe homo in vniuerſali, & ſecundum ſpeciem eſt vnus tantum. In ſpeciebus quoq; talem ordinẽ ſtatuit, vt quod in intellectu ſimplicius erat, etiam in rerum ordine prius eſſet. Itaque primum rerum principium & Deum ſummum dicebat primam ideam vnius, quod nominabat ſecundũ ſe vnum, & ſecundũ ſe bonũ, quia primũ quod eſt in intellectu, inquiebat, eſt vnum, & bonũ; quippe qui non intelligit vnum & bonum, nihil intelligit: vnum autẽ & bonũ ſe conſequuntur. Sub hoc aũt vno primo diuerſos ordines participantiũ & participatorũ ſtatuebat in ſubſtantijs a materia ſeparatis, quos quidẽ ordines omnes deos ſecundos dicebat, quaſi quaſdam vnitates ſecundas poſt primam & ſimplicem vnitatem. Rurſus, quia omnes aliæ ſpecies participant vno, ita etiam intellectus, ad hoc quod intelligat, oportet entium ſpeciebus participet: vnde ſicut ſub vno Deo, qui eſt vnitas prima ſimplex, ſunt aliæ rerum ſpecies quaſi vnitates ſecundæ, & dij ſecundi: ita ſub ordine harum ſpecierum, ſeu vnitatum ponebat ordinem intellectuum ſeparatorum, qui ſupra dictis ſpeciebus participarent ad hoc quod actu intelligẽtes forent, inter quos tanto quiſque erat ſuperior, quanto primo intellectui propior, qui ſpecierum participationẽ pleniſsimam habere dicebatur; ſicut & in dijs, & vnitatibus, tanto quiſq; erat ſuperior, quanto vnitatem primam perfectius participabat. Nec tamen per ſeparationem intellectuum a dijs excludere volebat intelligentiam, qua intelligentes eſſent; ſed volebat quod ſuperintellectualiter intelligerent per ſeipſos, & nõ participatione ſpecierum: ita

tamen,quod nullus eſſet vnus vel bonus,niſi primi vnius & boni participatione. Tertium quoque ordinem ſtatuebat animarum, quarum ſuperiores tantum intellectiuam virtutem participarent; Non enim anima intelligit ex eo quod anima: alioquin intelligeret anima omnis; & anima ſecundum totum id quod eſt,eſſet intellectus: cuius contrarium experimur; quippe nec bruta vel plantæ intelligunt, nec in homine vires ſenſitiuæ aut vegetatiuæ ſunt intellectus. Sub animarum vero ordine, quarum proprium dicebat mouere ſe ſecundum ſeipſas,ordinem corporum ponebat: quod ſcilicet per ſe non moueantur,niſi animata ſint,vt per ſe moueri accidat corpori,nō ex eo quod corpus,ſed quod animatum ſit:quæ vero carent anima, ab alio moueantur. Supremū tamen corporum, ideſt primum cęlum, primo motu rotatum,dicebat motum a ſuprema anima participare, & ſic deinceps vſq; ad infimum cæleſtium corporū. Sub ijs autē corporibus poſuere Platonici alia corpora immortalia,quę apud eos perpetuo animas participabant,ſcilicet aerea vel ętherea, quorū corporum quędā dicebāt a terrenis corporibus penitus abſoluta, quæ dicebant corpora dæmonum:quędam vero terrenis corporibus indita,vt corpus quod dicebāt habere animam noſtram incorruptibile & inuiſibile, cum quo eſt & habitat in corpore iſto terreo, quod geſtamus, ſicut nauta in naui eſt: non enim ponebāt hoc corpus, quod videmus immediate participare animam. Dicebat vero Plato hominū ac dęmonū quoſdam bonos, & quoſdam malos eſſe:ſed cæleſtes animas & intellectus ſeparatos, & deos omnes bonos eſſe firmabat. Igitur Plato inter Deum ſummum & nos,quattuor rerū ordines ſtatuebat,vel potius ſomniabat, ſcilicet ſecundorum deorum,intellectuū ſeparatorum, animarum cęleſtium, & dæmonum: qui ordines vniuerſi angelorum nomine cenſerentur, ſi vera docuiſſet: quippe & dæmones in ſcriptura angeli dicuntur,verum ſatanæ: ipſę etiam cęleſtium corporum animę,ſi tamen animata ſunt,de quo alias,inter angelos connumerandæ ſunt,vt in Ench. Aug. diffiniuit. Ex hac narratione liquet,quod ſubſtātiarum immaterialiū multitudinem copioſam valde Plato crediderit.Huius autē Platonicę poſitionis radix efficaciam nō habere,manifeſtum eſt. Non enim eſt neceſſe,vt ea quę ſeparatim intellectus cōcipit & intelligit,ſeparatim etiam in rerum natura conſiſtant,ceu intelligimus hominē non intellecto colore,vel calore,aut frigore: qui tamen ſine ijs eſſe nequit. Vnde nec vniuerſalia,puta hominē, equum,ceruum, oportet ponere ſeparata extra ſingulares homines,equos,aut ceruos,ſubſiſtētia: & ſimiliter nec mathematica pręter ſenſibilia:quippe vniuerſalia ſunt eſſentiæ ipſorum particularium, & mathematica quædam ſunt corporum ſenſibilium terminationes, & vt dicunt, accidentia.

Punctum

Punctum tertium. Et ideo naturæ miraculum ac ſtupor Ariſt. maniſeſtiori & exploratiori via ad ſubſtãtias ſeparatas veſtigandas inceſſit,per viam ſcilicet motus concludens,cum omne quod mouetur moueatur ab alio,& non eatur in infinitum, ſtandum in vno primo mouente immobili,& in vno primo mobili quod mouet ſe.Et vlterius intendens concludere cæleſtis motus æternitatem,& conſequenter infinitatem virtutis mouentis primi (nihil enim æterno mouet,niſi infinita virtus)& conſequenter eius immaterialitatẽ,cũ nulla virtus in magnitudine infinita ſit; vnde oportet,apud ipſum,primũ motorem eſſe incorporeum. Item, cum in genere mobilium appetibile ſit mouens non motum: appetens vero & mouens & motum, cõcludit quod primum mouens immobile eſt ſicut bonum quoddã appetibile,& quod primum mouens ſeipſum eſt primum mobile, quod mouetur per appetitum,quo appetit primũ mouens. Qui equidem appetitus intellectualis eſt, quippe cum in genere appetibilium & appetẽtium primũ eſt quod eſt ſecundum intellectũ: quia appetitus ſenſitiuus nõ poteſt attingere ſecundum ſe bonũ,ſeu ſimpliciter & abſolute, cum tale nõ cadat ſub apprehẽſione ſenſus, verum ſolius intellectus.Igitur primũ mobile & appetens, & intelligens eſt,& conſequenter eſt corpus animatum anima intellectuali,quia nihil mouetur niſi corpus,cõſequenter autẽ omnia cęleſtia corpora,citra primũ,erunt animata anima propria,& habentia vnumquodq; ſuũ appetibile ſeparatũ, quod eſt proprius finis ſui motus,quia vnumquodq; eorum mouetur æterno motu ſicut & primũ. Sic igitur ſecundũ opinionem Ariſt. ſunt multæ ſubſtantiæ ſeparatę nullis penitus vnitę corporibus, quæ fines ſunt cęleſtium motuũ; ſunt & multæ intellectuales ſubſtantiæ cæleſtibus corporibus vnitæ. Harum autẽ numerũ Ariſt.inueſtigare conatur ſecũdũ numerũ cæleſtium motuũ,ſeu cæleſtiũ lationum.Quidã tamen ſectatorum eius,Auicenna, ſcilicet harum numerũ aſsignat,nõ quidẽ ſecũdum motuũ numerũ, ſed magis ſecundũ numerũ planetarũ,& aliorũ ſuperiorũ corporũ,ideſt ſtellati,& ſine ſtellis orbiũ:quod ſcilicet,multi motus ordinari videãtur ad vnius ſtellę motũ.Et quemadmodũ omnia reliqua cęleſtia corpora ſub vno primo cælo continentur, cuius motu omnia alia reuoluuntur:ita quoq; ſub prima ſubſtantia ſeparata, quæ Deus vnus eſt, omnes reliquę ſeparatę ſubſtantię ordinentur oportet, & ſic etiã ſub anima primi orbis,animę omnes cælorũ & orbiũ ſecundorum. Sub corporibus autẽ cæleſtibus,ſecundũ Ariſt.ponuntur animata ſola corpora animaliũ & plantarum,non autẽ elementorum,vt quidã poſuere. Et ſic nullũ corpus animatũ inter nos & cælũ Ariſt.poſuit,quippe ſecundũ eum,nullũ elementum animatũ eſt, conſequẽter autem inter nos & Deum ſolum duplicem ordinem intellectualium

ſubſtantiarum eſſe putauit, animarum ſcilicet cæleſtium, cęleſtia corpora per appetitum & deſiderium mouentium, & earum ſubſtantiarum ſeparatarum, quæ fines ſunt cæleſtium motuum.

Punctum quartum. Et quidem hæc poſitio Ariſtotelis Platonica certior videtur, quod ſcilicet ab his quæ ſenſui manifeſta ſunt, parum ſecedat: eadem tamen minus ſufficientior videtur. Et primo quidem, quod multa ſecundũ ſenſum videantur, quorũ ratio reddi poteſt minime ſecũdũ ea quę ab Ariſt. tradũtur, vt patet in hominibus energumenis, ſeu arreptis a diabolo, & in operibus magorũ, ĩ quibus aliqua fiunt, quę nõ niſi ab intellectuali ſubſtantia fieri poſſunt. Tentauerũt igitur quidã ſectatores Ariſt. vt ex epiſtola Porphyrij ad Enebontem Aegyptium videre licet, ad cęleſtiũ conſtellationũ influxus iſta reducere: quod in quibuſdam eorum minime poſſe fieri manifeſtum eſt, quę nõ niſi ab intellectu proficiſci poſſunt, vt quod idiota arreptitius latine loquatur, vel de ignotis ſciẽtijs aut diſciplinis, vel iuxta vulgare alterius gentis ſibi inauditum: vel quod operibus magorum factę imagines loquantur, reſponſa dantes, aut etiam ſe moueant: horum autem omnium cauſa ſecundũ Platonicos aſsignabitur, ſi per dęmones fieri dicantur. Et ſecundo, quia congruũ non videtur immateriales ſubſtantias ad numerum corporalium ſubſtantiarũ coarctari, quippe ratio finis ex his quę ad finẽ ſunt conuenienter nõ accipitur, ſed econtra: inferiora autẽ propter ſuperiora eſſe quaſi propter finẽ, nullus dubitat, cũ propter nobilius ignobilius ſit. Vnde virtus & magnitudo ſuperiorũ non accipitur cõgrue ex inferiorũ contẽplatione, vt cæleſtiũ corporũ magnitudo, ac numerus ex elemẽtariũ corporũ diſpoſitione, quæ ad illa cõparata quaſi ſunt nihil, in quibus tot ſunt ſpecies quot ſydera. Numerus autẽ, virtus, & diſpoſitio ſubſtantiarũ immaterialiũ longe magis ſubſtantias corporales excedit, quam cæleſtia corpora reliqua excedant. Vnde numerus, virtus, ac diſpoſitio immaterialium ſubſtantiarum, ex cæleſtium motuum vel corporum numero apprehendi perfecte non poteſt. Quod vt euidentius conſtet, ipſum proceſſum Ariſtotelicę probationis aſſumamus. Aſſumit enim primo, quod nullus motus eſſe poteſt in cælo, niſi qui ad alicuius ſtellę delationem ordinatus ſit; quod equidem ſatis probabiliter dictum eſt: omnes enim orbium ſubſtantiæ eſſe videntur propter aſtra, quæ inter cæleſtia corpora & nobiliora, & manifeſtiorem effectum habentia ſunt. Aſſumit deinde, quod omnes ſubſtantiæ ſuperiores impaſsibiles & immateriales fines ſunt, quippe quæ optima quædam ſunt, quod itidem rationabiliter dictum eſt: nam bonum habet rationem finis, vnde per ſe optima in entibus fines ſint aliorum neceſſe eſt. Quod vero concludit hunc eſſe numerum ſubſtantiarum immaterialium, qui

eſt

eſt cæleſtium motuum, ex neceſsitate non ſequitur; eſt enim finis proximus, eſt & finis remotus, nec oportet finem proximum ſupremi cæli eſſe ſubſtantiam primã immaterialem, quę Deus eſt Opt. Max. verum id probabilius eſt, inter Deum & primum orbem, multos eſſe immaterialium ſubſtantiarum ordines, quarum inferior ad ſuperiorem vt ad finem ordinetur, & ad earum infimam ordinetur proxime primus cæleſtis orbis. Oportet enim rem quamlibet ſuo proximo fini eſſe congruentem ac proportionatam quoquomodo: vnde propter maximam immo infinitam diſtantiam primę immaterialis ſubſtantiæ ad primum orbem corporeum, & aliud corpus omne, non eſt probabile quod primus orbis ordinetur ad primam immaterialem ſubſtantiã ſicut ad proximum finem alicuius cæleſtium motuum, ſed ad quãdam intelligentiam creatã: & idem de inferioribus cæleſtibus motibus dici poteſt. Igitur neceſſarium non eſt, nõ eſſe plures immateriales ſubſtantias, quam ſit numerus cæleſtium motuum: quod etiã ipſe Ariſt. præſentiens & prouidens, non induxit hoc quaſi neceſſarium, verum quaſi probabile dictum, dicens: Tot rationabile eſt ſuſcipere: neceſſarium enim dimittatur fortioribus dicere. non enim ſe reputabat idoneum, qui poſſet in talibus aliquid ex neceſsitate concludere. Poſſet etiam alicui videri dictum proceſſum Ariſt. ad ſubſtantias immortales aſtruendas inſufficientem & incõgruum eſſe, quippe qui proceſsit ex ſempiternitate motus, quæ falſa eſt, cum fidei veritati repugnet. Verum ſi quis eius rationem ſolerter inſpiciat, etiã motus æternitate ſublata, proceſſus non tollitur, quippe ſicut ex motus æternitate motoris infinita potentia concluditur; ita idem ex motus vniformitate concludatur oportet. Motor enim qui ſemper mouere non poteſt, neceſſario quandoque tardius, & quandoq; citius mouet, ſecundum quod paulatim motiua virtus eius expirat. in motibus autẽ cæleſtibus omnimoda vniformitas eſt. Vnde vtiq; concludi poteſt, quod motori primi motus ad ſemper mouendum virtus inſit, & conſequenter idem ſequatur oportet.

Punctum quartũ. Ex dictis facile deprehẽdi poteſt, Plat. & Ariſt. in quo conſonent, & in quo diſsideant, quantum attinet ad ſubſtãtias immateriales: conueniunt enim primo in modo exiſtendi ipſarum. Nam Plato omnes immateriales ſubſtantias inferiores citra primam, dixit eſſe vnum & bonum participatione primi, quod ſecũdum ſe eſt vnum & bonum: omne autẽ participans aliquid, ab eo accipit a quo participat, & quantum ad hoc effectus eius eſt: ſicut aer habet lumen participatum a ſole, qui cauſa eſt illuminationis aereæ, & conſequenter apud Plat. ſummus Deus omnibus ſubſtantijs immaterialibus cauſa eſt, quod earum quælibet & vna, & bona ſit: quod etiam Ariſt. ſenſit,

ſit,quippe qui dicit neceſſe eſſe, vt quod maxime ens eſt, alijs eſſendi cauſa ſit. Conueniunt ſecundo quantum ad naturalē ipſarum qualitatem ſeu conditionem, quippe vterq; has ſubſtantias a materia immunes aſtruxit, non autem a compoſitione actus & potentiæ. Quicquid enim ens participat, ex potentia & actu cōpoſitum ſit oportet: quia quod recipitur vt participatum, actus ſit participantis oportet, & conſequenter cum omnes ſubſtantiæ præter primam ſint participantes apud Platonem, omnes ex potentia & actu eſſe compoſitas oportet: quod itidem dicere apud Ariſt. neceſſe eſt, quippe qui dicit rationem veri & boni actui congruere: vnde quod eſt primum verum, & primum bonum, actus purus ſit oportet: ab hoc vero quæ deficiunt, permixtionē potentiæ aliquam habeant oportet. Conueniunt tertio in ratione prouidentiæ. Nam apud Platonem ſummo Deo, qui id quod eſt ipſum vnum, & ipſum bonum eſt, ex primæua bonitatis ratione proprium eſt inferioribus cunctis prouidere, & inferiorum cuiq; inquantum primi boni rationem participat: prouidere his, qui poſt ſe ſunt, nō eiuſdem ordinis modo, verumetiam diuerſorū: Et conſequenter primus intellectus ſeparatus toti ordini ſeparatorum intellectuum prouidet, & ſuperior quilibet ſuo inferiori, tótuſq; dictus ordo animarum ordini & inferioribus ordinibus prouidet. Rurſumq; idem obſeruari putatur in ipſis animabus vt ſupremę quidē, videlicet cęlorū, inferioribus animabus prouideant, & toti inferiorū corporū generationi: item ſuperiores animæ dæmonum ſcilicet inferioribus, ideſt animabus hominum: aſtruebant enim Platonici dæmones inter nos & ſuperiores ſubſtantias eſſe mediatores. Ab hac vero prouidentiæ ratione, etiam Ariſt. non diſcordat, ponens bonum vnum ſeparatum, quod omnibus prouidet, ſicut vnum imperatorem vel regem, ſub quo diuerſi rerum ordines ſunt, ita videlicet quod rerum ordines ſuperiores perfectæ ordinem prouidentiæ aſſequuntur, vt eis defectus vllus minime inueniatur; inferiores vero illum aſſequuntur minus perfecte, vnde multis defectibus ſubiacent: Quemadmodum in priuata domo liberi, qui perfecte aſſequūtur regimen patriſfamilias, deficiunt in paucis, aut etiam in nullis: ſeruorum autem actiones in pluribus deficiant oportet, vnde in corporibus inferioribus naturalis ordinis defectus, quamplures emergunt: in ſuperioribus autem corporibus, ideſt cæleſtibus, minime. Propter quod etiam Plato dæmonum quoſdam bonos, quoſdam vero malos aſtruxit, ſicut & hominum: deos vero, & intellectus, & cæleſtes animas omnino abſque malitia eſſe. Sunt vero alia, in quibus prædicti duo philoſophi diſſident. Primo quidem, quia, vt etiam ſupra dictum eſt, ſupra cæleſtes animas duplicem ſubſtantiarum immaterialium ordinem Plato aſtruxit, intellectus ſcilicet,

&

& deos,quos omnes aſſerebat eſſe ſpecies intelligibiles ſeparatas, quarum participatione intellectus intelligunt. Ariſt. vero vniuerſalia ſeparata non ponens, vnum ſolum ordinem rerum ſupra cælorum animas aſtruxit, in quo etiam ordine primum eſſe poſuit ſummum Deum, ſicut & Plato ſummum Deum primum dixit in ordine ſpecierũ, quaſi ſummus Deus ſit prima idea vnius ac boni. Hunc autem ordinẽ Ariſt. vtrumque habere aſtruxit, vt ſcilicet & intelligens & intellectum eſſet, ſiue ſpecies intellecta; ita videlicet quod ſummus Deus intelligeret nõ ſuperioris alicuius participatione, quod perfectio eius eſſet, ſed per ſuam ipſam eſſentiam: & idem dicendum eſſe exiſtimauit in cæteris ſubſtãtijs ſeparatis ſub Deo ſummo ordinatis, præter id quod inquantum a primi ſimplicitate deficiunt, & eius perfectione ſumma, eorum intelligere ſuperiorum participatione perficitur. Sic igitur ſecundum Ariſt. huiuſmodi ſubſtantiæ, quæ ſunt fines cæleſtium motuum, ſunt etiam intellectus intelligentes, & intelligibiles ſpecies: non tamen eo modo ſpecies, quo Plato ſpecies poſuit, quas videlicet exiſtimauit eſſe horum ſenſibilium naturas ſine materia ſubſiſtentes. ſenſit enim Ariſt. quod ſint omnino altiores. Secundo vero, quia Plato intellectuum ſeparatorum numerum ad numerum cæleſtium motuum non coarctauit: non enim ex cauſa iſta ad eorum poſitionem mouebatur, ſed ipſam rerum naturam ſecundum ſe conſiderans: Ariſt. vero a ſenſibilibus recedere recuſans, ex ſola motuum conſideratione ad ponendas ſubſtãtias ſeparatas deuenit, ideoque numerum earum cæleſtibus motibus coaptauit.. Tertio autem quia Ariſt. inter animas cælorum & hominum, medias animas non poſuit, ſicut poſuit Plato: vnde nec ipſe Ariſt. nec ſectatores Ariſt. de dæmonibus quidquam tetigere. Et hæc quidem de opinionibus Ariſt. & Platonis.

Punctum quintum. Quid vero de ſubſtantijs ſeparatis alij Philoſophi ſenſerint, dicendum eſt, quod eorum qui Plat. & Ariſt. ſequuti ſunt, quidam ab eorum poſitionibus declinantes, errarunt in deterius circa eiuſmodi, quantum ad conditionem, ſiue naturam, originem & prouidentiam. Et quantũ ad naturã quidẽ Auicebron in libro Fontis vitæ, contra ea quæ ſuperius demõſtrata ſunt, exiſtimauit omnes ſubſtãtias ſub Deo ex materia & forma cõpoſitas, deceptus primo, quod ſicut in intellectu ex genere & ſpecie res compoſitas vidit, exiſtimarit in re itidẽ eſſe: deinde vero quod eſſe ſubiectũ & receptiuũ eodẽ modo in omnibus dici crediderit. Quantum ad originem vero errarunt quidam, dicentes huiuſmodi ſubſtantias cauſam effectiuam ſui eſſe nõ habere. Quidã vero alij, quod habeãt quidẽ cauſam, ſed non a primo principio omnes immediate. Quidã quoq; exiſtimarunt eas omnes a primo principio immediate quidem habere eſſe, non autem viuere, &

intelligere, ſed hæc inferiores a ſuperioribus habere. Quidam vero eorum proceſſum immediatum a primo principio ſeruare volentes, dixerunt, eas omnes a Deo immediate proceſsiſſe, & inuicē ęquales, quod ſenſit Origenes. Quidam vero circa earum prouidentiam errātes, eis ſingularium rerum cognitionem ſubtraxerunt. Omnes tamen prædictos errores Manichæorum error longe tranſcendit, rerum originem non reducentes in vnum principium, ſed in principia duo, bonorum ſcilicet & malorum, & vtrumque corporale: bona ſcilicet in lucem infinitam, corpoream quidem, ſed tamen vim intellectiuam habentem, & mala in infinitas quaſdā corporeas tenebras, & conſequenter etiam errantes circa prouidentiam omnia non ſub vno principio, ſed ſub contrarijs ſtatuentes: vnde in omnibus prædictis articulis, ſcilicet conditione, origine, & prouidentia aberrarunt, & quidem valde irrationabiliter. Nihil enim agere poteſt niſi quatenus ens aliquid in actu eſt; quia vnumquodque quale ipſum eſt, tale agit alterum: agitur autem alterum ex hoc, quod in actu fit, ſiue nūc primo eſt. Nihil igitur vel agit, vel agitur, niſi inquantum bonum eſt, quippe bonum dicitur aliquid ex hoc, quod actum & propriam perfectionem conſequitur: malum vero quia his priuatur: inquantum autem aliquid eſt malum, in tantū ab eo quod eſt perfectę agere, vel agi deficiens eſt: ſicut ædificatorem malum dicunt, quod in arte ædificatoria deficiēs ſit; & malam domum aut ſtructuram, quod perfectionem propriam non attingat. Præterea, etſi forma corporis intelligendi virtutem habere poſſit, vt anima rationalis; ipſum tamen corpus hanc habere virtutem omnino impoſſibile eſt, quippe intellectus nec corpus, nec corporis actus eſt, alioquin non eſſet omnium cognitiuus, vt in 3. de Anima probauit Ariſt. Si igitur primum principium habet intellectum, vt ſupra probatum eſt, & ſentiunt omnes ſanæ mentis homines, neq; lux corporea, neque corpus aliquod ſit oportet. Et præterea, non poteſt eſſe principatus & regimen malum inquantum eſt malum: quia bonum habet rationem finis: in quem ſcilicet aliquem finem omnis gubernatio tendit, ſecundum cuius rationem quæ ſunt ad finem in eum ordinantur. Omnis igitur gubernatio eſt ſecundum rationem boni; conſequenter autem non poteſt eſſe regimen malum, inquantum eſt malum. Fruſtra igitur poſuerunt duo prædicta regna, aut etiam principia. Videtur autem hic error quemadmodum & alij prædicti proceſſiſſe ex eo, quod ea quæ circa particulares cauſas conſiderarūt, in vniuerſalem rerum omnium cauſam transferre conati ſunt. Sicut quia viderunt contrarios particulares effectus, ut calefactionum & frigefactionum a contrarijs particularibus cauſis effluere, hunc contrariorum a contrarijs proceſſum putarunt vſque ad prima rerum princi-

pia

pia minimè ceſſare, quę bonum & malum crediderunt, ſub quibus videtur contineri contraria omnia, cum eorum ſemper alterum ſit deficiens, vt nigrum; & alterum perfectum, vt album. Verum in contrariorum conſideratione defecere, quippe ſicut habent cõtrarias cauſas proximas ex eo, quod ſpecificis differentijs ſe cernuntur: ita communem rationem generis, qua conueniunt, habeant oportet. Cauſa autẽ quanto communior, & ad plura ſe extendens, tanto ſuperior eſt. Contraria igitur prima principia non ſunt, verum potius omnium vnam communem cauſam eſſe oportet.

Quid de intelligentiarum natura & numero habeat philoſophia uera, & Chriſtiana traditio. CAP. IX.

QVIA iam eſſe intelligentias, ideſt, incorporeas & intellectiuas ſeparatas ſubſtantias monſtrauimus, necnon quid Philoſophi multipliciter aberrantes, de earũ numero & naturali conditione perſenſerint, nunc iam circa prædicta, ſecundum veræ philoſophię principia & Chriſtianæ religionis documenta, veritatem edoceamus opõrtet, & quidem multis punctis.

Punctum primum. Quantum ergo ad conditionem; & naturales proprietates attinet, quidam ex chriſticolis, angelos corporeos aſtruxerunt, & ex materia formaque compoſitos, quod in primis ſenſiſſe videtur Orig. in Periarchon. Quidam vero dixerunt eos quidem incorporeos eſſe, verum ex materia formaque conſtantes, vt Auicebron in libro Fontis vitæ: tamen ſecundum veram philoſophiam, & incorporei, & immateriales ſunt, vt ex his patuit, quæ ſupra cap. tertio & quarto deduximus: quod etiam diuinæ litteræ, & diuinarum litterarum tractatores aſtruxerunt. Quod enim incorporei ſint, liquet per illud; quia ſpiritus dicuntur, Hebræ.1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus. Et in Pſal. 103. Qui facit angelos ſuos ſpiritus. Nomine autem ſpiritus in diuinis litteris aliquid incorporeũ deſignari conſueuit, ſecundum illud Ioa.4. Spiritus eſt Deus. & Iſa.31. Equi eorum caro, & non ſpiritus. Ex verbis etiam diuinarum ſcripturarũ id haberi põt, quod ſint angeli non incorporei modo, verum etiam omnino immateriales. Nam eos virtutes litteræ diuinæ appellant, ſecundum illud Pſal. 102. Benedicite Domino omnes virtutes eius. & Luc. 21. Virtutes cælorum mouebuntur: quod de ſanctis angelis Doctores omnes exponunt. Nullum autem materiale virtus eſt, verum potius virtutẽ habet: ſicut nec eſt eſſentia, quam virtus ſequitur, ſed eſſentiam habet, ceu homo non eſt ſua eſſentia ſiue humanitas, ſed id eſt quod humanitatem habet. Vtrunque etiam eorum, ſcilicet angelos, & incorpo

reos & immateriales eſſe, tenuiſſe Dionyſiũ 4. cap. de di. no. patet, vbi eos a materia mundos aſtruit; & in primo cap. cæl. hier. vbi eos incorporeos dicit, vnde frequenter eos dicit cæleſtes intellectus, ſeu diuinas mentes, quod aliquid & incorporeum, & immateriale ſonat, vt 3. de Anima probatur.

Punctum ſecundum. Quantum vero ad originẽ attinet, ſupra omnes a Deo factos ſuppoſuimus, ſicut & omnem aliam creaturam, quãquam ex philoſophicis demonſtrationibus, quibus omnia ab vno eſſe probantur, aſtruere potuiſſemus, ex diuo Tho. & aliunde, niſi mihi eſſet breuitatis cura pręcipua. Religio autẽ chriſtiana firmiſsime docet, eos oẽs a Deo eſſe ꝑductos, vt de ſum. Tri. & fi. cath. ca. Firmiter. Vnus Deus æternus pater, & filius, & ſpiritus ſanctus ſua omnipotẽti virtute ſimul ab initio temporis, vtrãq; ſimul de nihilo condidit creaturam, ſpirituale & corporalẽ, angelicã videlicet & mũdanã, ac deinde humanam quaſi cõmunem ex corpore & ſpiritu conſtitutã. Quod etiã diuinis litteris probatur: quia in Pſal. 148. dicitur. Laudate eũ omnes angeli eius; & enumeratis alijs ſubditur: quia ipſe dixit, & facta ſunt. Vnde & Diony. 4. cap. cæl. hier. dicit, cæleſtes ſubſtãtias eſſe primo & multipliciter in participatione Dei factas, & in. 5. ca. de di. no. & expreſsius. 4. ca. cæl. hier. dat intelligere, quod a Deo immediate omnes ſunt producti, dicens quod ſuper omnia bonitas vnamquamque rem conſtituit in ordine, qui competit ſuæ naturæ. Repugnat vero chriſtianæ pietati, ſi dicatur cũ Platonicis & Peripateticis, eos a ſumma quidem deitate originem traxiſſe, ſed tamen ab ęterno, quippe quæ dicit eos incœpiſſe poſtquã aliquando non fuerant: unde Iſa. 40. Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc, ſcilicet ſuperiora omnia. Et ne id intelligatur de corporibus cæleſtibus ſolum, ſubditur: Qui adducit (ſcilicet ad eſſe de non eſſe) militiã cæli, ideſt ſpiritualiũ & cæleſtium ſubſtantiarum exercitũ, quem ſic ſcriptura nominare cõſueuit propter ordinẽ earum, & virtutẽ in exequendo, quæ Deo placuerunt, iuxta illud Luc. 2. Facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis: unde Diony. 10. ca. de di. no. dicit, quod ea quæ in ſcripturis dicuntur æterna, non oportet ſimpliciter intelligere coæterna Deo, qui eſt ante æuũ; quia æterna dicit ea quæ incorruptibilia ſunt: quod de ſubſtantijs ſpiritualibus præcipue dictum videtur. Quando autẽ ſint creati, ex ſcriptura expreſſe nõ habetur: tamen quod poſt corpora nõ ſint creati ratio ſuadet. Neq; enim decuit perfectiora ſimplicia poſterius creari: unde & in principio Gen. vbi rerum creatio deſcribitur, cælum, quod dignius eſt, terræ antefertur, cum dicitur: In principio creauit Deus cælum & terram. Quod etiam ſcripturæ authoritate firmatur. Nam ex illo verbo Iob. 38. Cum me laudarent aſtra matutina

&

& iubilarent omnes filij Dei: Aug. 11. de ciuit. Dei arguit, quod iam erant angeli quãdo facta ſunt aſtra, ideſt quarta die: Nec ſunt, inquit, facti tertia die: qa quid tunc factũ ſit patet, quia ſcilicet terra ab aquis diſcreta eſt: nec ſecunda, quia tunc firmamentũ factũ eſt: et ſubdit, ꝙ ſunt illa lux, quæ dei nomen accepit. Igitur ſecundũ ipſum, cũ rebus corporeis creati ſunt, & ipſius cæli nomine ſignantur, cũ dicitur: In principio creaſſe Deum cælum & terram, Forma vero eorũ perfectio-ue lucis productione denotatur, vt idem ſuper Gen. ad litteram aſtruit. Sed vt Damaſcenus tertio libro teſtatur, quidã angelos genitos ante omnem corporeæ materiæ creationẽ aſſeruere: Quia (vt Gre. Theologus dixit) Deus primũ excogitauit angelicas virtutes, & cæleſtes, & eius excogitatio eius opus fuit. et huic ſententiæ ipſe Damaſ. conſentit, & ſequitur Hieronymus dicti Grego. Nazanzeni diſcipulus ſuper epi. ad Titum, ſic dicens. Sex millia necdũ noſtri tẽporis cõplentur annorum, & quantas prius æternitates, quanta tẽpora, quantas origines ſęculorũ fuiſſe arbitrandũ eſt, in quibus angeli, throni & dominationes, cęterique ordines ſeruierunt Deo, abſq; tẽporũ vicibus atq; menſuris, & Deo iubente ſubſtiterunt. Neutrũ autẽ ſanę doctrinæ contrariũ fore diuus Tho. atteſtatur, quippe nimis præſumptuosũ videtur aſſerere, tãtos eccleſiæ doctores a ſana doctrina pietatis deuiaſſe: Quod dictum diui Tho. verum ſubintellige pro eo tempore, quo illi ita ſcripſere: ex poſt facto tamen ſanæ fidei illud repugnat, cũ iam Eccleſia oppoſitũ credat, & ſtatuerit, ſcilicet, ſpiritualem, ideſt angelicã corporalemq; naturam ſimul creatã, de Sum. Tri. & fide cath: cap. Firmiter.

Punctum tertium. Quantum autẽ ad diſtinctionem eorum attinet, quantũ quidem ad naturalia, ſupra dictum eſt, quod oẽs ſpecie differũt, & cõſequenter naturales proprietates habeãt differentes oportet, quod ſcilicet ſpeciẽ conſequantur, ſicut alia eſt qualitas propria ignis, calor videlicet; alia aeris, quia humiditas; alia aquę, qa frigiditas; & alia terræ, ideſt ſiccitas: q̃tum vero ad gratuita & voluntaria, dicetur cap. ſequenti, quod quidam eorũ boni, & quidam mali ſunt, licet Deus oẽs fecerit bonos, ipſorum vero quidam ſe ſua voluntate fecerint malos.

Punctum quartum. Quantum vero ad numerum intelligentiarũ, ſecundum verã philoſophiã, & chriſtianã pietatẽ, ſunt longe plures quã philoſophorũ quiſquã potuerit vel ſomniare quidẽ, vt lumine fidei ſuffragante, chriſtiani tractatores dixerunt, & cum philoſophice, tum etiam theologice ex diuinis litteris probarunt. Quamobrem antequã id probemus, illud notandũ eſt in primis (vt etiã patet ex his q̃ ſuperiore capite dicta ſunt) quod ab intelligentiarũ perfecta notione, humana anima longe deficiat oportet, quippe quæ ad intelligentias, q̃ ex natura notiſſima quædam ſunt, eo modo ſe habet, quo etiam ad lu

men & iubar ſolis oculus noctuæ, quæ non niſi in obſcuris graditur, & videt, vt ſecundo Metaphy. docuit Ariſt. Vnde, vt idem in vndecimo de Animalibus dicit, de eis pauca valde ſcire poſſumus, quãquam illud quod noſſe poſſumus de huiuſmodi, licet perexiguum & topica tantũ ratione teneamus, periucundũ ſit & peramatũ. Igitur Philoſophi de eiuſmodi demonſtratiue quidẽ pene nihil, topice vero ſeu probabiliter parũ enunciarunt, quod in numero angelorũ ſtatuendo eorum diuerſitas arguit. Quidam enim eorũ, vt etiã aliqualiter patet ex dictis, intelligentiarum numerum ſecundũ numerũ motuum cæli exiſtimauerunt, vt Ariſt. 12. Metaphy. qui etiã numerum eiuſmodi motuum, ab Aſtronomis ſui temporis exquiſiuit. Quidam vero ſecũdum numerum ſphærarum, vt Auic. Quidam quoque ſecundum numerum ſpecierum ſenſibilium, vt Plato. Quidam etiam tantum vnam intelligentiam poſuere, vt Anaxagoras intellectum ſeparantem mixta, & quidam hæretici, qui vnum tantum dixerunt eſſe angelum, quem varia nomina ſortiri putant, ſecundum uarietatem ſuarũ actionũ. Quidã vero eas omnino negarũt, nihil incorporeũ putantes, vt Empedocles & Democritus, ac cæteri philoſophorum naturalium primorum; & Sadducæi Iudæorum. Quidam poſtremo eas quidem nõ negarũt, verum dixerunt eas in numero eſſe nobis incerto, volentes in ſcripturis angelum intelligi omnem virtutem, quã expletur ordo prouidentiæ diuinæ, quaſi nunciũ diuinæ voluntatis ſiue ſpiritualis ſit, ſiue corporea, vt Rabbi Moyſes, adeo vt vim concupiſcibilem angelum cõcupiſcentiæ vocet: ſubſtantias tamen ſeparatas dicit eſſe in eo numero, quo philoſophi dixere.

Punctum quintum. Vt vero ſtylum ad præcipuos philoſophos deducamus, ſententiam Platonis volentis ſubſtantias ſeparatas eſſe rerũ ſenſibiliũ ſpecies, vtpote ſi poneremus ipſam humanitatẽ, vel equinitatẽ ſeparatas, ac per hoc intelligẽtias eſſe in eo numero quo & ſenſibiliũ ſpecies, Ariſt. hac rõne damnat, & explodit, quod de rõne ſenſibiliũ ſpecierũ materia ſit; vnde ipſa humanitas, ſi a materia vel humano corpore ſeparata eſt, iam nõ humanitas, ſed natura altior eſt, & ſic de alijs. Sententiã vero Ariſt. nõ eſſe neceſſariã etiã ex dictis ſupra cap. 5. planũ eſt. In his enim quæ ad finẽ quempiã ordinãtur, neceſſitas ex fine ſumatur oportet, non econtra, vt ipſemet. 2. Phyſic. docuit: vnde ſi in cæleſtes ſubſtãtias, cæleſtes motus eo teſte ordinantur, earũ numerus ex motuum illorum numero neceſſario concludi nõ poteſt. Dicetur enim quod ſunt ſubſtantiæ aliæ ordinis altioris, quam illæ ſint, quæ fines ſunt proximi cæleſtium motuum: quemadmodum ſi inſtrumenta artificialia vt ſerra & dolabra, propter homines mechanicos ſunt, qui eis vtuntur, nihil prohibet eſſe & alios homines, qui

eiuſmodi

eiuſmodi inſtrumentis non vtuntur, ſed his qui vtuntur imperitant. Vnde, vt ſupra patuit, ipſemet Ariſtoteles ſuam rationem non eſſe neceſſariam & vidit, & faſſus eſt.

Punctum ſextum. Reliquum igitur eſt, vt ex vera philoſophia angelos longe plures eſſe quā cæleſtes motus aſtruamus. Primo. Nam ſubſtantiæ intellectuales, ſecundum ſuum genus, tranſcendunt omnem naturam corpoream, conſequenter autem in eis gradum & ſuperioritatem accipere oportet ſecundum eleuationē earum ſupra corpoream naturam. Sunt autem quædam ſpirituales ſubſtantiæ ſupra corpoream naturam, ſecundum naturam ſui generis, quæ tamen corporibus vniuntur vt formæ, vt patet ex dictis, & in humanis animabus experimur. Et quia eſſe ſubſtantiarum intellectualium ſecundum ſuum genus a corpore dependentiam minime habet, vt ſupra oſtenſum eſt, inuenitur alius eiuſmodi ſubſtantiarum altior gradus, quę etſi corporibus vt formæ non vniuntur, ſunt tamen aliquorum determinatorum corporum motores, vt de his quæ cælum mouent, infra probabitur. Similiter autem natura intellectualis a mouendo non dependet, quippe mouere ad earum primam ac præcipuam operationem, ſcilicet intelligere, conſequens eſt; & cōſequenter eſt aliquis ſubſtantiarum intellectualium gradus, in quo non motores proprij aliquorū corporum ſunt, ſed ſubſtantiæ motoribus ſuperiores. Secundo. Sicut per ſuam naturalem formam agit quod naturaliter agit, vt ignis: ita quod per intellectum agit, per formam ſui intellectus agit, vt in artificibus liquet. Igitur ſicut agens per naturam proportionatum eſt patienti ratione ſuæ naturalis formæ: ita & agens per intellectum per formam intellectus patienti proportionatum eſt, vt videlicet eiuſmodi ſit forma intellectiua, quod in recipiente materiam per actionem agentis induci poſsit. Igitur proprios orbium cęleſtium motores, qui per intellectū mouēt (ſi in hoc opinionē ſubſtinere volumus Ariſt.) tales intelligentias habeant oportet, quæ ſint per orbium motus explicabiles, & quæ in naturalibus educi & perduci quæant. Sed ſupra conceptiones intelligibiles eiuſmodi, aliæ vniuerſaliores ſint oportet: quia intellectus rerum formas vniuerſalius quam earum eſſe ſit in rebus apprehendit: vnde & videmus ſpeculatiui intellectus formam vniuerſaliorem eſſe quā practici; & inter artes practicas vniuerſalior eſt imperantis, quam exequentis conceptio. Oportet autem ſubſtantiarum intellectualiū gradus accipere ſecundum gradū intellectualis operationis propriæ quibuſque. Ergo ſupra intellectuales ſubſtantias proxime orbes mouētes, alias ſuperiores eſſe oportet. Tertio. Nam inter ea quæ naturali ordine diſtant, multos eſt gradus medios inuenire, ſicut inter perfecta bruta, & plantas: quædam imperfectiora

animalia ſunt, quæ & cum plantis communicant quantum ad fixionem, vt oſtrea, & conchilia; & cum brutis perfectis, quantum ad ſenſum. Cum ergo Deus, qui eſt ſubſtātia prima, a corporum natura maxime diſtet, valde rationabile eſt, vt in rerum ordine multi gradus interiaceant. Quarto. Nam Deus non ſolum vniuerſalem rerum corporearum prouidentiā habet, verum potius ſuam prouidentiā etiam ad res ſingulares etiam minimas extēdit: quippe qui tanquam prima cauſa efficiens, & mouens in omni efficiente efficit, & in omni mouente ad finem motus mouet, & hoc per intellectum, cum ſit artifex voluntarius, vt diximus: quod eſt prouidere, ſcilicet per intellectum in finem dirigere & mouere. In rebus autem ſingularibus prouidentia diuina directis, Deus interdum præter ordinem vniuerſalium cauſarū, cælorum videlicet, & intelligentiarum motricum, quædam operatur, vt dum ſuſcitat mortuos, & morbos incurabiles curat, & generaliter miracula operatur, vel hominum mentes cælo eminentiores illuminat. Igitur non ſolum ſubſtantias incorporeas Deo deſeruientes in vniuerſalibus naturæ cauſis ponere oportet, verumetiam & deſeruientes Deo in his quæ particulariter Deus operatur, præcipue in mentibus, quæ cæleſtibus motibus non ſubduntur.

Punctum ſeptimum. Immo angelici ſpiritus, & intelligentiæ, ſiue ſubſtantiæ incorporeę & immateriales ſunt in multitudine maxima, & nobis incomprehenſibili: quod & philoſophice & theologice probatur. Et philoſophice quidem. Primo. Nam Deus inter omnia vniuerſi perfectionem maxime intendit in rerum creatione, quippe omne agens ſui effectus totum parte plus diligit. vndę quanto perfectiora ſunt aliqua, tanto in exceſſu maiori creata ſunt, ſicut experimur in corporibus incorruptibilibus, quæ ſimplicia elementa quattuor, & continua, & diſcreta quantitate præcellunt; quippe orbes perplures & ſtellæ ſine numero ſunt ſpecie & ſubſtantia differentes. Cum igitur intelligentiæ ſint prima & præcipua pars vniuerſi, numero excedunt omnes rerum creatarum ſpecies. Secundo. Etſi enim indiuidua materialia corruptibilia, per materiam multiplicentur, ſpecies tamen rerum materialium, non per materiam, ſed per formam multiplicentur oportet: non enim hominem & lupum duas eſſe ſpecies materia facit, cum eadem poſsibiliter in vtraq; ſpecie ſit, vt ſi lupus hominem, vel homo lupum cōmedat. Si autem formæ materiales multiplicant ſpecies materialium, longe magis formæ immateriales ſpecies immateriales multiplicabunt; quia habent eſſe completius & vniuerſalius, quam materiales, quę ad materiæ capacitatem limitantur. Non ergo ſunt minoris numeri quam ſpecies rerum materialium, cuiuſmodi ſunt elementa, mineralia, herbę, plantę, bruta, piſces,

aues,

aues, & ſtellæ. Tertio. Magis eſt vnumquodque multiplicabile ſecundum ſuum intellectuale eſſe, quam ſecundum materiale: multa enim intellectu capimus, quæ nequeunt eſſe in materia: ex quo contingit, quod lineæ rectæ & finitæ cuilibet additio mathematice fieri poteſt, non autem naturaliter, quippe aliqua eſt tam longa linea, qua nulla poſsit eſſe maior, vt axis cæleſtis: raritas etiam corporum, velocitas motuum, & diuerſitas figurarum, in infinitum intellectuali apprehenſione augeri poteſt, quod tamen in natura eſſe nequit. Subſtantiæ autem, quas ſeparatas dicimus, ſunt in eſſe intelligibili ſecundum ſuam naturam. Maior igitur multitudo in eis eſſe poteſt, quam in rebus materialibus, penſata vtriuſque generis ratione. In perpetuis autem non differt eſſe & poſſe. Excedit igitur multitudo ſubſtantiarum ſeparatarum materialium corporum multitudinem. Theologice quoque ſic probatur. Nam diuina ſcriptura, Danie. 7. de cæleſtibus ſpiritibus dicit: Millia millium miniſtrabant ei: & decies millies centena millia aſsiſtebāt ei. Quod non ideo dicitur, quaſi hoc numero comprehendātur apud Sanctos: ſed vt eorum numerus nobis incomprehenſibilis per hos magnos numeros oſtendatur. vnde Diony. 13. cap. cæl. hier. & Gregorius in glo. Dan. numerum illarum ſubſtantiarum atteſtantur omnem naturalem multitudinem excedere. Deinde quanta ſit angelorum multitudo, ipſa eorum cuſtodia oſtendit, quippe, vt Theologi docent, & tenet doctorum Chriſtiana traditio, ſolum infimi angeli cuſtodiunt, id eſt, de infimo ordine, & conſequenter illius ordinis multitudo tanta eſt, quanta vllo tempore in mundo eſt multitudo viuentium, cum quilibet habeat vnum angelum ex communi Sanctorum doctrina. Alij vero ordines quanto ſuperiores, tanto copioſiores ſunt. Sicut ergo infiniti quodammodo ſunt homines nunc viuentes, ita infiniti ſunt angeli infimi ordinis, vt de alijs, & de dæmonibus taceamus.

Aliquas ſubſtantias immateriales poſſe peccare, & eſſe malas.
CAP. X.

CVm igitur angelos, vel intelligentias eſſe longe plures quā philoſophi ſomniarunt, oſtenderimus: iam ex his nōnullas eſſe poſſe malas, ſequentibus punctis oſtenſuri ſumus. Primum. Subſtantiæ intellectuales, quas intelligentias vocant, ſunt volentes neceſſario.

Primo. Ineſt enim omnibus appetitus boni, cum bonū id ſit, quod appetunt omnia, vt philoſophi tradunt, qui equidem appetitus in his quæ propria cognitione carent, naturalis dicitur, ea ratione qua dicimus lapidem appetere eſſe deorſum: in his vero quæ ſenſitiua cogni-

tione potiuntur, dicitur appetitus animalis in concupiſcibilem iraſcibilemq; ſciſſus: in intelligentibus autem appetitus intellectualis ſeu rationalis dicitur, qui eſt voluntas. Subſtantiæ igitur intellectuales creatæ voluntatem habent. Secundo. Quod per aliud eſt, ad id tanquã ad prius reducitur quod per ſe eſt: vnde apud Philoſophũ. 8. Phy.tex.com.33. Mota ab alio, in prima reducuntur mouentia ſeipſa, in ſyllogiſmis itidẽ concluſiones, quæ ex alijs innoteſcunt, in prima principia per ſe nota reducuntur. Sunt vero in ſubſtantijs creatis nõnulla, quæ ad operandum ſeipſa non agunt: aguntur autem naturæ vi, vt inanimata, plantę, & bruta: neque enim in eis eſt agere, & non agere. Ad alia ergo prima, quæ ſeipſa agunt, reductio fiat oportet. Prima autem in rebus creatis intelligentiæ ſunt, ſeu ſubſtantiæ ſeparatæ, vt etiam ſupra oſtenſum eſt. Hæ igitur ſubſtantiæ ad operandum ſe agant oportet, quod voluntatis eſt proprium, qua ſubſtantia quæque ſuo actui dominatur, vt pote in ſe habens quod agat, aut etiã non agat. Igitur creatæ intelligentiæ voluntatem vtique habent.

Tertio. Cuiuſlibet operationis principium forma eſt, per quam vnumquodque actu eſt. Igitur ſecundum modum formæ modus operationis formam conſequentis ſit oportet. Igitur forma, quæ non eſt ab ipſo agente per formam operationem cauſat, cuius agens dominus non eſt: ſi qua forma vero eſt, quæ ab ipſo ſit, quod per ipſam operatur, etiam conſequentis operis dominium habebit. Formæ autem naturales, ex quibus & naturales motus, & naturales operationes ſequuntur, ab his minime ſunt, quorum ſunt formæ: ſed totaliter ab extrinſecis agẽtibus, cum per naturalem formam vnumquodque eſſe habeat in ſua natura: nihil autem ſibi cauſa eſſendi eſſe poteſt. Et ideo quæ mouentur naturaliter, a ſeipſis minime mouentur: non enim ſeipſum graue deorſum mouet, ſed quod ei formam grauitatis dedit, generans. In brutis quoque formæ aut ſenſatæ, aut imaginatæ, quæ bruta mouent, ab ipſis brutis adinuentę non ſunt, ſed receptæ in eis ab exterioribus ſenſibilibus agentibus in ſenſum, & diiudicatæ per æſtimationem naturalem: vnde licet quoquomodo dicantur mouere ſeipſa, inquantum eorum vna pars mouens eſt, alia mota; ipſum tamen mouere eis ex eis non eſt; ſed partim ex exterioribus ſenſatis, & partim quoque à natura: inquantum enim appetitus mouet membra, dicuntur ſeipſa mouere, quod ſupra inanimata habent, ac plantas: inquantum vero ipſum appetere in eis neceſſario eſt ex formis acceptis per ſenſum, & iudicium naturalis ęſtimationis, non ſibi ſunt cauſa quod moueantur, vnde non habent actus ſui dominium. Forma vero intellecta ſeu conceptio, per quam ſubſtantia intellectualis operatur, ab ipſo eſt intellectu, vtpote per

ipſam

ipſum concepta, & quodãmodo excogitata, vt de forma artis liquet, quam artifex & concipit, & excogitat, & per eam operatur: Ad operandum igitur ſeipſas agunt intelligentiæ, vt operationis ſuæ dominiũ habentes. habent igitur voluntatẽ. Quarto. Actiuũ paſsiuo, & motiuum mobili proportionatum eſſe oportet: in habentibus autẽ cognitionem, vis apprehẽſiua ad appetitum ſe habet vt motiuũ ad mobile: nam comprehenſum per ſenſum vel imaginationẽ, aut intellectũ, intellectualem vel animalẽ appetitum mouet. Apprehenſio autẽ intellectiua non determinatur ad quædã, ſed omniũ eſt potius: vnde & de intellectu poſsibili dicit Philoſophus in tertio de Anima, qđ ſit quo eſt omnia fieri. Appetitus igitur intellectualis ſubſtantię eſt ad omnia ſe habens. Hoc autem voluntatis eſt proprium, ad omnia ſe habere, vt liquet in tertio Ethi. quod poſsibilium ſit & impoſsibilium. Igitur ſubſtantiæ intellectuales voluntatem habeant oportet.

Punctum ſecundum. Sunt quoq; in agendo arbitrij liberi. Primo Quòd enim ex arbitrio agant, ex eo vel maxime manifeſtũ fit, quod per intellectiuam cognitionem iudicium de operandis habent: libertatem autem neceſſe eſt eas habere, ſi habent dominium ſui actus, vt oſtenſum eſt. Sunt igitur dictæ ſubſtantiæ liberi arbitrij in agendo.

Secundo. Nam liberum eſt, quod ſui cauſa eſt; conſequenter autem quod non eſt ſibi cauſa agendi, non eſt liberum in agendo. Quęcunque vero neque mouentur, neque agunt niſi ab alijs mota, non ſunt ſibi ipſis cauſa agendi. Sola ergo mouentia ſeipſa libertatem in agendo habent, & hæc ſola iudicio agunt: nam mouens ſeipſum diuiditur in mouens & motum: motus autem eſt appetitus ab intellectu vel phantaſia, aut ſenſu motus, quorum eſt iudicare. Horum igitur hæc ſola libere iudicarit, quęcunque in iudicando ſeipſa mouent. Nulla autem potentia iudicans ſeipſam ad iudicandum mouet, niſi ſupra ſuum actũ flectatur: oportet enim ſi ſe ad iudicandum agit, quod ſuum iudicium cognoſcat, quod quidem ſolius intellectus eſt. Sunt igitur animalia irrationalia quodammodo liberi quidem motus, ſiue actionis, non autẽ liberi iudicij: inanimata autem, quę ſolum ab alijs mouentur, neque liberę actionis, aut motus ſunt: intellectualia autẽ non ſolum liberę actionis, ſed etiã liberi iudicij, quod eſt liberum arbitriũ habere. Tertio. Forma apprehenſa eſt principiũ mouens, ea ratione qua apprehenditur ſub ratione boni vel conuenientis: actio enim exterior in his quæ ſeipſa mouent, procedit ex iudicio, quo iudicatur aliquid eſſe bonũ, vel conueniens per dictã formam. Si igitur iudicans ad iudicandũ ſeipſum moueat, oportet quod per aliquã altiorẽ formã apprehenſã ſe moueat ad iudicandũ, quę quidẽ eſſe nequit, niſi ipſa ratio boni vel conuenientis, per quam de quolibet determinato

bono vel conuenienti iudicatur. Illa igitur ſola ſe ad iudicandum mouent, quæ cõmunem boni vel conuenientis ratione apprehẽdunt. Hęc autem ſunt ſola intellectiua. Sola igitur intellectualia ſe non ſolũ ad agendum, ſed etiam ad iudicandum mouent. Sola igitur ipſa in iudicando ſunt libera, quod eſt liberum arbitrium habere. Quarto. A conceptione vniuerſali actio motuſq; nõ ſequitur, niſi particulari apprehẽſione mediante, eo quod motus & actio erga particularia ſit: intellectus autem naturaliter eſt vniuerſaliũ apprehenſiuus. Igitur vt ex apprehẽſione intellectus ſequatur motus, aut actio quęlibet, oportet vniuerſalem cõceptionẽ intellectus applicari ad particularia: Sed vniuerſale continet in potentia particularia multa. Poteſt igitur applicatio conceptionis intellectualis fieri ad plura atq; diuerſa. Iudiciũ igitur intellectus de agibilibus ad vnũ tantum determinatũ nõ eſt. Habent igitur omnia intellectualia arbitriũ liberũ. Quinto. Iudicij libertate carent aliqua, vel quod nullum habeant iudiciũ, ceu cognitione carentia, vt lapides ac plantæ: vel quod habent quidẽ iudicium, ſed a natura determinatũ ad vnum, vt bruta: naturali enim ęſtimatione ouis lupum inimicũ iudicat, & nociuũ, ipſumq; ex hoc iudicio fugit: ſimiliter autem in alijs eſt. Quęcunq; igitur de agendis iudiciũ habent non a natura ad vnum determinatũ & fixũ, neceſſe eſt liberi eſſe arbitrij, huiuſmodi vero ſunt intellectualia cuncta: intellectus enim apprehendit non ſolũ hoc vel illud bonũ, ſed ipſum bonũ commune. Vnde cũ intellectus per formã apprehenſã moueat voluntatẽ: in omnibus aũt mouens & motũ oportet eſſe proportionata, voluntas ſubſtantię intellectualis nõ erit determinata a natura niſi ad bonũ cõmune. quicquid igitur ſibi offertur ſub ratione boni, in illud voluntas inclinari poteſt, nulla determinatione naturali prohibente in contrariũ. Omnia igitur intellectualia liberam voluntatem habeant oportet, ex iudicio intellectus venientem, quod eſt liberum habere arbitrium: quod diffinitur, liberum de ratione iudicium.

Punctum tertiũ. Poſſunt autẽ intelligentię per liberũ arbitriũ malę eſſe & peccatrices, cõſequenter autẽ mali dęmones eſſe. Nam omnis creatura rationalis in ſua natura contẽplata peccare poteſt: Et ſi alicui rationali creaturę, quod peccare nequeat, aſcribatur, hoc non ex conditione naturæ, ſed ex dono gratiæ ſit oportet. Cuius ratio hæc eſt. Nã aliquẽ peccare aliud nihil eſt, quã a rectitudine actus, quã habere debet, declinare; ſiue accipiamus peccatũ in naturalibus, ſiue in artificialibus, ſiue in moralibus. Solũ autẽ illũ actum a debita rectitudine declinare nõ contingit, cuius regula eſt ipſa virtus agentis: Quippe ſi manus artificis regula ipſa foret, nunquã niſi recte lignũ incidere artifex poſſet, etſi inciſionis rectitudo ab alia ſit regula, inciſionẽ rectam, &

non

non rectam eſſe continget. Sola autem diuina voluntas ſui actus eſt regula, quippe quæ ad ſuperiorem finem, quo reguletur, minime ordinatur: omnis vero creaturæ voluntas in ſuo actu rectitudinem minime habet, niſi ea ratione qua diuina voluntate regulatur, ad quam finis vltimus attinet: quemadmodum cuiuſq; inferioris voluntas iuxta ſuperioris voluntatem regulanda eſt, vt voluntas militis ſecundum voluntatem ducis. Sic igitur in ſola voluntate diuina peccatum eſſe nequit: in qualibet vero voluntate creata peccatum eſſe poteſt. Vnde & Iob. 4. de Deo dicitur, quod in ſuis angelis reperit prauitatem. Nec prædictis obſtat, primo quod ſecundum philoſophos in corporibus cæleſtibus, quæ angelis inferiora ſunt, non poteſt eſſe malum, & conſequenter neque in angelis. Non obſtat, inquam, quia illa corpora non habent operationem niſi naturalem: vnde quemadmodum in eorum natura corruptionis malum eſſe nō poteſt, ita & in eorum naturali actione inordinationis malum eſſe nequit. Non eſt vero ſimile de angelis, quippe qui præter actionem naturalem, habent eam quæ eſt liberi arbitrij, ſecundum quam in eis contingit eſſe malum. Non obſtat ſecundo, quod naturale eſt angelis moueri motu dilectionis in Deum, in quo non peccatur: quod autem eis eſt naturale, ſemper ineſt, & conſequenter nunquam peccant. Non obſtat inquam, quippe eis naturale eſt diligere Deum, vt ipſe eſt principium naturalis eſſe, naturaliumque bonorum: non eſt vero eis naturale eū diligere ea ratione, qua obiectum eſt ſupernaturalis beatitudinis, ſed hic amor eſt gratuitus, à quo angelus auerti peccando potuit.

Punctum quartum. Poteſt autem in intelligentijs primo, & immediate eſſe ſolum peccatum ſuperbiæ ſecundum affectum. Nā cum dupliciter in aliquo poſsit eſſe peccatum aliquod, ſecundum reatum videlicet, & ſecundum affectum vel appetitum: ſecundum reatum quidem in eis omne peccatum eſſe poteſt, dum homines ad omnia crimina poſſunt inducere, & conſequenter omnium peccatorum reatū incurrere: ſecundum affectum vero in eis omnia peccata eſſe nequeunt, ſed illa ſolum, ad quæ ſpirituale naturam affici contingit, quæ non contingit eſſe bona corpori propria; ſed quæ ſpirituali naturæ cōgruant; quippe nihil afficitur, niſi ad id, quod ſuæ naturæ poteſt eſſe conueniens. In bonis vero ſpiritualibus, quæ ſola intelligentijs cōgruere poſſe liquidum dixeris, peccatum eſſe nequit, dum ad ea quis afficitur ſecundum ſe, cum vera bona ſint: ſed ſolum per hoc tantū, quod in affectu eiuſmodi ſuperioris regula nō obſeruatur, quod videlicet aliud nihil eſt quam ſuperbire, ſcilicet ſuperiori non ſubdi, & quidem in eo quod debitum eſt. Vnde peccatū primum angelorum aliud eſſe nequit, quā ſuperbia: Conſequenter autē in eis eſſe poteſt etiam

K 2 inuidia:

inuidia: Nã eiuſdẽ rationis eſt affectũ aliquid appetere, & cõtra eius oppoſitũ reniti. Inuidus aũt ex hoc de alterius bono triſtatur, quod illud ſui boni impeditiuũ putat; qđ in angelis eſſe nequit, niſi ſingularẽ excellẽtiã affectẽt, quæ equidẽ ſingularitas per alterius excellentiã ceſſet oportet; vnde poſt peccatũ ſuperbię ĩ eis cõſequi potuit inuidię morbus, qđ de hominis bono dolere potuere, & etiã de excellẽtia diuina, ſecundũ quod Deus malis intelligentijs cõtra earũ voluntatẽ vti poteſt in gloriã diuinam: quod ſuperbis, imo ſuperbiſsimis illis angelicis ſpiritibus grauiſsimũ dixeris. Hæc duo igitur peccata, ſuperbia & inuidia ſola in malis angelis eſſe poſſunt ſecundũ affectũ, & quę ſub iſtis cõprehenduntur, vel ad iſta, vt aiunt, reducuntur. Etſi enim delectantur obſcœnitatibus carnaliũ peccatorũ, Aug. teſte. 4. de Ciui. Dei. Hoc non eſt ideo quaſi ad huiuſmodi delectationes afficiantur, verũ potius hoc totũ ex inuida mente proceſſerit, quod in peccatis hominum quibuſcunq; lętẽtur, inquantũ humani boni impedimenta ſunt. Nec obſtat, quod ſpiritui ſpiritualia, ſicut carni carnalia vitia congruunt: ſpiritualia autẽ ſunt nõ modo ſuperbia & inuidia, verumetiã auaritia, accidia & ira, & cõſequẽter etiã iſta in angelis eſſe poſſe vidẽtur. Non obſtat inquam. Nam auaritia, ſecundũ quod peccatum ſpeciale eſt, immoderatus eſt appetitus rerum temporaliũ, quæ pecunia menſurari poſſunt, ſed auri maxime & argenti; vnde & græco vocabulo philargiria dicta eſt, id eſt, amor argenti: & ad eiuſmodi intelligentiæ minime afficiũtur, ſicut nec ad carnis voluptates: vnde in eis auaritia proprie dicta eſſe nequit. Si vero auaritia dicatur omnis cuiuſcunque boni creati immoderata cupiditas, ſub ſuperbia contineatur oportet, quæ in eis eſſe poteſt. Ita vero ſicut & concupiſentia cum quadã corporea paſsione eſt, vnde in angelis eſſe nequit niſi metaphorice. Accidia vero triſtitia quædam eſt, qua homo ad ſpirituales actus propter corporis laborem moratur, qui intelligentijs non cõgruit. Et ſi liquet, quod ſola ſuperbia & inuidia peccata ſunt ſpiritualia pura, quæ dęmonibus congruant, ita tamen vt nec inuidia pro paſsione, ſed pro voluntate ſumatur alterius bono retinenti.

Aliquas intelligentias actu & rẽ ipſa eſſe malas, & peccatrices.
CAP. XI.

QVIA intelligẽtias poſſe peccare, & malas fieri oſtenſum eſt, iã ita eſſe monſtremus oportet, quod licet ex diuinis litteris clarum ſit; nunc tamen quãdo principaliter rationi naturali propter Chriſtianos infideles innitimur, id ſequentibus punctis aſtruetur.

Punctũ primũ. Intelligentię aliqua mira operãtur apud Auicennã.

Nam

Nā fuit eius poſitio, quod longe magis ad aliquorū productionē ſubſtantijs ſpiritualibus materia obſequatur, quamcontrarijs agentibus in natura: vnde ad earum apprehenſionem interdum in iſtis inferioribus, quod effectus aliquis ſequatur aſtruxit, aut pluuiarum, aut ſanitatum, etiam nullo corpore medio agente. Cuius equidem rei ſignum ab anima noſtra capiendū putauit, quæ cum in ſua imaginatione fortis extiterit, ad ſolam apprehenſionē ſuum corpus immutat: ſicut qui graditur in trabe alta, de facili ruit, quippe qui ex timore imaginatur caſum; non caderet autem ſi eſſet trabs ita in imo, vt timere nequiret: manifeſtum etiam eſt ad ſolam imaginationem corpus aut ad irā, aut ad libidinem incaleſcere, & ſimiliter ad ſolam apprehenſionem infrigidari, vt in timentibus liquet: immo plerumque ex imaginatione forti, ad ægritudinem trahitur, puta, febrem, aut lepram, per quē etiam modū putauit animam purā & paſſionibus corporeis non ſubiectam, verum dominantem potius in ſua apprehenſione fortem: dominari corpori nedum proprio, verum etiam alieno, adeo vt eorum vtrūque apprehenſioni obediat ut ſanetur ad eius apprehenſionē infirmus, aut eiuſmodi aliquid ſequatur, & accidat: Et id faſcinationis cauſam putauit: quippe, inquit, anima cuiuſquam in malitia ſeu certe maleuolentia vehementer affecta, impreſsionem nocumenti habet in quoſdam, præcipue uero propter carnium teneritudinē facile ſuſceptiuos impreſsionum. Vnde exiſtimauit longe magis ad ſubſtantiarū ſeparatarum apprehenſionem, quas animas ſeu motores orbium cæleſtium dixit, ſequi in his inferioribus effectus nullo corpore medio. Quæ quidem Auicennę ſententia atque poſitio alijs ſuis poſitionibus ſatis eſt conſona; quippe qui putauit omnes inferiorum corporum formas ſubſtantiales a ſeparata quadam ſubſtantia effluere, & corporalia agentia ſolum materiam diſponere ad ſeparati agentis impreſsionem excipiendam. Hoc tamen non eſt verum apud Ariſt. qui probat in 12. Metaphy. formas exiſtentes in materia, non eſſe a formis immaterialibus, ſed ab eis, quæ itidem in materia ſunt: ſic enim inter faciens & factum ſimilitudo eſt. et de hoc infra, vbi de angelica poteſtate tractabitur. Quod vero ex faſcinatione ſumitur extra de impreſſione animæ in corpus, eius poſitionem parum firmat: neque enim ex apprehenſione animæ corporalis immutatio ſequitur, niſi apprehenſioni aliqua iungatur affectio, aut concupiſcentiæ, aut gaudij, vel timoris, & eiuſmodi: quæ cum determinato aliquo motu cordis eueniunt, ex quo vlterius totius corporis immutatio ſequitur, vel ſecundū locū, vel ſecundū alteratione. Vnde adhuc ſtat, ꝙ ſpiritualis apprehenſio corpus nō alteret, niſi locali motu medio. Faſcinatio vero non ideo accidit, quod vnius apprehenſio alterius corpus immutet, ſed quia per

motum

motũ cordis adiunctũ corpus immutat,cuius immutatio ad oculũ pertingens afficere poteſt corpus extrinſecum; præcipue ſi facile immutabile ſit, veluti etiam oculus menſtruatæ ſpeculum inficit.

Punctum ſecundum. Intelligentiæ in his inferioribus,etſi miracula propria virtute facere nequeunt, tamen res miras veraciter efficiunt. Nam vt patuit, & ruſus etiam infra clarius patebit, ſubſtantia ſpiritualis creata, propria virtute in inferioribus nihil efficit,niſi medio locali motu. Eſt enim hoc in uirtute earum, vt patebit, quod ad localẽ motum inferius corpus illis obſequatur: conſequenter autem per localem motum ad effectus aliquos educendos aliqua actiua naturaliter admouere poſſunt, ceu etiam ars fabrilis ad ferrum emolliẽdum ignẽ admouet. Hoc tamen miraculum cum non ſit,intelligentiæ miracula ſua virtute(quicquid ſit de diuina)non faciunt. Cum tamẽ naturales res locali motu naturalibus vel artificialibus rebus localiter admouerint, vtuntur eis tanquam quibuſdam inſtrumentis,veluti etiam medicina herbis nonnullis ad ſanitatem vtitur. Ex inſtrumento vero procedit effectus non ſolum propriæ virtuti reſpondens, verumetiam vltra propriam virtutem inquantum agentis principalis virtute agit: ſicuti ſerra & ſecuris lectum non efficiunt,niſi ea ratione qua agunt ab arte ad talem effectum admota: nec naturalis calor carnem adgeneraret, niſi virtute animæ vegetabilis, eo ut inſtrumento vtentis.Conueniens igitur eſt ex ipſis rebus naturalibus, aliquos altiores effectus emergere,ex eo quod quaſi inſtrumentis intelligentiæ ſpirituales vtuntur.Igitur effectus eiuſmodi, quamquam ſimpliciter miracula dici nequeũt, quod ex naturalibus cauſis proueniant: nobis tamẽ dupliciter mirabiles redduntur ex eo in primis, quod per eiuſmodi intelligentias,res naturales ad aliquos effectus admouentur modo nobis diſſueto: vnde ingenioſorum artificum opera miramur, quod ſcilicet qualiter operentur nõ attingimus: deinde vero quod cauſæ naturales admotæ aliquid virtutis ſortiuntur, ex hoc quod ſunt inſtrumenta ſpirituũ,quod etiã ad miraculi rationem magis acceſſerit. His aũt modis dæmonũ aſtutia & efficacia mira faciunt magi, vt tandẽ probabo nõnullis prælibatis.

Punctum tertium.Opera mira magorũ ex corporũ cæleſtiũ impreſſione eſſe nequeunt. Fuerunt enim qui dicere voluere, mira per artes magicas effecta cæleſtium corporum influxibus perfici, non autẽ a ſubſtantijs ſpiritualibus:cuius rei ſignum dixere,quod eiuſmodi operum patratores ſyderũ ſitus obſeruant, & herbarũ, ac aliarum rerum corporalium auxilia quædam admoueant, quaſi materiã parantia ad cæleſtis virtutis influxum. Hoc tamen his quæ nobis apparent, & experimentis patent aduerſatur. Primo. Cum enim ex principijs corporeis intellectũ cauſari poſſe impoſſibile ꝓbauerimus ſupra,impoſ-

ſibile

ſibile eſt effectus intellectualis naturę ꝓprios cæleſtis corporis virtute cauſari: In eiuſmodi autẽ magorum operatis, quædam videntur, quæ non niſi creaturæ ſpiritualis opera eſſe dixeris, vt ea quibus de furtis ſublatis reſponſa dãtur, & de eiuſmodi quæ ſolo intellectu fieri poſſe confeſſum eſt. Non igitur verũ eſt, omnes eiuſmodi effectus, ſola corporũ cæleſtium virtute cauſari. Secundo. Ipſa loquela cũ ratione, rationalis naturæ effectus eſt, vt cernitur: In dictis vero operibus aliqui hominibus colloquentes apparent, & de rebus varijs ratiocinantes. Igitur eiuſmodi ſola cæleſti virtute perfici plane eſt impoſſibile. Si vero dicatur huiuſmodi apparentias ſecundũ exteriorem ſenſum non eſſe, verum potius apud imaginationem tantũmodo, hoc dupliciter impugnatur: Et quidẽ in primis, quia nulli formæ imaginatæ apparent quaſi res veræ, niſi ab exteriorib⁹ ſenſibus alienatio fiat: eſſe enim minime põt, quod ſimilitudinibus quaſi rebus attẽdatur, niſi ſenſus naturali iudicio ligato. Huiuſmodi vero apparitiones ad homines fiunt, qui extẽrioribus ſenſibus libere vtuntur. Igitur quod hæc viſa vel audita ſecũdum ſolam imaginationem ſint, eſt impoſſibile. Deinde vero ex quibuſcunque formis imaginatis intellectualis cognitio vlli cõuenire nõ poteſt, vltra naturalem, vel acquiſitam ſui intellectus facultatẽ: quod & in ſomnis apparet, in quibus & ſi qua futurorũ præſignatio fit, non tamen quicunque ſomnia viderit, eorum ſignificata etiã intellexerit. Per eiuſmodi vero audita aut viſa in magorum operatis, plerumq; aliquibus intellectualis cognitio aduenit vltra eorum intellectus facultatem; veluti ſecretorum theſaurorum reuelatio, futurorum & occultorum manifeſtatio, & quandoque etiam de diſciplinarum documentis verà reſponſa. Igitur oportet, quod aut illi apparentes, & colloquentes ſecundum imaginationem tantum, non uideant: aut ſaltẽ alicuius ſuperioris intellectus virtute hoc fiat, vt homo in eiuſmodi notitiam educatur: non autem cæleſtium virtutum operatione fiat. Tertio. Principaliter, quod virtute cæleſtium corporum fit, effectus naturalis ſit oportet. Nam formæ naturales ſunt, quæ in his inferioribus cæleſtium corporum virtute cauſantur. Quod igitur nulli rei poteſt eſſe naturale, cæleſtium corporum virtute non fiat oportet. Quædam vero talia per dictas operationes fieri dicuntur, ceu quod ad alicuius præſentiam, quæcunque ſera pandatur, quod quis inuiſibilis reddatur, & multa eiuſmodi, quæ narrantur. Non eſt igitur poſſibile hoc fieri cæleſtium virtute corporum. Quarto. Cuicunque cæleſtis corporis virtute confertur quod poſterius eſt, ei vtiq; & quod prius eſt conferatur oportet. Moueri autem ad habere animam per ſe conſequitur: animatorum enim proprium eſt mouere ſeipſa. Impoſſibile eſt igitur fieri virtute cæleſtium corporum, quod aliquod

inanimatũ

inanimatum per ſe moueatur. Fieri autem hoc per magicas artes com pertum eſt, quod ſtatua aliqua per ſe moueatur, aut vocem edat. Igitur magicarum artium effectus cæleſti virtute effici poſſibile non eſt. Si dixeris, ſtatuam illam cæleſtium corporum virtute ſortiri aliquod vitæ principium; hoc vtique impoſſibile ſit oportet. Et quidem in primis, quia in viuentibus omnibus, vitæ principium forma eſt ſubſtantialis, quæ dat eſſe viuum: viuere enim eſt eſſe viuentibus, teſte Philoſopho. 2. de Anima. Aliquid vero ſubſtantialem formã recipere nouiter niſi amittat antiquam, impoſſibile eſt: Generatio enim vnius, neceſſario alterius corruptio eſt. In fabricatione autem alicuius ſtatuæ, nulla forma ſubſtantialis abijcitur, ſed ſecundum figuram ſolam trãſmutatio fit, quæ accidens eſt: manet enim forma cupri vel alterius eiuſmodi. Igitur impoſſibile eſt eiuſmodi ſtatuas ſortiri aliquod vitæ principium. Deinde vero, ſiquid per vitæ principium moueatur, illud habere ſenſum neceſſe eſt: mouens enim aut ſenſus, aut intellectus eſt. Intellectus vero in generabilibus & ſenſibilibus nõ eſt ſine ſenſu: ſenſus autem nequaquam eſt vbi tactus non eſt, nec tactus ſine organo medie temperato: quæ temperies in lapide, cera vel metallo, & huiuſmodi, ex quibus ſtatua fit, non inuenitur. Igitur huiuſmodi ſtatuas moueri per vitæ principium non eſt verum. Demum vero viuentia perfecta non generantur ſolum ex virtute cæleſti, verum cum hoc ẽt ex ſemine: homo enim hominem generat, & ſol: Quæ vero ex cęleſti virtute ſine ſemine generantur, animalia ſunt ex putrefactione genita, infirmiora inter cætera & ignobiliora. Igitur ſi per ſolam cæleſtem virtutem huiuſmodi ſtatuæ vitæ principium ſortiuntur, per quod ſeipſa moueant, inter animalia ignobiliſsima quædam ſint oportet: quod tamen falſum eſſet, ſi per vitę principium intrinſecum operarentur. Nam in eorum actibus operationes nobiles apparent, cum de abdiſſimis rebus reſponſa ferant. Non igitur poſſibile eſt, quod per vitæ principium moueantur. Quinto. Effectum naturalem cæleſtium corporum virtute productum, abſque artis operatione inueniri contingit: etſi enim aliquorum artificio quis ad ranarum generationem operetur, vel alicuius huiuſmodi, abſque omni tamen artificio ranas gigni contingit. Si ergo cæleſti virtute huiuſmodi ſtatuæ, quæ arte necromantica fiunt, ſortiantur vitæ principium, abſque arte etiam dabitur inuenire eiuſmodi ſtatuarum generationem, quod falſum conſtat. Igitur eiuſmodi ſtatuæ virtute corporis cæleſtis nec mouentur, nec habent vitę principium. Pręter hæc vero poſitio Hermetis exploditur, teſte Aug. 8. de Ciui. dei. profitentis, quod ſicut Deus cæleſtium deorum, ita homo effictor eſt deorum, qui in templis ſunt humana proximitate contenti, ſtatuas dico animatas ſenſu & ſpiritu plenas &c. Quam

etiam

etiam poſitionem euertit Scriptura diuina, quæ dicit: Simulacra gentium argentum & aurum &c. Non videtur tamen omnino negandū, quin in prædictis magorum effectibus ex cæleſtium corporum influxu aliquid virtutis eſſe poſsit: ad illos tamē ſolos effectus, quos virtute cæli inferiora aliqua corpora poſsunt efficere; id enim neque diuus Thomas negarit.

Punctum quartum. Ex aliqua intelligentia opera magorum efficaciam ſortiuntur. Primo. Nam vnde magicæ artes habeant efficaciam, facile perpendi poteſt, ſi earum in operando modus obſeruetur. Vtuntur enim vocibus quibuſdam ſignificatiuis ad determinatos effectus producendos: vox autem inquantum ſignificatiua eſt, non niſi ab aliquo intellectu virtutem habet, vel ex intellectu proferentis, vel eius ad quem profertur. Ex proferentis quidem intellectu, ſicut ſiquis intellectus tantæ virtutis ſit, quod ſua conceptione res poſſet efficere: quam quidem conceptionē vocis officio producendis effectibus quodammodo præſentat. Ex intellectu vero eius ad quē ſermo dirigitur, vt cum per ſignificationem vocis in intellectu receptam ad aliquid efficiendum inducitur audiens. Non autem dici poteſt, quod voces illæ ſignificatiuæ prolatæ a Magis, ex intellectu proferentis efficaciam naſcantur: quia cum virtus eſſentiam conſequatur, virtutis diuerſitas principiorum eſſentialium diuerſitatem arguit: intellectus autem hominum cōmuniter huius diſpoſitionis inuenitur, quod eius cognitio ex rebus cauſatur magis, quam ſua conceptione res cauſare poſsit. Si igitur ſint aliqui homines, qui verbis conceptionem ſui intellectus exprimentes, res poſsint propria virtute tranſmutare, alterius erunt ſpeciei, & homines æquiuoce dicentur. Secundo. Virtus faciendi, per diſciplinam minime acquiritur, ſed cognitio ſolum aliquid faciendi: Per diſciplinam vero acquirunt aliqui, quod huiuſmodi operationes magicas efficiant. Non eſt igitur in eis ad huiuſmodi effectus producendos virtus aliqua, ſed cognitio ſola. Si vero dicatur, quod huiuſmodi homines in ſua natiuitate ex virtute ſtellarum ſortiuntur præcæteris dictam virtutem, ita quod quantumuis inſtruantur cæteri, id ex natiuitate non habentes, in operibus eiuſmodi efficaces eſſe nequeunt: primo quidem dicendum eſt, quod ſuper intellectum cæleſtia corpora non poſſunt imprimere, vt alias multipliciter oſtenſum eſt, conſequenter autem ex ſtellarum virtute intellectus cuiuſque hanc virtutem ſortiri non poteſt, quod repræſentatio ſuæ conceptionis per vocē ſit alicuius effectiua. Si vero dicatur, quod etiam imaginatio aliquid in vocum ſignificatiuarum prolatione operetur, ſuper quam imprimere poſſunt cæleſtia corpora, cum huius operatio per corporale organū fiat, hoc eſſe nequit quantum ad effectus omnes, qui per artes huiuſ-

modi fiunt: Oſtenſum eſt enim quod huiuſmodi effectus omnes non poſſunt ſtellarum virtute produci, & conſequenter neque ex ſtellarum virtute poteſt quis hanc virtutem ſortiri, vt eoſdem effectus producat. Relinquitur ergo, quod effectus eiuſmodi per intellectum aliquem compleantur, ad quem ſermo eiuſmodi voces proferentis dirigitur. Huius autem rei ſignum eſt. Nam eiuſmodi ſignificatiuę voces, quibus magi vtuntur, inuocationes ſunt, ſupplicationes, adiurationes, aut etiam imperia quaſi ad alterum colloquentis. Tertio. In artis huius obſeruationibus vtuntur magi quibuſdam characteribus & figuris determinatis. Figura autem nullius actionis principium eſt, neque paſſionis: alias mathematica corpora & actiua, & paſſiua eſſent. Non ergo per determinatas figuras materia diſponi poteſt ad effectum aliquē naturalē ſuſcipiēdum. Non ergo vtuntur magi figuris aliquibus quaſi diſpoſitionibus: relinquitur ergo quod eis vtuntur ſolum quaſi ſignis: non enim eſt aliud determinatum dare: Signis autem non vtuntur niſi ad alios intelligentes: habent ergo magicæ artes efficaciam ab illo intelligente, ad quem magi ſermo dirigitur. Si dicatur vero, quod figuræ aliquę aliquibus cæleſtium corporum aptantur, & ita inferiora corpora per aliquas cæleſtium corporum figuras ad impreſsiones excipiendas determinantur, videtur hoc irrationabiliter dici. Non enim ordinatur aliquod patiens ad ſuſcipiendas determinationes agētis, niſi per hoc quod eſt in potentia, & conſequenter ea ſola ipſum determinant ad ſpiritualem impreſsionem excipiendam, per quæ fit quodam modo in potentia. Per figuras autem non diſponitur materia, vt in potētia ſit ad aliquā formā: quia figura, ſecundū ſuam rationē, ab omni abſtrahit materia, & forma ſenſibili; quippe quæ eſt mathematicum quoddā. Nō ergo per figuras & characteres determinatur corp⁹ quodcunq; ad cæleſtis corporis influentiā recipiendā. Quarto. Figuræ aliquæ cæleſtibus corporibus appropriātur vt effectus, nā ab eis cauſantur inferiorū figuræ. Prædictæ autē artes characteribus aut figuris nō vtūtur quaſi cæleſtiū corporū effectibus, verū potius ſunt effectus hominis operātis per artē. Igitur appropriatio figurarum ad aliqua corpora cæleſtia ad propoſitū facere videtur nihil. Quinto. Per figurā minime diſponitur aliqua materia naturalis ad formā, vt patuit. Corpora igitur, in quibus eiuſmodi figurę impreſſę ſunt, eiuſdē ſunt habilitatis ad cæleſtē influxū excipiēdū cū corporibus alijs eiuſdē ſpeciei. Quod autē aliquid imprimatur in vnū eorū, quæ ſunt æque diſpoſita propter aliquid ſibi appropriatū ibi inuentū, & nō in aliud, nō eſt operātis per neceſsitatē naturæ, ſed per electionem. Patet ergo, quod artes eiuſmodi figuris vtētes ad effectus producendos, ab aliquo per naturā agente efficaciā nō habent: ſed ab aliqua intellectuali ſubſtantia per

intelle-

intellectum operante. Hoc etiam & ipſum nomen demonſtrat, quod figuris imponunt, characteres eas dicentes: character enim ſignum eſt, in quo datur intelligi, quod figuris eiuſmodi non vtuntur niſi vt ſignis alicui intellectuali naturę exhibitis. Quia vero figurę in artificialibus ſunt quaſi formæ ſpecificæ, poteſt quis dicere apud diuum Tho. quod nihil prohibet, quin conſtitutionem figurę, quæ imagini ſpeciem dat, conſequatur aliqua virtus ex influentia cæleſti: non ſecundum quod figura eſt, ſed ſecundum quod cauſat ſpeciem artificiati, quod adipiſcitur virtutem ex ſtellis. Sed de litteris, quibus aliquid in imagine inſcribitur, vel alijs characteribus nihil aliud poteſt dici, quam quod ſigna ſunt, vnde non habent ordinem niſi ad aliquem intellectum. Quod etiam oſtenditur per ſacrificia, proſtrationes, & alia eiuſmodi, quibus vtuntur, quæ aliud nihil eſſe poſſunt, niſi ſigna reuerentiæ exhibitæ alicui intellectuali naturæ.

Punctum quintum. Ea intelligentia, quę magorum operibus efficaciam præſtat, mala eſt. Primo. Præſtare enim patrocinium his quæ ſunt contraria virtuti, non eſt intellectus bene diſpoſiti. Hoc autem in eiuſmodi artibus contingit: fiunt enim plerumque adulteria, furta, homicidia, & multa alia eiuſmodi maleficia procurantur, vnde vtentes his artibus, malefici vocantur. Non eſt ergo bene diſpoſita ſecundum virtutem intelligentia, cuius auxilio huiuſmodi artes innituntur. Secundo. Non eſt intellectus bene diſpoſiti ſecūdum virtutem, familiarem eſſe ſceleratis, & eis patrocinari, non autem quibuſlibet optimis: Huiuſmodi autem artibus vtūtur plerumq; homines ſcelerati. Non eſt igitur intellectualis natura, cuius ſuffragio artes huiuſmodi ſunt efficaces, bene diſpoſita ſecundum virtutē. Tertio. Nam intellectus bene diſpoſiti eſt reducere homines in ea quæ ſunt hominū propria bona, quæ equidem ſunt bona rationis, conſequenter vero ab his ad quædā bona minima homines abducere, intellectus eſt diſpoſiti indecenter. Per eiuſmodi vero artes nō acquirunt homines profectum quempiā in bonis rationis, quæ videlicet ſcientiæ ſunt & virtutes: ſed in quibuſdam minimis veluti furtorum inuentione, deprehenſione latronum, & eiuſmodi. Igitur intelligentiæ, quarum auxilio hæ artes vtuntur, non ſunt ſecundum virtutem bene diſpoſitæ. Quarto. In dictarum artium operibus illuſio quædam & irrationabilitas videtur: requirunt enim hominem re venerea non attrectatum, cum tamen plerumque ad illicitos concubitus conciliandos adhibeantur: In opere vero intellect⁹ bene diſpoſiti, nihil irrationabile & ſibi diuerſum apparet. Igitur idē quod prius. Quinto. Nō eſt ſecundum intellectū diſpoſitus bene qui propter commiſſa ſcelera alicui ad ſuffragādum prouocatur: Hoc vero in iſtis artibus fit, nam in harum executione innocentes pueros

aliqui necaſse leguntur. Non igitur ſunt intellectus boni, quorum auxilio iſta fiunt. Sexto. Nam intellectus bonum proprium veritas eſt. Cum igitur boni ſit bonũ adducere, cuiuſlibet intellectus bene diſpoſiti eſſe videtur alios ad veritatem perducere: In operibus vero magorum plerumque ea fiunt, quibus homines ludificentur & fallantur. Igitur intellectus cuius ſuffragio vtuntur, ſecũdum mores bene diſpoſitus non eſt. Septimo. Intellectus bene diſpoſitus, veritate qua delectatur, allicitur, non mendacio. Magi autem in ſuis operibus quibuſdam mendacijs vtuntur, quibus eos alliciant, quorum auxilio vtũtur: comminantur enim quædam, veluti quod niſi inuocanti ſuccurrat, cælum ipſæ inuocans comminuet; aut deponet ſydera, vt Porphyrius narrat in epiſtola ad Anebuntem. Illæ igitur ſubſtantiæ inuocatæ non ſunt bene diſpoſitæ ſecundum intellectum. Octauo. Non videtur eſſe habẽtis intellectum bene diſpoſitum, vt ſi ſuperior ſit, ſubdatur imperanti tanquam inferior: aut ſi inferior ſit, ab eo ſibi quaſi a ſuperiore ſupplicari patiatur. Magi autẽ eos quorum auxilio vtuntur, ſuppliciter inuocant quáſi ſuperiores, & cum aduenerint eis quaſi inferioribus imperant. Nullo igitur modo videtur bene diſpoſiti ſecundum intellectum.

Punctum vltimum. Aliquæ ſunt intelligentiæ malæ, quas dicunt idiomate græco cacodæ dæmones, latino vero dæmones ſimpliciter. Nam rationes prædictæ, quibus quod aliquæ ſint intelligentię nõ bonæ probatum eſt, probant quod ſint aliquæ malæ, vt patet diſcurrendo per ſingulas: & ex hoc quod omne opus liberi arbitrij, cum deliberatione ſcilicet elicitum, ſi nõ eſt bonum, malum ſit oportet, vt diffuſe Theologi probarunt, et hoc litteræ diuinæ minime tacuerunt. Dicitur enim Ioan. 3. quod diabolus ab initio peccat: & Ioan. 8. dicitur de eodem, quod eſt mendax, & mendacij pater, & quod homicida erat ab initio: & Sapien. 2. quod eius inuidia mors introiuit in orbem terrarum; & in locis innumeris ſcripturarum eiuſmodi patent.

Qualiter & quot intelligentiæ peccarunt. C A P. XII.

ETSI vero ad noſtrum inſtitutum neceſſarium minime eſt qualiter, aut quot ex intelligentijs peccarunt: propter curioſos tamen lectores, quibus eiuſmodi ex Theologorum fonte haurire non vacat, id multis punctis efficiemus.

Punctum primum. Nullam intelligentiam naturaliter eſſe moraliter malã. Primo. Si qua enim intelligentia ſecundũ naturã ſuã mala eſſet moraliter, naturaliter tenderet in malũ, conſequẽter autẽ in illud per ſe, nõ per accidens tẽderet: nõ enim aliquid per accidẽs in id tẽdit,

in quod naturaliter tendit, vt lapis deorſum. Hoc vero eſt omnino impoſsibile: omnia enim tendunt in bonum verum, vel apparens, quia in id tendunt, quod iudicant ſibi conueniens: vnde & bonum dicitur quod omnia appetunt. 1. Ethi. Non igitur ſecundum ſuam naturam malę ſunt ſpirituales intelligentiæ. Secundo. Quicquid in rebus eſt, aut cauſa, aut cauſatum ſit oportet, alioquin non omnia adinuicem ordinarentur. Aut igitur eiuſmodi ſubſtantiæ ſunt cauſæ tantum, aut etiam cauſatæ. & quidem ſi cauſæ, malum alicuius cauſa eſſe nequit niſi per accidens: eſt enim priuatio quædam, quæ nō niſi per accidens principium eſt. Omne autem quod eſt per accidens, ad id reduci oportet quod eſt per ſe, & conſequenter oportet in eis eſſe aliud prius eorū malitia, per quod ſunt cauſę: primum autem in vnoquoq; eſt eius natura & eſſentia. Non igitur ſecundum ſuam naturam ſunt malę. Idem etiam ſequitur ſi ſunt cauſatę. Nullum enim agens agit niſi intendens ad bonum, & conſequenter malum non poteſt eſſe effectus cauſæ cuiuſcunque niſi per accidens. Quod autem ſecundum accidens tantum cauſatur, ſecundum naturam eſſe non poteſt, cum omnis natura modum determinatum habeat, quo per ſe procedit in eſſe. Non eſt igitur poſsibile eiuſmodi ſubſtantias ſecundum naturam eſſe malas.

Tertio. Secundum modum naturæ propriæ omne ens habere proprium eſſe manifeſtum eſt. Eſſe vero, inquantum huiuſmodi, bonum eſt: cuius ſignum hinc habetur, quod eſſe ab omnibus deſideratur & appetitur. Igitur ſi ſubſtantię huiuſmodi ſecundum ſuam naturam eſſent malæ, eſſe haberent nullum. Quarto. Nihil eſſe poteſt quin a primo ente eſſe habeat, vt ſuppoſitum eſt, & a philoſophis multipliciter probatum. Primū vero ens eſt primum & ſummum bonum, vt liquet. Cum autem omne agens inquātum huiuſmodi, agat ſibi ſimile, oportet quæ a primo ente ſunt, bona eſſe. Prædictæ igitur ſubſtantiæ, ſecundum quod ſunt, & naturā aliquam habent, malæ eſſe non poſſunt. Quinto. Aliquid vniuerſaliter boni participatione priuatum eſſe impoſsibile eſt: quippe cum idem ſit appetibile, & bonum, ſiquid eſſet omnino expers boni, appetibile in ſe haberet nihil. vnicuiq; autē eſt appetibile ſuum eſſe. Igitur ſi quid ſecundum naturam ſuam dicatur malum, illud nō eſſe quaſi ſimpliciter malum oportet; ſed ideo ſic dici, quod ſit malum huic, vel quantum ad hoc: ſicut venenum non eſt ſimpliciter malum, ſed huic, cui eſt nociuum: vnde quod vni venenum, alteri cibus eſt. Hoc autem ex eo contingit, quod particulare bonum, quod proprium eſt huius, contrarium eſt bono particulari quod eſt proprium alterius: veluti bonum proprium ignis calor, aquæ bono proprio frigori contrariatur, illudq; pro viribus deſtruit. Quod igitur ſecundum ſuam naturā ordinatur in bonum non particulare, ſed ſimpliciter,

pliciter, impoſsibile eſt etiam ſecundum hunc modum naturaliter eſſe malum. Talis vero eſt omnis intellectus: nam bonũ eius in propria operatione eſt, quę vniuerſaliũ eſt, & eorum quę ſunt ſimpliciter. Non eſt igitur poſsibile intellectũ aliquem ſecundũ ſuam naturã eſſe malum, non ſimpliciter modo, verumetiã ſecundũ quid. Sexto. In omni habente intellectũ, naturali ordine intellectus appetitũ moueat oportet: proprium enim obiectũ voluntatis, bonum intellectũ eſt: Bonũ autem voluntatis in eo eſt, quod ipſa intellectũ ſequitur, ſicut in nobis bonũ eſt, quod eſt ſecundũ rationem eſſe: quod autẽ eſt pręter hoc, malũ eſt. Igitur naturali ordine ſubſtantia intellectualis vult bonũ. Impoſsibile eſt igitur dictas ſubſtãtias naturaliter eſſe malas. Septimo. Cum voluntas in bonũ intellectum ſicut in propriũ obiectum & finem naturaliter feratur, impoſsibile eſt quod intellectualis ſubſtantia malã ſecũdum naturã habeat voluntatẽ, niſi eius intellectus naturaliter erret circa iudiciũ boni: Nullus vero intellectus eiuſmodi eſſe poteſt: falſa enim iudicia in operationibus intellectus ſunt ſicut monſtra in rebus naturalibus, quæ non ſunt ſecundũ ſuam naturã, ſed præter naturam: nam bonũ & finis naturalis intellectus cognitio veritatis eſt. Impoſsibile igitur eſt aliquẽ intellectum eſſe, qui naturaliter in veri iudicio erret. Neq; igitur poſsibile eſt, quod ſit aliqua ſubſtantia intellectualis, habens naturaliter voluntatẽ malam. Octauo. Nulla potentia cognitiua a ſui obiecti cognitione deficit, niſi aut propter defectum aliquem, aut propter aliquã ſui corruptionẽ: quippe quæ ſecundũ propriam naturã ad cognitionẽ talis obiecti ordinatur, ſicuti viſus a coloris notione nõ deficit, niſi circa ipſum corruptio aliqua extiterit. Omnis vero corruptio & defectus pręter naturã ſit oportet: quia natura intendit eſſe & perfectionẽ rei. Impoſsibile igitur eſt, quod ſit aliqua virtus cognitiua, quæ a recto ſui obiecti iudicio naturaliter deficiat: proprium vero obiectum intellectus verum eſt. Impoſsibile igitur eſt aliquem intellectum eſſe circa veri cognitionem naturaliter oberrantem. Neque igitur voluntas aliqua poteſt naturaliter a bono deficere. Quod etiam diuinæ litteræ confirmarunt: Nam omnis creatura Dei bona dicit. 1. Tim. 4. Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona Gen. 1. Et intellige vnumquodque in genere ſuo, ſcilicet naturæ vel moris. per hoc vero Manichæorum error excluditur, qui eiuſmodi ſubſtantias intellectuales, quas aſſueto nomine dæmones vel diabolos vocamus, naturaliter eſſe malas aſſeruere. Excluditur etiam opinio, quam Porphyrius in epiſtola ad Anebuntem narrat, dicens eſſe quoddam ſpirituum genus, cui exaudire magos ſit proprium natura falax, omniforme, ſimulans deos, & dæmones, & animas defunctorum: & hoc eſt quod efficiat hæc omnia, quæ videntur eſſe

praua:

praua: ceterum circa ea, quæ vere ſunt bona, nihil opitulari: immo vero iſta nec noſſe, ſed mala conciliare, & inſimulare, atque impedire, & inuidere virtutis ſedulos ſectatores, & plenum eſſe temeritatis & faſtus, gaudere odoribus, adulationibus capi. Hæc quidem Porphyrij verba naturam dęmonum, quorum auxilio magicę artes vtuntur, ſatis aperte declarant; in hoc ſolo reprehenſibilia, quod eis hanc malitiam naturaliter ineſſe firmarunt.

Punctum ſecundum. Conſequenter vero his loquendo dicimus, nec in primo iſtanti ſuæ creationis intelligentias malas eſſe potuiſſe; Nam actus, qui rei cõuenit in ſuo primo inſtanti, ineſt ei a ſuo authore naturaliter; ſicut motus lapidis deorſum ineſt ei a ſuo generante, & generaliter motus grauium & leuium, qui cum rei natura incipiunt, a generante inſunt. Author vero angeli Deus ſit oportet, cum ſola creatione producatur, qui Deus non poteſt eſſe cauſa peccati. Non ergo in primo inſtãti angeli peccare potuerunt. Auguſtinus tamen. 11. ſuper Gen. ad lit. & 10. de Ciuitate Dei, hanc pertractans quęſtionem, in neutro loco aliquid determinat: & in primo videtur in illud inclinari, quod in primo inſtanti ſuæ creationis peccarint; in ſecũdo vero quod non peccarint, ſed id quod diximus verum eſt.

Punctum Tertium. Sunt ergo intelligentiæ malæ ex ſuo libero arbitrio. Primo. Nam aut natura, aut voluntate ſunt malæ: quia malum peccati, de quo ſermo habetur; eſt actio; agens autem omne aut naturale, aut voluntarium eſt: Sed non ſunt malæ natura, vt probatum eſt. Ergo voluntate & arbitrio libero malæ ſint oportet. Secũdo. Si non ſunt malæ voluntate, natura malę ſint oportet, vt patuit: Non ſunt autem malæ natura: quia in primo inſtanti ſuo malæ fuiſſent, quippe ea quæ ex natura conueniunt, ſimul inſunt cum natura, alioquin eſſet cauſa aliquando, & non eſſet effectus. Sunt ergo malę voluntate. Tertio. Omne voluntarium a voluntate eſt: Omne vero peccatum ſeu malum morale voluntarium ſit oportet, quia peccatum eſt actus humanus malus: humanus vero actus non eſt niſi deliberatus ſit, ſiue ab homine inquantum homo, etſi poſsit eſſe hominis. Omne ergo peccatum a voluntate eſt. ergo & quod intelligentiarum eſt.

Punctum quartum. De multitudine autem malarum intelligentiarum, vel dæmonũ per naturalem rationem demonſtratiue aut parum, aut nihil poſſumus enuntiare: probabiliter autẽ conſtat eſſe plurimos ex his quę experimur, quippe qui videmus multos energumenos ſiue arreptitios, quos non eſt probabile ab vno dæmone in partibus maxime tam diſtantibus obſideri: videmus etiã quod ſimul innumerabiles homines de vitijs tentantur. Secundum ſcripturas vero non eſt dubi-

um,

um, quod ſint plures, dicente Domino, quod ignis paratus ſit diabolo & angelis eius. Et Paulus ad Ephe.6.ait; Nō eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Et in Apoc. inducuntur a Deo multi, vt cum angelis bonis congredi auderent. Immo ex ſcripturis colliguntur ſeptē duces in malignis ſpiritibus, ſecundum ſeptem vitia capitalia, qui cōtra genus hominum cum ſuis turmis aſsidue pugnant. Immo voluere nonnulli Theologi, quod ſingulis hominibus ſunt in exercitium dati ſinguli ſpiritus mali. Vide diuum Tho. 2. di.11.q.1.art.5. Ex quo ſequitur dęmonum multitudinem eſſe maximam. Et hoc indubie credendum eſt, quod ſit dęmonum innumerabilis multitudo.

Punctum quintum. Vtrum vero de intelligentijs plures peccauerint, & factæ ſint dæmones, quam remanſerint; dicendum eſt quod non. Nam peccatum eſt cōtra naturalem inclinationem intellectualis naturæ quicquid ſit de animali vel brutali: ea vero quę contra naturam fiunt, vt in paucioribus accidunt; natura enim ſuum effectum conſequitur aut ſemper, aut in pluribus, experientia teſte: vnde plures ſunt angeli boni quam mali. Quod etiam ſcriptura diuina in ſpirituali ſenſu non tacuit, quippe 4.Reg.6. vbi cum miniſter Eliſei plenū montem equitibus Syrijs conſpexiſſet, ac timeret, Eliſeus hortatus eum non timere, dixit; Plures nobiſcum ſunt quæ cum illis: quod de bonis angelis, qui contra malos nobis ſunt in auxilium, exponitur. Nec obſtat primo, quod bonum dicitur eſſe in paucioribus, malum vero in pluribus, quippe de hominibus hoc a Philoſopho dicitur, qui cum duplicem habeant inclinationem naturæ, ſpiritus ſcilicet ad intelligibilia bona, & carnis ad ſenſibilia, ſenſibilia vtpote notiora magis ſequuntur, in quo eorum peccata ſunt. Non eſt autem ſimile de ſpiritibus, in quibus eſt vnica ſolum inclinatio, & illa ad bonum.

Punctum ſextum. Vtrum vero intelligentia inter peccantes nobilior & prior, prima fuerit inter omnes bonas & malas naturæ ordine; dicendum eſt, de hoc eſſe opiniones: demonſtratiue enim nihil de re iſta ſcimus, Damaſcenus enim lib.2.ca.4.ſenſit, qđ maior inter peccātes terreſtri ordini fuit prælatus. Gregor. vero ī ea Homelia, quā de cētum ouibus edidit, dixit quod primus angelus qui peccauit, dū cunctis agminibus angelorum prælatus eorum claritatem tranſcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit. vtraq; autem opinio habet probabile fundamentum: Nam in peccato eſt aduertere, & contemplari duo, ideſt pronitatem, vel inclinationem ad peccandum; & motiuum, ideſt, obiectum reſpectu cuius eorum peccatum fuit. Et quidem ſi pronitas ad peccandum in angelis attendatur, minus videntur peccaſſe

ſuperiores,

ſuperiores: ideoque hoc aduertens, & conſiderans Damaſcenus, dixit, peccantium maximum terreſtri, ideſt corporeo, rerum inferiorum ordini præfuiſſe. Quæ quidem opinio opinioni Platonicorum, quam Auguſt. 9. & 10. de Ciuitate Dei recitat, conſona videtur, qui dixere, omnes deos fuiſſe bonos; ſed dæmonum quoſdam bonos, & quoſdam malos: deos appellantes ſubſtantias intellectuales, quæ ſunt a globo lunari ſuperius: dæmones vero ſubſtantias intellectuales, quæ ſunt a globo lunari inferius; ſuperiores tamen hominibus ordine naturæ. Quæ quidem opinio eſt quaſi a fide aliena abiicienda, quippe tota creatura corporalis adminiſtratur a Deo per angelos, vt Aug. lib. 3. de Trin. aſtruxit. Conſequenter autem nihil prohibet dicere, inferiores angelos diuinitus diſtributos ad inferiorum corporum miniſteria: ſuperiores vero ad ſuperiorum corporum regimen, ſupremos vero ad aſsiſtendum Deo: & ſecundum hoc Damaſ. eos qui ceciderunt de inferioribus extitiſſe dicit, in quorum etiam ordinibus boni aliqui remanſere. Si vero motiuum angelorum ad peccandum contemplemur, id in ſuperioribus maius fuit; quippe dæmonum peccatum ſuperbia fuit, vt ſupra dictum eſt: cuius motiuum excellentia eſt, quæ in ſuperioribus fuit longe maior, maxime vero in ſupremo. Cum enim ſint pene infiniti, vt probatum eſt; quiſque tamen eorũ ab inferiore ſpecie differt, ſicut equus ab aſino, vt probatum eſt ſupra. Vnde ſupremus infimum tot gradibus ſuperat, quot angeli ſunt creati: & conſequenter quodammodo infinitis. Vnde eum qui inter peccantes maior fuit, Gregorius rationabiliter ſupremũ putauit, quaſi maximum ad peccãdum motiuum habuerit. Et eſt hæc opinio probabilior, quia angelicum peccatum non proceſsit ex pronitate, quam conſiderauit Damaſ. ſed ex ſolo libero arbitrio, quod fuit excellentia propria delectatum, quam conſiderauit Greg. conſequenter autẽ magis videtur conſideranda ratio à motiuo peccandi, quam à pronitate ſumpta. Non eſt tamen inde alteri opinioni præiudicandum: quia etiam in principe inferiorum angelorum aliquod ad peccandum motiuum potuit affuiſſe. Si autem vera eſſet opinio Damaſc. de quolibet nouem angelorum ordinum non potuerũt aliqui cecidiſſe, vt liquet. At ſi vera eſt Gregoriana (vt credimus) & poſsibile, & veriſsimile eſt de ordine quolibet aliquos cecidiſſe, quemadmodum etiam in quemlibet prædictorum ordinum ad ruinæ angelicæ reparationem homines aſſumuntur. Quamquam in litteris diuinis quorundam angelorũ nomina dæmonibus non attribuuntur, vt Seraphim, & Thronorum, quippe quæ ab ardore charitatis, & a Dei inhabitatione ſumãtur, quę duo peccato mortali, in quo dæmones ſunt, repugnãt. Nec tamen prædictis obſtat, quod Ezech. 28. Angelus inter peccãtes ſupremus di-

citur Cherub: ordo autem Cherubim non eſt primus, ſed ſecundus: primus vero eſt ordo Seraphim apud Diony. 7. cap. angel. hierar. & conſequenter non videtur inter omnes angelos primus extitiſſe. Non obſtat inquam, quippe Cherubim interpretatur, plenitudo ſcientiæ: Seraphim vero, ardentes, ſeu incendentes; & conſequenter Cherubim a ſcientia nominatur, quæ cum mortali eſſe poteſt: Seraphim vero à charitatis ardore, qui mortali peccato repugnat. Et ideo primus angelus peccãs, quãquam fuerit Seraphim, tamen Cherub dictus eſt in deteſtationẽ peccati. Non obſtat etiam, quod ſi angelus inter omnes ſummus peccauit, diuina intentio, quæ eſt vt intellectualis natura beatificetur in nobiliſsima creatura, fruſtrata fuiſſet. Non obſtat inquam, quippe intentio diuina in neutris fruſtratur; ſiue ſtantibus, ſiue cadentibus angelis: vtrorumque enim euentum Deus præ nouit, & ex vtroque gloriam habet, dum illos bonitate ſaluat, punit vero hos iuſtitia ſua. Ipſa vero intellectualis natura à ſuo fine cadit, ſi peccat; nec hoc inconuenit in creatura quantumcunque ſublimi. Sic enim à Deo intellectualis creatura inſtituta eſt, vt in arbitrio eius ſit agere propter finem, & vt poſsit ſaluari & damnari, & ſaluetur ſi malit. Non obſtat vltimo, quod angelus quanto ſuperior, tanto in Deum inclinatior eſt, & conſequenter tanto minus a Deo poteſt peccando recedere. Dico enim quod illa inclinatio, & in eo, & in omni creatura factibili in infinitum nobilior ſemper eſt cum libertate arbitrij, vt ſemper poſsit peccare ſi velit. Quomodo autem peccantis angeli, peccatum alijs angelis cadentibus fuerit occaſio cadendi, præſentis nequaquam eſt ſpeculationis.

Punctum vltimum. Contra vero ea quæ & rationibus, & litteris diuinis aſtruximus, ſcilicet eſſe malas intelligentias, quas dæmones appellamus, videtur omnino poſſe argumentis adniti ſeptem; quibus videtur omnino probari poſſe contrarium. Argumentum primum. Nam quod nulla intellectualis ſubſtantia naturaliter corpori vnita ſit, præter animam humanam, iam ſupra oſtenſum eſt: niſi ſecundum quoſdam id de animabus cæleſtium corporum aſtruatur, quas tamen malas credere non eſt congruum, cum cæleſtium corporum motus adeo ſit bonus & ordinatus, vt ordinis vniuerſi in iſtis inferioribus principium ſit: omnis autem alia cognitiua potentia præter intellectũ, corporeo & aĩato vtitur organo; & conſequenter in huiuſmodi ſubſtantijs, quæ corpora non vegetãt, præter intellectũ, potẽtia cognitiua eſt nulla, & conſequenter quicquid cognoſcunt intelligunt: in eo autẽ quod quis intelligit, non errat; ex defectu enim intelligendi prouenit omnis error. Non poteſt igitur in ſubſtantiarũ intellectualiũ cognitione eſſe error. Nullum autẽ peccatũ voluntatis abſq; errore eſſe poteſt,

teſt, quippe voluntas in apprehenſum bonum ſemper tendit: vnde niſi in apprehenſione ſit error, in voluntate error, ideſt, peccatum eſſe non poteſt. Igitur in ſubſtantijs eiuſmodi errorem eſſe poſſe non videtur. Secundum. Peccatum voluntatis in nobis circa ea accidit, de quibus veram ſcientiam in vniuerſali habemus, per hoc quod in particulari rationis iudicium eam ligante aliqua paſſione præpeditur: quæ equidem paſſiones in dæmonibus eſſe nequeunt, quod ſint ſenſitiuæ partis, quæ ſine corporeo organo minime operatur. Igitur ſi eiuſmodi ſubſtantiæ ab omni organo ſeparatæ in vniuerſali rectum iudicium & veram ſcientiam habent, in particulari falſam habere nequeunt, conſequenter autem nec peccare.

Tertium. Circa obiectum proprium virtus cognitiua decipitur nulla, ſed circa extraneum ſolum: in coloris enim iudicio viſus decipitur minime: verum cum homo per colorem de ſapore, vel rei natura dijudicat, deceptio euenit. Proprium vero intellectus obiectũ rei quidditas eſt, & conſequenter intellectus deceptio interuenire non poteſt, modo puras rerum quidditates apprehendat: ſed omnis intellectiua deceptio inde proueniat oportet, quod forma rei phantaſmatibus mixta concipitur, & apprehenditur, vt in nobis euenire liquet. In ſubſtantijs vero intellectualibus, & incorporeis talis intelligendi modus eſt minime, quod phantaſmata ſine corpore eſſe nequeant. Non eſt ergo poſsibile in earum cognitione errorem incidere, conſequenter autem nec in earum voluntate peccatum. Quartum. Propterea in operatione intellectus componentis ac diuidentis falſitas accidit, quod abſolute rei quidditatem non apprehendat, ſed apprehenſæ rei componat aliquid: in ea vero operatione qua quodquid eſt apprehendit, falſum non accidat oportet, niſi forte per accidens, ſecundum quod in hac quoque operatione aliquid de ea quæ eſt intellectus componentis & diuidentis admiſcetur: quod equidem contingit, inquantum noſter intellectus non ſtatim, ſed quodam inquiſitionis ordine ad notitiam quidditatis rei cuiuſpiam pertingit: veluti cum primo apprehendimus animal, & deinceps oppoſitas differentias vna reiecta alteram generi colligamus, eouſque dum ad ſpeciei diffinitionem attingamus. In quo equidem proceſſu falſitas poſſet accidere, vt generis differentia capiatur, quod generis differentia non eſt. Sic autem procedere ad quod quid eſt de aliquo cognoſcendum, intellectus eſt ratiocinando de vno excurrentis in aliud, quod ſubſtantijs ſeparatis congruit minime, cum diſcurrere ſit rationis, & non intellectus. In harum igitur ſubſtantiarum notione error incidere non poteſt, conſequenter autem nec in earum voluntate

peccatum. Quintum. Cum nullius rei appetitus niſi in bonum propriū tendat, impoſſibile dixeris id cuius eſt vnū ſolum bonum, in ſuo appetitu aberrare: ꝓpter quod, & ſi in rebus naturalibus peccatū accidit propter defectum in executione appetitus contingentem; in naturali tamen appetitu nunquam accidat peccatum neceſſe eſt: ſemper enim lapis tendit deorſum, ſiue perueniat, ſiue impediatur. In nobis autem accidit in appetendo peccatum, quia cum ex ſpirituali & corporali natura noſtra componatur, ſunt in nobis bona plura, ideſt ſecūdum intellectum & ſenſum, vel etiam ſecundum corpus, quorum bonorum noſtrum ordo quidam eſt, ſecundum quod minus principale ad principalius eſt referendum: & propterea in nobis voluntatis peccatum accidat oportet, cum tali ordine poſtergato, id quod nobis eſt bonum ſecundum quid, contra illud appetimus, quod nobis eſt bonum ſimpliciter: Talis vero compoſitio, & bonorum diuerſitas non adeſt ſubſtantijs ſeparatis, quin potius omne earum bonum ſecūdū intellectum eſt. Non igitur poſſibile eſt, vt videtur, quod in eis ſit voluntatis peccatum. Sextum. Ex ſuperabundantia aut defectu volūtatis peccatum in nobis accidit, in quorum medio virtus conſiſtit. Vnde in ijs, in quibus ſuperabundantiam & defectum nequaquam eſt accipere, ſed medium ſolum, voluntatem peccare non contingit: nullus enim peccare poteſt in appetendo iuſtitiam, nam ipſa iuſtitia medium quoddam eſt. Subſtantiæ vero intellectuales prædictæ nihil niſi intellectualia bona poſſunt appetere: Ridiculum enim eſt aſtruere, quod bona corporalia velint angeli, aut cupiant, qui ſecundum ſuam naturam ſunt incorporei; aut bona ſenſibilia, quibus non eſt ſenſus. In bonis vero intellectualibus ſuperabundantiam aut defectū eſſe impoſſibile eſt, quippe quæ ſecundum ſe media ſunt ſuperabūdantiæ, & defectus: ſicut verum inter duos errores mediat, quorum vnus ſecundū plus, alius vero ſecundū minus eſt: vnde & ſenſibilia & corporalia bona in medio ſunt, ſi ſecundum rationem ſunt. Non videtur igitur quod ſubſtantiæ intellectuales ſeparatæ poſſint voluntate peccare. Septimum. Subſtantia incorporea a defectibus remotior eſt ſubſtantia corporea. In ſubſtantijs autem corporalibus, quæ a contrarietate remotæ ſunt, nullus poteſt defectus accidere, in corporibus videlicet cæleſtibus: multo igitur minus accidere poteſt in ſubſtantijs ſeparatis, nedum a contrarietate, verum & ab ea, & a materia, & a motu remotis. Ex quibus videtur defectus aliquis poſſe cōtingere; vbi poteſt peccatum contingere. Et hæc quidem ſunt contra prædicta quorundam argumenta, ad quæ ſoluenda via pateret facilis, ei qui vellet Platonicorum figmenta ſectari, apud quos dæmones corpora

habēt

habēt naturaliter vnita, ac partem ſenſitiuam & paſsiones, ideſt iram, odium, & eiuſmodi; & conſequenter etiam in eis poſſet ſecundum eos aliud genus cognitionis inueniri quā intellectiuæ: Quia apud Platonē anima ſenſitiua incorruptibilis eſt, & cōſequenter operationem habeat oportet, cui corpus non cōmunicet, & conſequenter cognitio ſenſitiua eſſe poſſet in ſubſtantia ſpirituali etiam corpori nō vnita, & conſequenter paſsiones, & ſic manet eis radix eadem peccandi, quæ & in nobis. Sed illorum vtrumque falſum eſt; & primo quidem, quod corpora habeant vnita, vt probatum eſt ſupra. Secundo vero quod operationes animæ ſenſitiuæ ſine corpore eſſe queant: quod hinc patet, quod aliquo ſentiendi organo corrupto, ſenſus operatio vna corrumpitur, ſicut viſio, corrupto oculo: propter quod tactus organo corrupto (ſine quo animal eſſe nequit) quod animal moriatur oportet. Ad euidentem autem horum ſolutionem, illud in primis conſiderandum occurrit, quod ſicut in agentibus, ita & in finalibus cauſis ordo eſt, vt videlicet a fine principali pendeat ſecundarius, ſicut & ſecundarium agens a principali. In cauſis autem agentibus, peccatum tunc accidit, cum ſecundarium agens ab ordine exorbitauerit principalis: ſicut cum ex curuitate tibia deficit ab executione eius motus, quem appetitiua virtus imperabat. Pari ergo modo & in finalibus cauſis peccatum voluntatis, cuius obiectum bonum eſt, incidat oportet; cum ſecundarius finis ſub ordine principalis minime concluditur. Quælibet autem voluntas naturaliter illud vult, quod eſt volentis bonum proprium, ſcilicet ipſum eſſe, cuius etiam contrariū velle nequit. In eo igitur volente, nullum voluntatis peccatum poteſt accidere, cuius bonum vltimus finis eſt, quod ſub alterius finis ordine non continetur, verum potius ſub eius ordine continentur alij fines vniuerſi. Eiuſmodi autem volens ſolus Deus eſt, cuius eſſe bonitas ſumma eſt, quæ & finis vltimus eſt. In Deo igitur voluntatis peccatum eſſe nequit: In omni autem volente alio, cuius bonum propriū ſub alterius boni ordine contineatur oportet, peccatum voluntatis poteſt incidere; modo in ſua natura conſideretur. Etſi enim cuique volenti naturalis inclinatio voluntatis eſt ad ſuijpſius perfectionem volendam & amandam, ita vt huius contrarium velle non poſsit: non tamen eſt ei naturaliter inditum, vt ita perfectionem ſuam in alium finem ordinet, quod ab eo deficere non poſsit, cum ſuperior finis ſuę naturæ non ſit proprius, verum ſuperiori naturæ potius. Relinquitur igitur ſuo arbitrio, quod perfectionem ſuam in ſuperiorem ordinet finem, aut certe non ordinet: In hoc enim quæ voluntatem habent ab his differunt quæ voluntate carent, quod habentia eam, ſe, ſuaque ordinant in finem; vnde & liberi arbitrij eſſe dicuntur: non

habentia

habentia vero,ſe minime ordinant in finem; ordinantur vero a ſuperiore agente, quaſi in finem acta ab alio,non a ſe. Potuit igitur peccatum incidere in ſeparatæ ſubſtantiæ voluntate, ex eo vel maxime, quod bonum proprium propriamque perfectionem in Deum finem vltimum non ordinauerit, ſed proprio bono inhæſerit vt fini. Et quia ex fine regulas actionum ſumi oportet, neceſſe eſt vt ex ſeipſa,in qua finem ſtatuit, alia regulariter diſponeret; nec eius voluntas a ſuperiore aliquo regularetur,quod ſoli Deo congruit.Secundum hoc vero illud intelligendum eſt, quod Dei æqualitatem appetiuerit, non equidem vt ſuum bonum diuino bono eſſet æquale. Hic enim error eius intellectui non potuit inſidere, & hoc appetendo,appeteret ſe non eſſe,cum ſpecierum diſtinctio ſecũdum gradus varios rerum proueniat. Velle autem alios regulare, & ſuam voluntatem a ſuperiori non regulari, eſt velle præeſſe, & quodammodo non ſubijci, quod eſt ſuperbiæ crimen. Vnde conuenientiſsime dicitur, quod primum dæmonis peccatum ſuperbia fuerit:verum quia ex errore vno circa principium, varius & multiplex error conſequitur; ideo ex prima inordinatione diabolicæ voluntatis multiplex culpa prouenit, & odij ſcilicet ad Deum ſe & punientem, & reſiſtentem eius ſuperbiæ; & inuidiæ ad hominem, & eiuſmodi. Illud quoque conſiderandum eſt, quod cum proprium alicuius bonũ ad plura ſuperiora ordinatur, volenti liberum eſt ab ordine alicuius eorum recedere, & ab ordine alterius non recedere, ſiue ſuperior, ſiue inferior ſit: ſicut miles ſub rege & duce exercitus ordinatus ſuam voluntatem in bonũ ducis & nõ regis ordinare poteſt, aut econtra: ſi tamen Dux ab ordine receſſerit regio,bona militis voluntas erit ab ordine ducis recedens, & nõ regis; mala vero, ſi ducis voluntatem contra voluntatem regiam ſequatur: ordo enim inferioris principij ab ordine pendet ſuperioris. Subſtantiæ autem ſeparatæ non modo ſub Deo ordinantur, verũ etiam a prima ad vltimam vſque earum vna ſub alia ordinatur,cum omnes ſpecie differant, vt oſtenſum eſt. Et conſequenter inuicẽ differant oportet ſicut nobilior, ac perinde ſuperior,& minus nobilis,ac perinde inferior. Et quia in quolibet volente ſub Deo poteſt eſſe peccatum voluntatis,ſi in ſua natura penſetur, poſsibile fuit vt aliqua de ſuperioribus intelligentijs aut etiam ſuprema inter omnes haberet in voluntate culpam. Et hoc quidem ſatis probabile eſt, vt earum ſuprema peccaret, vt dictum eſt: non enim in ſuo bono prima peccantium quieuiſſet, ſicut in fine ſibi ſupremo & vltimo, niſi bonum ſuum valde perfectum extitiſſet. Igitur fieri potuit, vt de inferioribus aliquæ ſuum bonum ſua voluntate in ipſam primam ordinarent, a diuino ordine recedentes,quæ ſimiliter cum prima peccarunt: aliæ vero in voluntatis ſuæ

tis ſuæ

tis ſuæ motu diuinum ordinem ſeruantes ab ordine ſupremæ peccantis, quamuis naturæ ordine ſuperioris ſine culpa recederent. His prælibatis, facile dicta argumenta ſoluuntur. Ad quattuor prima. Non cogimur dicere errorem in angelico intellectu extitiſſe, quaſi aliquid bonum iudicarit, quod bonum non ſit: ſed bonum ſuperius, ad quod bonum proprium referendum erat, non conſiderauit, vt debuit, ideoq; peccauit: cuius quidem inconſiderationis occaſio fuiſſe potuit voluntas in proprium bonum intenſe conuerſa: eſt enim liberum voluntati in hoc vel in illud magis vel minus conuerti. Ad quintum. Patet angelum bonum aliquod non appetiuiſſe, niſi vnum & ſibi proprium: in hoc vero fuit eius culpa, quod ſuperius bonum in quod ſponte debuit ordinari, prætermiſit: ſic enim in nobis peccatũ ex hoc eſt, quod inferiora bona, ſcilicet corporis, abſque rationis ordine concupimus: et ita in hoc peccatum fuit in diabolo, quod bonum proprium, non retulit in diuinum. Ad ſextum. Patet quod etiam virtutis medium prætermiſit, inquantum ſuperiori ordini ſe non ſubiecit, ſicque ſibi dedit pluſquã debuiſſet; Deo vero minus quam ei deberetur, cui omnia veluti primæ regulæ debent eſſe ſubiecta. Non eſt ergo ibi prætermiſſum medium per ſuperabundantiam paſsionis; ſed ſolum per iuſtitiæ inæqualitatem, quæ circa operationes eſt. In ſubſtantijs enim illis operationes eſſe poſſunt; paſsiones vero eſſe non poſſunt. Ad ſeptimum. Non oportet ſi in ſuperioribus corporibus error poteſt eſſe nullus, aut certe defectus, propter ea in eiuſmodi ſubſtantijs culpam eſſe non poſſe: corpora enim & quæque ratione carentia ſolum aguntur, non vero ſeipſa agunt, vnde exire nequeunt a regula primi illa agentis & mouentis, niſi ex hoc quod primæ regulæ ſufficienter rectitudinem non excipiunt: quod equidem ex materiæ indiſpoſitione contingit: propter quod etiam corpora ſuperiora, in quibus materiæ indiſpoſitio locum minime habet, nunquam a regulæ primæ rectitudine deficere potuere, nec poſſunt. Subſtantiæ vero immateriales non aguntur tantum, verum ſe ad actus proprios agunt: quod in eis tanto magis eſt, quanto fuerit earum natura perfectior. Quorum enim eſt perfectior natura, eſt & in agendo virtus perfectior: vnde quin eis culpa dicto modo ineſſe poſsit, nõ impedit naturæ pfectio, ex hoc ſcilicet, quod ſibijpſis inhærẽt, ſuperioris agentis ordinẽ minime attendentes.

Intelligentias malas, ſeu dæmones eſſe in naturali ſapientia præſtantiſsimos. CAP. XIII.

QVIA igitur aliquas eſſe intelligentias malas in magorum operibus ſuffragantes, quas dæmones appellarunt, probatum eſt: iã nunc

nunc ad noſtrum in hoc primo libro inſtitutum propius accedentes, inueſtigare tentabimus, quo nam pacto effectuum, quos ſupra cap. 2. commemorauimus, dæmones cauſa eſſe poſsint: Et cum cauſa ſint ſcientia, malitia, poteſtate: eorum ſcientiam præſenti capite nonnullis punctis reſerare tentaturi, non quidem quantum expoſtulat res ipſa, ſed quantum præſens exigit inſtitutum.

Punctum primum. Subſtantiæ ſeparatæ, ſeu certe intelligentiæ, vel angelici ſpiritus, ſiue boni ſint, ſiue mali, non accipiunt cognitionem à rebus ſenſibilibus, ſeu per ſpecies à rebus acceptas, vt accipit genus humanum. Primo. Senſibilia enim ſecundum ſuam naturam nata ſunt apprehendi per ſenſum, ſicut per intellectum intelligibilia: conſequenter autem omnis ſubſtantia cognitiua ex ſenſibilibus cognitionem capiens, ſenſum habeat oportet, & conſequenter organum corporeum, & conſequenter corpus naturaliter vnitum. Subſtantiæ autem ſeparatæ non habent corpora naturaliter vnita, vt ſuperius probatum eſt. Non igitur intellectiuam cognitionem ex rebus ſenſibilibus ſumunt. Secundo. Altioris virtutis altius obiectum ſit oportet. Virtus vero intellectiua intelligentiæ, virtute intellectiua animæ humanę altior ſit neceſſe eſt, quippe cum humanus intellectus in ordine intellectuum infimus ſit, vt ex præmiſsis haberi poteſt. Obiectum autem humanæ animæ, aut phantaſma, aut non ſine phantaſmate eſt, vt experimur: quod in ordine obiectorum re ſenſibili exteriori ſuperius eſt, ſicut ex ordine virtutum cognitiuarũ planum eſt. Obiectum igitur ſubſtantiæ ſeparatæ, res extra animam exiſtens eſſe non poteſt, vt immediate ab ea accipiat cognitionem; ſed neque phantaſma, quod eſt proprium animæ noſtræ: vnde relinquitur, vt aliquid ſit phantaſmate altius, & conſequenter oportet quod ſit aliquid ſpirituale intelligibile actu, cum nihil præter hoc in ordine obiectorum ſit phantaſmate altius. Tertio. Secundum ordinẽ intellectuum, intelligibilium ordo ſit oportet: Sed ea quæ ſunt ſecundum ſe intelligibilia in ordine intelligibilium, his ſuperiora ſunt, quæ intelligibilia nequaquam ſunt, niſi nos ea intelligibilia faciamus, cuiuſmodi oportet eſſe omnia à ſenſibilibus accepta, quippe ſenſibilia non ſunt intelligibilia ſecundum ſe, quæ noſter intellectus intelligit: Igitur intellectus ſubſtantiæ ſeparatæ cum noſtro intellectu ſuperior ſit, non intelligit intelligibilia à ſenſibilibus accepta: ſed quæ ſunt ſecundum ſe intelligibilia actu. Quarto. Cuiuſque rei operationis propriæ modus proportionaliter modo naturæ & ſubſtantiæ eius reſpondet, ut ſingillatim uidere licet, quod nobilioris naturæ ſit modus operandi nobilior, ut animalium & plantarum: unde illa ſentiunt, & non iſta: Subſtantia uero ſeparata, intellectus eſt per ſe exiſtens, non in cor-

in corpore quouis. Igitur eius intellectualis operatio intelligibilium erit, quæ in corpore nullo fundantur, conſequenter autem corū erit, quæ a ſenſibus non accipiuntur: quippe talia ſunt in corpore aliquó quoquo modo fundata, vt noſtra in phantaſmatibus ſunt, quæ ſunt in organis corporeis. Igitur intelligentiæ cognitionem a ſenſibilibus accipiunt minime. Quinto: Sicut in rerum ſenſibilium ordine materia prima vltimum & infimum eſt, ac per hoc in potentia tantum eſt ad formas ſenſibiles vniuerſas: ita intellectus noſter poſsibilis infimus in ordine intelligibili exiſtens, in potentia ad omnia intelligibilia ſit oportet, ſicut tabula in qua nihil eſt pictum: Sed quæ in ordine ſenſibilium ſunt ſupra materiam primam, actu habent formam propriam, qua conſtituuntur in eſſe ſenſibili. Igitur pari modo intelligentiæ, quæ in ordine intelligibilium ſunt ſupra intellectum poſſibilem humanum, actu ſunt in eſſe intelligibili: Intellectus autem a ſenſibilibus notionem accipiens, in eſſe intelligibili non eſt actu, ſed potentia. Igitur intelligentiæ a ſenſibilibus cognitionē non capiunt.

Sexto. Superioris naturæ perfectio ab inferiori natura non pendet, vt liquet: Perfectio autem ſubſtantiæ ſeparatæ in intelligendo eſt, quippe quæ intellectualis eſt. Igitur eius intelligere a rebus ſenſibilibus non dependet, quaſi ex eis capiat notionem.

Punctum ſecundum. Etſi vero angeli aut boni, aut mali per ſpecies a rebus ſenſibilibus ſcientiam non accipiunt, non tamen omnia per ſuam ſubſtantiam intelligunt: ſed oportet eorum eſſentiæ ſpecies aliquas, vel idola rerum repræſentatiua ſuperaddere, vt omnia intelligant contenta ſub ente, quod obiectum eſt intellectus eorum. Si enim omnia per ſuam ſubſtantiam intelligerent, oporteret omnia in eorū ſubſtantia contineri, quantum etiam ad ea, in quibus ab vna intelligētia diſtinguuntur omnia alia: oportet enim intellectum eſſe in intelligente quantum ad ea omnia quæ de eo intelliguntur, ſicut & ſenſata oportet eſſe in ſenſu, vnde anima per intellectum & ſenſum dicitur fieri omnia, ideſt intelligibilia & ſenſibilia: Sed per angeli ſubſtantiā nequeunt omnia in angelo eſſe: nam quæ infra, & quæ ſupra angelum ſunt, in ſubſtantia quidem eius ſunt quodammodo, ſcilicet quātum ad ea, in quibus cōmunicant, non tamen ſunt in ea perfecte, ideſt ſecundum propriam rationem; quippe angelica ſubſtantia finita & limitata exiſtens, ſecundum propriam rationem ab alijs diſtinguitur: In eſſentia autem Dei ſunt omnia perfecte, & ſecundum propriā rationem, ſicut in ea operatiua virtute non limitata ad genus & ſpeciem, a qua eſt quicquid in re eſt tam commune, quam proprium. Vnde ſolus Deus per ſuam eſſentiam habet notitiam propriam de rebus omnibus, non autem intelligentia bona, vel mala: conſequen-

ter autem per ſuperadditas ſpecies intelligat oportet.

Punctum tertium. Quanto autem ſuperiores naturæ ordine ſunt angeli ſiue boni, ſiue mali, tanto per ſuperadditas ſpecies vniuerſaliores intelligant oportet. Nam ſolus Deus omnia per vnum intelligit, vt oſtenſum eſt. Quanto ergo aliqua naturæ ordine vni Deo omnia vno intelligenti propiora ſunt, tanto magis vnitæ, & conſequenter paucioribus eadem intelligant oportet: & conſequenter ſuperiores angeli quaſi Deo viciniores paucioribus ſpeciebus ea omnia intelligunt, quæ inferiores pluribus: cuius rei etiã in nobis exemplum eſt. Quidam enim adeo rudes ſunt, vt veritatem intelligibilem non niſi minutatim capiant, alijs eleuatioris ingenij vnico principio multas cõclusiones capientibus. Nec obſtat ſi dicatur, quod ſecundum hoc vna ſuperioris angeli ſpecies erit propria multorum ratio, quæ angelus inferior multis ſpeciebus nouit. Dico enim quod idem eſſe nequit ratio propria multorum adæquata: eminenter vero ſecus, vt de eſſentia diuina patet: vnde ſicut illa propria ratio eſt omnium, ita vna creata ſpecies eſſe poteſt non omnium quidem, ſed multorum: ſicut etiam in anima humana continetur ratio propria ſenſitiuæ & vegetatiuæ.

Punctum quartum. Ex dictis vero iam pateat, quod diſtantia localis intelligentiarum, cognitionem minime impedit. Primo. Nam localis diſtantia per ſe comparatur ad ſenſum, non vero ad intellectum, niſi per accidens, pro quanto notitiam accipit a ſenſu: nam ſenſibilia ad determinatam diſtantiam ſenſum mouent, intelligibilia vero actu, ſecundum quod intellectum mouent, non ſunt in loco, quippe quæ a corporali materia ſeparata ſunt. Cum igitur intelligentiæ a ſenſibilibus notitiam minime capiant, in earum cognitione localis diſtantia operatur nihil. Secundo. Nam humana anima ſeparata a corpore in ſua intellectione, locali diſtantia non impeditur: non enim tunc cognoſcit abſtrahendo (ſic enim determinata diſtantia exquireretur, vt vel ſenſibilia agerent in animam, vel econtra) ſed ex influxu luminis diuini ſeu ſpecierum ex lumine diuino in eius intellectum, cum ſenſibus careat: talis autem cognitio diſtantia locali non impeditur. Vnde & diues cognouit Abraham in limbo a longe. Luc. 16. A fortiori ergo intelligentiæ intelligunt ex locali quacumque diſtantia. Nec obſtat quod Aug. dicit in libro de diuinat. dęmo. cap. 3. quod dæmones propter celeritatem motus aliqua nobis ignota denunciant: quod equidem nihil eſſet dictu, ſi eorum notitiam localis diſtãtia non impediret. Non obſtat, inquam, quia ſecundum eam opinionem loquitur, qua quidam, dæmones habere corpora naturaliter vnita putarunt, ſecundum quam ſenſus quoque habere potuiſſent, & conſequenter in noſcendo locali diſtantia præpediri: quam equidem

opinionem

opinionem etiam libro eodem recitando tangit, magis quam aſſeren do, vt liquet de Ciuit. Dei lib.21.

Punctum quintum. Palam etiam ex dictis eſt, quod operationi intellectuali intelligentiarum tempus non miſceatur. Nam ſicut intelligibilia actu abſque loco ſunt, ita abſque tempore etiam ſint oportet: nam localem motum tempus conſequitur, vnde ea ſola menſurat, quæ vtcunque in loco ſunt. Et ideo intelligere ſubſtantiæ ſeparatæ ſupra tempus eſt. Operationi autem intellectuali noſtræ tempus adiaceat oportet: quod ex phātaſmatibus notitiam capiamus, quę determinatū tēpus aſpiciunt. Inde eſt, quod in cōpoſitione ac diuiſione intellectus noſter aut præteritum, aut præſens, aut futurum tempus ſemper adiungit; intelligendo autem quodquid eſt, nequaquam: intelligit enim illud abſtrahendo intelligibilia à ſenſibilibus conditionibus, vnde ſecundum illam operationem neque ſub tempore, neque ſub aliqua rerum ſenſibilium conditione intelligibile apprehendit. Componit autem, aut etiam diuidit applicando prius abſtracta intelligibilia ad res, in qua applicatione tēpus cointelligatur oportet.

Punctum ſextum. Ex dictis etiam liquet, intellectum intelligentiarum actu ſemper intelligere. Primo. Quod enim quandoque in actu, quandoque in potentia eſt, tempore menſuretur oportet: ibi enim ſucceſsio eſt, quæ tempore ſolo diiudicatur, quod numerus omnis motus eſt: nec obeſt, ſi ſucceſsio illa continua non ſit, quippe etiam tempus aliquod diſcretum ſit oportet, alioquin ſucceſsiua diſcreta non haberent menſuram: Intellectum autem intelligentiæ ſupra tempus eſſe probatum eſt. Non eſt igitur quandoque actu intelligens, & quandoque non intelligens. Secundo. Omnis ſubſtantia viuens, operationem aliquam vitæ actu habet ex ſua natura, quæ ineſt ei ſemper: licet aliæ quandoque inſint illi potentia tantum, veluti ſemper nutriuntur animalia, etſi non ſentiunt ſemper: Subſtantiæ autem ſeparatæ ſunt ſubſtantiæ viuentes, vt liquet ex dictis: alioquin eſſent ignobiliores nobis, & omnibus viuentibus; nec habent aliam operationem vitæ præter intelligere, & ſi qua ad intelligere ſequatur, vt velle ac poſſe. Igitur ſemper actu intelligentes ſint oportet. Tertio. Nam cæleſtia corpora intelligentiæ per intellectum mouent apud philoſophos; Motus vero ille ſemper continuus eſt. Igitur intelligentiarum intelligere ſemper actu ſit oportet. Idē vero ſequitur & ſi dicta corpora mouere non dicantur, quippe quæ cæleſtibus corporibus altiores ſunt: vnde ſi eiuſmodi corporis operatio propria, ideſt motus, continua eſt, longe magis continua erit ea quæ intelligentiarum eſt, ideſt intelligere. Quarto. Omne quod quādoq; operatur

quandoque vero non operatur, aut per ſe, aut per accidens moueatur neceſſe eſt: vnde & quod nos quandoque intelligamus, quandoque non intelligamus, ex alteratione circa partem ſenſibilem accidit, vt in 8. Phy. dicitur: Subſtantiæ vero ſeparatæ nequaquam per ſe mouẽtur, quippe quæ non ſunt corpora; neque per accidens, quippe quæ non ſunt vnitæ corporibus. Igitur ſuum intelligere continuum, non autem interciſum ſit oportet.

Punctum ſeptimum. Similiter quoque ex dictis liquet, angelum, aut bonum, aut malum non intelligere diſcurrendo a magis noto ad minus notum, aut ad notum ab ignoto. Nam cum rerum creatarum vniuerſitas graduata ſit ſecundum inferioritatis ſuperioritatiſque naturam, nec duæ ſint rerum ſpecies realiter æquales: quod generum differentiæ præ ſe ferunt, quarum ſemper vna reliqua nobilior eſt: ſicut natura infima ad proximam ſibi ſuperiorem ſe habet, ita illa ad aliam vſque ad ſupremam ſe habeat oportet. Illum itaquæ in ſubſtantijs ſpiritualibus gradum & ordinem tenent intelligentiæ ſiue bonæ ſint, ſiue malæ, quem in natura corporea cæleſtia corpora ſortiuntur. Nam ſicut illæ ſupra humanos ſunt intellectus, quos infimos in eo genere nouimus: ita hæc corpora ſupra corruptibilia ſunt, quæ itidem in corporeo genere infima ſunt: vnde & cæleſtes mentes a Dionyſ. dicuntur. Diſtant vero in eo cæleſtia & terreſtria corpora; quia hæc ſuã vltimam perfectionem motu & mutatione conquirunt: illa vero ex ipſa ſua natura eam ſtatim nanciſcuntur. Sic ergo & infimi, ideſt hominum intellectus, quodam intellectualis operationis motu, ſiue diſcurſu veritatis cognitionem nanciſcuntur, vt experimur, dum ſcilicet ex vno cognito in aliud cognoſcendum nituntur: qui ſi ſtatim in ipſa notione noti principij concluſiones inde educibiles omnes agnoſcerent, locum in eis diſcurſus non haberet. Et hoc in angelis ſit oportet, quippe qui in his quæ naturaliter norunt, quæcunque in eis noſci poſſunt, ſtatim inſpiciunt, quaſi a natura ipſa ſuam perfectionem ſtatim nacti. Vnde & intellectuales dicuntur, quia etiam apud nos intelligi dicuntur, quæ ſtatim naturaliter nota ſunt: quo ſit, vt etiam habitus principiorum, quæ naturaliter ſtatim nouimus, intellectus dicatur: animas vero humanas hoc modo veritatẽ nõ cogneſcẽtes, ſed diſcurſu quodam non intellectuales, ſed rationales dicimus, quamquã ex influxu ſuperiorum intellectuum aliquid intellectualis luminis participent in principiorum notitia, ſicut & elementa mundi a cælo circularẽ motum vtcunque participant, vt de aere, conſequenter & de igne monſtrat ſtella comata, & de mari fluxus refluxuſque. Nec obſtat, quod angeli vnũ per aliud norunt, vt boni creaturas p verbũ, & mali per ſuam ſubſtantiã, & ſpecies inditas. Neque enim cognoſcere

ſcere vnum in alio vel per aliud, puta, ſpeculum, & ſimul viſa in ſpeculo, eſt diſcurrere: ſed cognoſcere vnum ignotum ex alio prius noto, hoc diſcurſus eſt. Nec ſecundo obſtat, quod ſuperior virtus, ideſt angelica, poſsit omnia, quæ & inferior, ideſt humana, & cõſequenter ſyllogizare. Nam ſuperior & inferior virtus, quando eiuſdem ſunt ordinis, poteſt ſuperior quod & inferior, alias nequaquam (ſicut homo aſino ſuperior, aſinum generare nequiret) niſi altiori modo: & ſic angeli ſyllogizare poſſunt, quod ſyllogiſmum cognoſcant, & in principijs concluſiones, & in cauſis effectus, & econtra: non tamen ſic ſyllogizant, vt ignotæ rei notitiam ſyllogizando ex cauſis in cauſata, vel econtra perquirant. Non obſtat etiam, quod apud Iſidorum dæmones per experientiam multa cognoſcant: experimentalis autem notitia diſcurſiua ſit, vt in fine libri Poſteriorum patet. Nam in angelis tam malis quam bonis experientia per quandam ſimilitudinem dicitur, prout ſcilicet ſenſibilia præſentia norunt, tamen abſque omni diſcurſu.

Punctum octauum. Sed neque componendo aut diuidendo intelligunt. Nam quod noſter intellectus aut diſcurrendo aut componendo intelligat, ea ex radice manat: quia videlicet ſtatim in prima rei apprehenſæ notitia propter intellectualis luminis debilitatem inſpicere nequit quicquid in ea continetur: ſicut enim in ratiocinante intellectu concluſio principijs, ita in componente & diuidente prædicatum ſubiecto cõparatur: & ſicut ſi ſtatim in principio ipſo intellectus cõcluſionem videret, nequaquam diſcurreret vt eam videret: ſimiliter ſi ſtatim in apprehenſione quidditatis ſubiecti, notitiam haberet omnium quæ poſſunt aſcribi ſubiecto, non intelligeret componendo & diuidendo, verũ ſolum intelligendo quodquid eſt. Cum igitur in angelo ſit lumen intellectuale perfectum, adeo vt in rerum naturalium notitia proficere nequeat, ſed ſtatim eam nanciſcatur, vt probatũ eſt; neque diuidit, neque componit: quamquam & diuiſiones & compoſitiones intelligit, ſicut & ſyllogiſmorum diſcurſus: Cuius ſignum dixeris, quod cum voces in ſubiecta creatura corporea formant angeli, affirmando & negando loquuntur, quamuis non affirmando, aut negando intelligant. Nec obſtat, quod compoſitio aut diuiſio (vt in 3. de Anima dicitur) eſt vbi & intellectuum multitudo, vt in intelligentia, quæ per diuerſas ſpecies intelligit; & non omnia ſimul, vt dicetur. Dico enim quod non omnis intellectuum multitudo compoſitionem cauſat, ſed eorum tantum, quorum vnum aut alteri attribuitur, aut ab altero remouetur: quod in angelo eſt minime, qui rei quidditatem intelligendo, omnia ſimul intelligit, quæ nos aut negando, aut componendo de ea poſſumus intelligere.

Punctum

Punctum nonum. Non poteſt autem in intellectu intelligentiæ ſiue bonę, ſiue malę in ordine ad naturaliter cognoſcibilia error aut falſitas intercidere. Nam huius rei veritas ex ſuperioribus vtcunque dependet. Nam quod nec componendo, nec diuidendo angelus intelligat, ſuperius monſtratum eſt: ſed tantummodo intelligendo quodquid eſt. Intellectus vero circa quodquid ſemper verus eſt, ſicut & ſenſus circa propriũ obiectum, vt in 3. de Anima Ariſt. profitetur. Per accidens tamen in nobis deceptio intelligendo quodquid eſt contingit, ſecundum ſcilicet rationem alicuius compoſitionis, vel cum vnius rei diffinitionem vt rei alterius diffinitionem accipimus: vel cum diffinitionis partes inuicem non cohærent; ſicut ſi pro alicuius rei diffinitione, animal quadrupes volatile capiatur, nullum enim animal tale eſt. Et hoc quidem in compoſitis accidit, quorum diffinitio ex diuerſis ſumitur, quorum alterum materiale, atque alterum formale eſt. Intelligendo autem quidditates immateriales, nõ eſt falſitas, vt in 9. Metaphy. dicitur, quippe quæ vel totaliter non attinguntur, & de eis intelligitur nihil, vel cognoſcuntur vt ſunt. Sic igitur in angelico intellectu per ſe falſitas eſſe nequit, per accidens tamen contingit alio modo quam in nobis. Nos enim quandoque componendo & diuidendo ad quidditatis intellectum venimus, veluti cum diffinitionem diuidẽdo demonſtrandoq; inueſtigamus: quod equidem in intelligentijs nõ contingit, ſed modo alio. Nam per rei quod quid eſt, res omnes quæ ad rem attinent, norunt: quod equidem poteſt eſſe reſpectu eorũ quæ rei naturaliter aſcribuntur, aut ab ea remouentur innoteſcendi principium: non autem eorum quæ à ſupernaturali Dei ordinatione dependent. Angeli igitur, ſiue intelligentiæ bonæ, rectæ & ordinatæ voluntatis cum ſint, per rei quidditatem de his quæ rei ſupernaturaliter attinent non iudicantes, niſi ſalua ordinatione diuina, nec in naturalibus, nec in ſupernaturalibus rebus falluntur, ſeu nec per ſe, nec per accidẽs falluntur. At vero dæmones, ideſt, intelligentiæ malæ, atque damnatę, per ſuam peruerſam voluntatem intellectum à diuina ſapientia ſubducentes, de rebus interdum abſolute ſecundum naturalem cõditionem iudicia ferunt, & in his quidem quæ rei naturaliter attinent, non falluntur: decipiuntur vero interdum poſsibiliter quantum ad ea quę ſupernaturalia ſunt, ſicut ſi conſiderantes hominem mortuum, non reſurrecturum iudicent; & videntes Chriſtum hominem, Deum eſſe non putent.

Punctum decimum. Circa immaterialia autem, intelligentia ſiue bona, ſiue mala, tria cognoſcit. Et primo quidem ſeipſam. Nam etſi in actione tranſeunte, materia ſiue obiectum in quod actus tranſit, ab agente ſeparatum ſit, vt calefactum à calefaciente, & ab ædificante

ficante ædificatum: in actione tamen, quæ in agente manet, ad hoc vt ab agente actio procedat, obiectum agenti vniatur oportet, ſicut ſenſibile vniri oportet ſenſui, vt ſentiat actu: & ita ſe habet obiectũ vnitum potentiæ in huiuſmodi actione ſicut forma, quæ eſt actionis principium in agentibus alijs: Sicut enim calor in igne calefactionis eſt formale principium; ita ſpecies rei viſæ (quæ eſt res viſa in eſſe viſibili) in oculo eſt viſionis formale principium. Conſiderandum vero eſt, quod eiuſmodi ſpecies obiecti in cognitiua virtute quandoque eſt potentia tantum, & tunc eſt cognoſcens in potentia tantum, & ad hoc vt cognoſcat, oportet potentiam reduci in actum ſpeciei. Si autem ſemper eam habeat abſque mutatione, vel priore eius receptione, nihilominus cognoſcere poteſt. Ex quo inferre liceat, quod moueri ab obiecto, de ratione cognoſcentis non eſt, inquantum cognoſcens eſt, ſed ſolum inquantum potentia cognoſcens. Nihil etiam differt ad hoc vt forma ſit actionis principium, an inhæreat necne: nam ſpecies quę eſt intelligendi principium, aliquando inhæret, vt in nobis: aliquando autem non inhæret, ſed ſubſiſtit, vt in Deo. Igitur ſiquid in genere intelligibilium ſit forma ſubſiſtens intelligibilis, intelligit quidē: quia immaterialitas intellectiuam virtutem confert, vt probatum eſt: & intelligitur, quia intelligibilis actu eſt; & à ſeipſo intelligitur, quia ſibiipſi intelligibiliter, & obiectiue, immo identice præſens eſt. Angelus autem cum ſubſiſtat & immaterialis ſit, forma intelligibilis ſubſiſtens ſit neceſſe eſt, conſequenter autem & actu intelligibilis: ſe ergo per ſe intelligit. Nec prædictis obſtat, quod Diony. 6. ca. ange. hierar. dicit, angelos ignorare proprias virtutes, & conſequenter ſubſtantiã propriam. Hoc enim ſecundum antiquam tranſlationem dictum eſt, quæ per nouam in hoc eſt correcta: quamquam & illud verum ſit, vt ſcilicet ignorent angeli ſuas virtutes, ſecundum quod ab ordine diuinæ ſapientiæ proficiſcuntur, quæ angelis incomprehenſibilis eſt. Nec ſimiliter obſtat, quod intellectiua cognitione, quæ ſola angelis adeſt, ſingularia materialia non intelliguntur à nobis. Singularia enim materialia non intelliguntur à nobis, non quia ſingularia, verum quia materialia potius: vnde ſi qua ſingularia immaterialiter ſubſiſtunt, ceu angeli; illa nihil prohibet intelligibilia eſſe actu. Secundo. Circa immaterialia omnis intelligentia intelligit, & nouit omnem aliam. Nam ſubſtantiæ ſeparatæ intelligunt ea quæ per ſe ſunt intelligibilia, vt oſtenſum eſt: Per ſe autem intelligibilia ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ: immunitas enim à materia facit aliquid eſſe per ſe intelligibile, vt ex ſuperioribus patet. Igitur ſubſtantiæ ſeparatæ ſicut obiecta propria ſubſtantias ſeparatas intelligunt, vnaquæque ſcilicet ſeipſam, & alias. vnde apud Auguſt. 2. ſuper Gen. ad lit. Quæ in Dei verbo æternaliter

naliter præextiterunt, ab eo fluxere dupliciter: & primo in angelicum intellectum, per hoc quod Deus angelicę menti rerum, quas in naturali eſſe produxit, ſimilitudines influxit: ſecundo vero, vt in proprijs naturis ſubſiſterent. Hoc autem quidam ea ratione poſſe fieri dicunt, quod vna intelligentia alterius cauſa ſit; prima quidem ſecūdæ, & ſic deinceps: in omni autem cauſa eſt ſimilitudo effectus, & in omni effectu ſimilitudo cauſæ. Sed hoc non bene dicitur. Nam cum intelligentiæ ſine materia ſubſiſtant, vt probatum eſt, poſſunt ſola creatione produci: creare autem ſolius Dei eſt, vt nunc ſupponimus: vnde præter Deum nulla intelligentia alterius cauſa eſt; vnde vna aliā per ſpecies ſupperadditas nouit, ſicut & ſe per ſe, vt dictum eſt. Et ſpecies quidem, qua vnus alium nouit, ab angelo noto differt, cuius eſt ſimilitudo: quia ſpecies habet eſſe intentionale; angelus vero, cuius eſt ſimilitudo, habet eſſe naturale & reale. Nec prædictis obſtat primo, quod quilibet intellectus angelicus habet in ſe aliquam naturam determinatam, & conſequenter illa videtur alterius impedire notionem intus apparens, iuxta verbum Ariſt in 3. de Anima de humano intellectu, ſi in ſe aliquam haberet corpoream naturam, aut pupilla aliquē colorem &c. Non obſtat, inquam: quippe verbum Philoſophi intelligitur de natura, quæ ita cognoſcitur, quod non eſt ratio cognoſcendi, ſicut albedo reſpectu viſus, & humanitas reſpectu intellectus: non autem de ea quæ eſt obiectum cognitum, & ratio cognoſcendi, vt lux in pupilla, & ſimilitudo humanitatis in poſsibili intellectu: talis enim natura vim cognitiuam non impedit, ſed iuuat. Et talis eſt angelica ſubſtantia, quæ eſt ratio angelo cognoſcendi ſe perfecte, & alia imperfecte, vnde ſpeciebus ſuperadditis opus eſt. Non obſtat ſecundo dictū libri de Cauſis. Omnis intelligentia ſcit quod eſt ſupra ſe, inquantum eſt cauſata ab eo; & quod eſt ſub ſe, inquantum eſt cauſa eius: vnus autem angelus alterius cauſa non eſt: conſequenter autem videtur illum non cognoſcere. Non obſtat, inquam: quippe ratio cauſæ & cauſati ad hoc quod angelus vnus alium cognoſcat, facit nihil, niſi ratione ſimilitudinis, in qua cauſa cauſatumque communicant: vnde ſi in angelis ſimilitudo ſine cauſalitate ponatur, in vno cognitio alterius maneat oportet. Non obſtat tertio, quod ſpecies, qua angelus angelum nouit, nō videtur innata: quippe ſequeretur ſi Deus nouiter angelum crearet, ille a prius creatis intelligi non poſſet: ſed neque videtur acquiſita, quia angeli ſuperiores inferiores cognoſcere non poſſent, a quibus accipiunt nihil. Non obſtat, inquam: quia Deus vniuerſo quod fiendum inſtituerat, proportionatam fecit quamcunq; creaturam; conſequenter vero ſi inſtituiſſet facere plures angelos vel plures rerum naturas, plures ſpecies intelligibiles mentibus angelicis impreſsiſſet,

preſsiſſet,

preſsiſſet,ceu ſi ædificator domum maiorem facere voluiſſet, fundamentum quoque maius effeciſſet. Vnde eiuſdem rationis eſt, quod Deus adderet aliquam creaturam vniuerſo,& angelo ſpeciem aliquã intelligibilem. Si ergo Deus vniuerſo adderet angelum, conſequenter autem naturam vnam ſpecificam, cuilibet angelo creato adderet ſpeciem: & ſicut nunc intelligunt per inditas, tunc intelligerent per inditas & acquiſitam, non a ſenſu, ſed a Deo. Tertio autem Quæq; intelligentia naturaliter intelligit Deum quoquomodo. Nam tribus modis res aliqua cognoſci poteſt. Primo per ſuæ eſſentiæ in cognoſcente præſentiam, ſicut ſi lux in oculo videatur,quomodo dictum eſt intelligentiam ſeipſam intelligere.Secundo per præſentiam ſuæ ſimilitudinis in potentia cognoſcitiua, ſicut ex hoc videtur lapis, quod in oculo lapidis ſimilitudo reſultat.Tertio ex hoc,quod ſimilitudo rei non a re ipſa immediate accipitur,ſed ab alia, in qua reſultat,ſicut hominem videmus in ſpeculo. Primæ cognitioni aſsimilatur diuina, qua Deum per eius eſſentiam videmus, quod naturaliter creatura non poteſt, vt nunc ſupponitur: tertiæ vero ea qua Deum per creaturas cognoſcimus, ideſt,per Dei ſimilitudinem in creatura reſultantem: ſecundũ illud Rom.1.Inuiſibilia Dei &c.Vnde Deum videre dicimur in ſpeculo: cognitio autem qua Deum angelus per ſua naturalia videt, inter prædictas mediat, & ſimilatur illi, qua res per ſpeciem ab ea captam cernitur: quia enim in ipſa angelica natura impreſſa eſt imago diuina, per ſuám eſſentiam Deum angelus nouit, inquantum Dei ſimilitudo eſt: ſicut ſi nummus imaginem Cæſaris tenens,ſe intelligeret, Cæſarem intelligeret. Nec tamen angelus Dei eſſentiam videt, quippe quam nulla creata ſimilitudo ſufficit exprimere, vt ſuppono.

Punctum vndecimum.Quid vero circa naturalia intelligat bonus, aut etiam malus angelus,dico quod multa. Et quidem primo naturalium rerum ſpecies vniuerſas cognoſcit. Primo. Nam cum naturali perfectione intellectus eorum ſtatim a ſuæ conditionis exordio perfectus ſit,vtpote ſtatim totus in actu exiſtens,nec inſtar noſtri paulatim ſuam perfectionem colligens (vt monſtratum eſt) ſuum obiectum, ideſt,ens intelligibile vniuerſaliter comprehendat oportet: alioquin ſiquid ſub ente contentum non attingeret, quantum ad illud attineret,in potentia eſſet, & non in actu: Sub ente vero intelligibili etiam rerum corporearum omnium naturæ & ſpecies continẽtur;ſunt enim vera & vere entia. Eas igitur omnes ſubſtantiæ ſeparatæ cognoſcunt. Secundo. Nam cum rerum ſpecies ſicut ſpecies numerorum diſtinguantur ex 8.Metaph .c patet: quia ordine quodam conſiſtunt,nec duæ ſunt æquales (vt probatum eſt) oportet vtcunque in ſuperiori ſpecie, quod inferioris eſt, contineri,ceu numerus maior continet minorem.

ñorem. Cum igitur ſupra ſubſtantias corporeas omnes ſint ſubſtantiæ ſeparatæ, quæcunque in ſubſtantijs corporeis ſunt per modum materialem, in ſeparatis ſint oportet per modum intelligibilem: quod enim in aliquo eſt, per modum eius in eo eſt. Intelligunt igitur angeli tam boni quam mali omnes materialium rerũ ſpecies, & quæcunq; eis inſunt. Tertio. Si ſubſtantiæ ſeparatę cæleſtia corpora mouent, vt philoſophi poſuere, omne ex cæleſti corpore pullulans & emergens, ipſis quidem corporibus ſicut inſtrumentis aſcribitur (mouent enim mota:) ipſis autem intelligentijs ſicut principalibus agentibus attribuatur oportet: mouent enim cælos. Cauſant vero omne tale per cælos eo modo quo artifex ſuum opus per ſua inſtrumenta, per intellectum ſcilicet: agunt enim & mouent per intellectum & voluntatem, cum in eis aliæ non ſubſint vires. Intelligunt ergo omnia quæ vel generantur, vel etiam corrumpuntur. Nec obſtat, ſi quę intelligentiæ cælos immediate non mouent, quia cum motrices ſint de infimis, deputantur enim corporibus adminiſtrandis, mouentium actio ab alijs ſuperioribus pendet: ſunt enim omnes ſubinuicem poſitæ, vt monſtratum eſt. Si vero generabilia quaſi proprios effectus corruptibiliaque cognoſcunt, longe magis ipſas cæleſtium corporum ſpecies tanquam inſtrumenta propria norunt. Nec obſtat, quod res materiales ex hoc videbuntur perfectiones eſſe immaterialium: intellectum enim perfectio eſt intelligentis. Non obſtat, inquam: quippe res intellecta intelligentis perfectio non eſt niſi ſimilitudinis ſuæ gratia, quã in intellectu habet. non enim qui extra animam eſt lapis, intellectum noſtrum perficit, ſed lapidis ſimilitudo, quę noſtro intellectui inſidet. Similitudo ergo rei materialis in angelico intellectu exiſtens, forma & perfectio eius eſt: & hoc non abſurdum, ſed verum eſt. Secundo vero intelligentię tam bonę quam malę nõ ſpecies modo omnes corporeæ naturæ norunt, verumetiam & ſingularia cuncta. Quia enim rerum ſimilitudines in earum intellectibus vniuerſaliores & efficaciores ſunt ad rerum notitiam, quam in noſtro, per eas res naturales non modo ſecundum rationem generis vel ſpeciei norunt, vt noſter intellectus, verum etiam ſecundum indiuidua. Primo, cum enim rerum ſpecies in intellectu exiſtentes immateriales ſint, ſecundum quod in noſtro intellectu ſunt, cognoſcendi ſingularia per materiam indiuiduata, nequeunt eſſe principium: ſunt enim virtutis adeo contractæ & coarctatæ, vt vna in vnius ſolum notitiam ducat: vnde quemadmodum genericæ naturæ ſimilitudo in cognitionem generis ac differentiæ ducere non poſſet, vt ſcilicet per animalis ſpeciem etiam rationalem nouerimus, vt per eam ſpecies noſcatur: ita quoque ſpecificæ naturæ ſimilitudo in notitiam principiorum ſpeciei & indiuiduantium

tium, quæ ſunt principia materialia ducere non poteſt, vt per eam indiuiduum in ſua ſingularitate noſcatur, immo ex abſtractione ab his cauſatur, vnde in ea ducere nequit. Similitudo vero in intellectu ſubſtantiæ ſeparatæ, cum ſit virtutis vniuerſalis, vna & immaterialis exiſtens, in principiorum ſpeciei notitiam & indiuiduantium ducere poteſt, adeo vt per eam intelligentia non generis modo & ſpeciei naturam poſsit ſuo intellectu comprehendere, verumetiam & indiuiduorum omnium: conſequenter autem nec infinitorum indiuiduorum habet ſpecies infinitas, eiuſmodi enim ſpecies non eſt ab indiuiduis abſtracta. Vnde ſicut affirmatio affirmationis, ita negatio negationis eſt cauſa: & ſicut abſtractio in nobis ſingularium ignorantiam ponit, ita in angelis non abſtractio tollit. Secundo. Nam intelligibiles rerum ſpecies, & ad noſtrum, & ad angelicum intellectum ordine contrario veniunt: quippe ad noſtrum per viam reſolutionis, ideſt abſtractionis a conditionibus materialibus indiuiduantibus veniunt, vnde per eas ſingularia à nobis nequeunt cognoſci; ad angelicum autem veniunt quaſi per viam compoſitionis: habet enim ſpecies ex aſſimilatione ſui ad primam intelligibilem ſpeciem diuini intellectus, quæ a rebus equidem abſtracta nequaquam ſit oportet, verum potius rerum factiua eſt: factiua, inquam, non modo quo ad formam, verum etiam quantum ad materiam, quæ eſt indiuiduandi principium. Species igitur intellectus angelici, etiam indiuiduandi principia reſpiciūt, vnde ſingularia cognoſcit, quamquam ea intellectus noſter non cognoſcat. Tertio. Quod inferior virtus poteſt, & ſuperior vtique poſsit neceſſe eſt; quamquam altiori modo, ſi altioris & alterius ordinis ſit: quo fit vt virtus inferior plerumque per plura quam ſuperior operetur; & quanto inferior, per plura; per pauciora vero, quanto ſuperior: vnde vna virtus ſenſus communis apprehendit omnia quæ quinque exteriores ſenſus apprehēdunt. Anima autem humana ſubſtantia qualibet ſeparata naturæ ordine inferior eſt; & ipſa per duo principia intellectum videlicet, & ſenſum, & vniuerſalia, & ſingularia nouit. Eodem ergo modo hæc omnia intelligentia nouit, & altiori modo, ideſt, potentia vna cognitiua, quam ſolam habet. Quarto. Si a ſpiritibus ſeparatis apud philoſophos mouētur cæleſtia corpora, qui per intellectum ac voluntatem agunt & mouent, quod vires alias non obtineant, mobile a ſe motum cognoſcunt: quod ſingulare quoddam ſit oportet, ſi mouetur: ſitus etiam per motum renouati ſingularia quædam ſunt, nec ignorari ab ea ſubſtantia poſſunt, quæ per intellectū ad hos mouet: & multo minus a ſuperioribus, quę etiā cęleſti motu producuntur, ſingularia corruptibilia norunt illi motores, cum vt artifices ea producant. Singularia ergo horum materialium norunt intel-

ligentiæ,ſiue bonæ,ſiue malę ſint. Non cognoſcunt vero intelligentiæ in ſpiritualibus vel corporalibus primo quidem futura in ſeipſis, ideſt,vt aliquando erunt in ſuis exiſtentijs. Nam angeli in ſuis cauſis futura longe acutius, quā nos poſſunt agnoſcere; & certe ſi ex eis neceſſario emergant,vt craſtinus ortus ſolis: coniecturaliter vero,quæ vt in pluribus:nullo vero modo,quæ raro eueniunt. In ſeipſis vero futura nouiſſe,Dei ſolius eſt,non ſolum quæ neceſſario vel in pluribus,ſed etiam quę caſualiter & raro emergunt.Nam in ſuā æternitate quæ toti tempori adeſt,illudq; concludit,Deus omnia videt ſemper eodē modo:alioquin ſi futuro in eſſe poſito,nouo modo illud videret,ſua viſio non eſſet tota æterna,ſed creſceret: quilibet autem intellectus creatus ab iſta æternitate deficit, & conſequenter ab huiuſmodi cognitione, quæ æternitatem conſequitur: Quia quod ſub tempore eſt: vt aliquo modo omne æuiternum, in quo ſucceſsio aliqua ſit oportet, vt probabo pene ſtatim: non poteſt habere præſentia omnia,quæ toto tempore fiunt. Vnde diuinitatis inſigne eſt noſſe futura. Iſa. 41. Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dij eſtis vos. Nec obſtat,quod intellectus angeli eſt ſupra tempus,cuius differentiæ ſunt præſens & futurum; & parificatur intelligentia æternitati, ideſt æuo, vt dicitur in libro de Cauſis.Dico enim quod intellectus angeli,etſi eſt ſupra tempus phyſicum continuum,quo motus corporales metimur: non tamē ſupra,ſed infra diſcretum eſt, quo ſucceſsio intellectionum & volitionum angelicarum menſurantur:non enim intelligunt angeli omnia ſimul,vt probabitur: de quo tempore Aug.8. ſuper Gen. ad lit. Deus,inquit, creaturam ſpiritualem mouet per tempus. Non obſtat ſecundo, quod angelus per ſpecies vniuerſales, & a rebus non acceptas intelligat, quæ æqualiter ad præſens & futurum protenduntur. Dico enim,quod licet de ſe æqualiter ad præterita,pręſentia,& futura ſe habeant;ecōtra tamē iſta ad illas non eodē modo ſe habēt: nā pręſentia quidē naturā habent,qua ſpeciebus intellectus angelici ſimilentur,& per eam noſci poſsint: præterita vero eā aliquādo habuere, ſed futura nunquam: vnde per eas agnoſci nequeunt,niſi ponantur in eſſe,& cōſequenter actu ſimilentur. Non obſtat tertio,quod ſicut ſecūdum locū,ita & ſecundū tēpus dicitur aliquid diſtans:nec intellectionem angelicam impedit diſtātia prima; & conſequenter nec ſecunda. Dico enim,quod non eſt ſimile de vtraque diſtantia: quippe quæ loco diſtant, in rerum natura ſunt, & ſpeciem aliquam participant, cuius ſimilitudo in angelo eſt: quod de diſtantibus tempore, ideſt futuris, verū nō eſt. Non cognoſcunt etiam cordiū cogitationes angelicæ illæ mentes, ideſt volitiones,& intellectiones,vt ſunt voluntariæ: quia naturalia omnia per ſubſtantiam ſuā aut ſpecies inditas norunt,

quibus

quibus cogitationes a voluntate dependentes non colligantur, ſicut cauſis colligantur effectus: ſed ſoli Deo vt cauſæ ſubijciuntur, & voluntati: Hoc tamen intellige ſecundum Aug. in lib. de Diuin. dæmo. niſi cogitationes in corpore ſigna relinquant: quia iam talia colligationem habent ad ſpecies angelici intellectus mouentis omnia corpora. Paucæ vero (meo iudicio) ſunt cogitationes ſpiritibus malis occultæ propter ingenij angelici ſagacitatem. Quin etiam cauendum eſt, ne quis intimis ſuis cogitationibus fidat, quaſi neſciat perfidus hoſtis, quid homo intendat: interdum enim ipſe cogitatus ſuggerit, & inde eos ſaltem coniecturaliter & probabiliter nouit. Nec obſtat, quod angelus ſpecies intelligibiles animæ vel alterius norit, quorum nouit ſubſtantiam & accidentia: quia non ſequitur, quod norit quomodo angelus vel anima ſpeciebus intelligibilibus voluntate vtatur; Immo licet angeli cognoſcant actum appetitus brutalis, qui non eſt liber, ſed alterius cauſæ corporalis vel ſpiritualis impreſsionem ſequitur, quam angelus nouit: non tamen ſequitur, quod nouerit motus appetitus ſenſitiui hominis, & apprehenſionem phantaſticam, ſecundũ quod a ratione & voluntate mouetur: quia etiam inferior pars animę quoquomodo ratione participat, ſicut obediens imperanti, Eth. 1. Nec tamen ſequitur, quod ſi angelus id quod in phantaſia vel appetitu ſenſitiuo hominis eſt, nouit, id noſcat quod in cogitatione aut voluntate eſt: quia voluntas & ratio appetitui ſenſitiuo, & phantaſiæ non ſubiacent, ſed eis diuerſimode vti poſſunt.

Punctum duodecimum. Cognoſcit vero intellectus angelicus ſimul omnia quæ vna ſpecie cognoſcit, non autem quæ pluribus. Sicut enim vnitas termini ad vnitatem motus, ita vnitas obiecti ad vnitatem operationis requiritur: vna ergo operatione multa & ſenſu, & intellectu noſcuntur aliquando: quia aliqua vt vnum, & vt plura accipi poſſunt: vt partes continui, quæ plures ſunt, ſi quælibet ſeorſum capiatur, nec ſimul, nec vna operatione aut ſenſu, aut intellectu noſcuntur: ſed ſi capiantur vt ſunt vnum in toto, vnum ſunt, & vna operatione ſenſu & intellectu noſcuntur, vt patet in tertio de Anima. Sic etiam intellectus noſter ſimul ſubiectum prædicatumque cognoſcit, vt partes ſunt vnius propoſitionis, & duo comparata vt in comparatione vna conueniunt. Igitur multa vt diſtincta non poſſunt ſimul intelligi, ſed vt in intelligibili vno vniuntur, ſimul intelliguntur. Vnumquodque autem actu intelligibile eſt, ſecundũ quod eius ſpecies in intellectu eſt; conſequenter autem quæcumque per vnam ſpeciem intelligibilem cognoſci poſſunt, vt vnum intelligibile cognoſci poſſunt, & conſequenter ſimul cognoſci: quæ vero noſcuntur per ſpecies diuerſas, vt diuerſa intelligibilia noſcuntur, nec ſimul noſcũtur.

tur. Angeli ergo boni, quantum ad notitiam habitam in verbo diuino, ſimul norunt quæcunque norunt: quia vna ſpecie, id eſt, diuina eſſentia norunt. Quantum ad notitiam vero, qua boni aut mali res per innatas ſpecies norunt, ea ſimul intelligunt, quæ vna ſpecie norunt, vt ſaltem vnam ſpecialiſsimam ſpeciem cum ſuis indiuiduis, aut etiam ſubalternam, aut genus, prout ſpeciebus altioribus intelligunt. Ex his liquet, quod dæmon quicunque, etiam minimus, nouit omnia quæ dicam cum ſuis viribus & proprietatibus. Primo omnia elementa, ſecundo omnia metalla, tertio omnes lapides, quarto omnes herbas, quinto omnes plantas, ſexto omnia reptilia & animalia terræ, ſeptimo omnes aues, octauo omnes piſces; nono omnes orbes & motus cælorum, decimo omnes & ſingulas ſtellas & conſtellationes, & aſpectus cæleſtes, ac influxus; vltimo omnes ſubſtantias immateriales, & vt dictum eſt, omnium horum virtutes.

Dæmones naturali uirtute eſſe potentiſſimos. CAP. XIIII.

IN ſubſtantia ſpirituali tres tantum eſſe potentias notum eſt: intellectum, voluntatem, & virtutem: quæ tamen a voluntate minime ſecernitur re ipſa, ſed ratione tantummodo. Et de voluntate quidem eorum ibi actum eſt, vbi & probatum, quod ſint aliquæ intelligentiæ malæ: de eorum vero intellectu capitulo priore. Quantum autem ſe eorum extendat naturalis virtus, ſeu poteſtas niſi a Deo comprimatur, paucis punctis eluceat.

Punctum primum. Angelus & bonus, & malus poteſt moueri ex loco in locum, licet æquiuoce nobiſcum aut corpori. Angelus enim in loco eſſe poteſt, vt experientia docuit de bonis, qui in aliquibus corporibus aſſumptis apparuere, vt patebit; & de malis, qui aliquādo humana corpora obſident. Et præterea ipſi philoſophi intelligentias ponunt in orbibus cæleſtibus ab eis motis, alioquin ea non mouerent, cum mouens & motum oporteat eſſe ſimul. 7. phy. Non tamē eſt Angelus in loco eo modo quo corpus, ſcilicet ſua quantitate molis, replendo ſpatium loci, quia hanc intelligentia non habet: ſed alio modo, id eſt ſua quantitate virtutis, quo ſpiritualia corporalia tangunt: ſicut verbum ferens conceptum mentis, tangit cor, aut dolore, aut gaudio afficiens: immo & corporalia diſtantia, ſicut luna lunatici caput ſua virtute contingit. Vnde Angelum eſſe in loco, eſt contactu virtutis attingere locum, vel mouendo, vel ornando, vel præſidendo: quomodo etiam litteræ diuinæ in cælo eſſe angelos aſſerunt. Quod autem eſt in loco, niſi ſit infinitum attingens omnem locum, cuiuſmodi non eſt intelligentia creata (vt ſupponitur) niſi etiam ſit

loco determinato alligatum a natura, vt forte motores cælorum determinatæ parti; vel etiam a violentia, vt aliqui dæmones a Deo ligati ſunt in inferno; vel a ſuperioribus ſpiritibus etiam malis in ampullis vel anulis, & eiuſmodi. Quod, inquam, ſic eſt in loco, neceſſario poteſt moueri in loco: quia ſi in loco eſt aliquo, quia ibi operatur, ſi deſinit operari ibi, & in alio loco operetur, neceſſario in alio loco erit, vt angelus, qui erat Sodomæ, dum illam euertebat, ſi deinde euertiſſet Niniuem, ab vno loco ad alium tranſiuiſſet: quod eſt localiter moueri. Vnde angelum eſſe in loco, eſt operari in loco; moueri autem localiter, eſt ſucceſsiue operari in diuerſis locis: quod eſt æquiuoce moueri localiter nobiſcum & corpori.

Punctum ſecundum. Poteſt autem in ſuo locali motu angelus tranſire per medium, & ab extremo in extremum ſine medio. Nam in motu locali angeli, ideſt, in ſucceſsione operationum eius, vel contactuum ſpiritualium ad loca diuerſa, continuitas adeſſe poteſt, & etiam abeſſe. Adeſſe quidem; nihil enim prohibet angelo aſsignare locum diuiſibilem per contactum indiuiſibilis ſuæ virtutis: ſicut Deus indiuiſibilis totum mundum tangit, & anima totum corpus, quod vegetat: ſicut etiam corpori aſsignatur locus diuiſibilis ratione ſuæ magnitudinis. Vnde ſicut corpus ſucceſsiue, & non ſimul locum prius a ſe occupatum deſerit, conſequenter vero exinde in locali motu eius continuitas cauſatur, & adeſt: ita etiam intelligentia ſucceſsiue locum diuiſibilem aſsignatum deſerere poteſt, & ſic continuus motus eius erit. Poteſt etiam continuitas abeſſe: poteſt enim locum etiam diuiſibilem ſimul totum deſerere, & toti alteri loco ſimul ſe per contactum applicare: quia ſua operatio ex parte operantis indiuiſibilis cum ſit, ſicut & omnis intellectio ac volitio, ſimul tota incipit, & ſimul tota deſinit. Quæcunque vero Ariſtot. de motu dicit in libris philoſophiæ naturalis, ſunt dicta de motu corporum, vt pote, quod mobile eſt diuiſibile, & dum mouetur partim eſt in termino a quo, & partim in termino ad quem: quamquam & hoc ſecundum in motu angelico continuo admitti poteſt, modo partialitas non ad ſubſtantiam angeli, aut eius virtutem vel operationem in ſe referatur; ſed ad obiectum ſeu locum occupatum, & ad operationem, conſequenter ex parte obiecti, non in ſe, vel ex parte angeli. Si igitur continuus ſit motus angelicus, neceſſario angelus ab extremo in extremum motus, medium tranſit. Medium enim, vt 6. Phyſic. liquet, eſt in quod prius venit quod continue mutatur: ordo enim prioris & poſterioris in motu continuo eſt ſecundum ordinem prioris & poſterioris in magnitudine, vt 8. Phyſicorum liquet. Si vero motus angeli continuus non ſit, poteſt ab extremo in extremum

tranſire

tranſire medio non tranſito. Nam angelum ſic ab extremo in extremum tranſire, eſt illum operari prius in vno extremo, poſtea in alio: hoc autem facere poteſt abſque hoc quod operetur in medio: quia cũ libere operetur (ut probatum eſt) deſerto vno loco, poterit alteri ad libitum applicari: vnde ſi nunc in oriente operetur, & ſtatim poſt in occidente, erit pene ſubito ex illo ad illum locum ſine medio motus. Immo impoſsibile eſt in motu diſcreto, quin omittat medium, vt diuus Tho. demonſtrat. 1.q. 53. ar.2. Sed bona ratione pertranſeo. Ex his vero patet, quod angelus a loco maxime diſtanti ad alium maxime diſtantem velociſsime poteſt moueri, immo æque velociter ad diſtantem vt ad propinquum, cum eius moueri ſit eius operari: ubi autẽ ceſſat operari alicubi, poteſt ad libitum alibi operari, cum ipſe de ſe non ſit in loco, & conſequenter æqualiter omni loco ſit propinquus, ubi deſinit alicubi operari. Infinita ſubtiliſsima de re hac dici potuiſſent, ſed ſicco pede trãſeo, quia ad noſtrũ inſtitutũ nõ ſunt neceſſaria.

Punctum tertium. Etſi angelus bonus vel malus localiter mouere poteſt, non poteſt tamen corpoream materiam pro ſuo voto mutare formaliter, ideſt, de forma in formam, ſinę medio agente corporeo. Nam illud in primis ſciendum eſt, Platonicos exiſtimaſſe materiales formas, vt aſini, bouis, lapidis, & eiuſmodi, ex immaterialibus formis cauſari: quippe qui materiales formas participationes quaſdam exiſtimarunt immaterialium formarũ, quos quantum ad aliquid Auice. ſecutus, poſuit omnes formas, quæ in materia ſunt, a conceptione procedere intelligentiæ, & agentia corporalia ſolum ad formas diſponere. Qui in hoc uidentur aberraſſe, quod formam quaſi aliquid per ſe factum putarunt, vt ſic ab aliquo formali principio quaſi a ſibi ſimili procederet. Verum, ut in ſeptimo Metaphy. probauit Ariſt. Compoſitum eſt quod proprie fit, ſicut & compoſitum eſt quod proprie eſt, quaſi ſubſiſtens: forma autem non eſt proprie, nec ens dicitur, quaſi ipſa ſit uel exiſtat, ſed quaſi id, quo aliquid eſt; conſequenter autem nec ipſa proprie fit: proprie enim id fit, quod quando factum eſt, proprie eſt, cum fieri ſit via ad eſſe: ſicut proprie mouetur ad terminum, quod proprie illum attingit. Cum igitur factum ſit ſimile facienti (agit enim ſibi ſimile agens omne) id quod res naturales efficit, ſimilitudinem habet cum compoſito, quod proprie fit & eſt, uel quia eſt compoſitum, ſicut ignis generat ignem; uel quia in ſua uirtute totum compoſitum quantum ad materiam & formam habet, quod Dei ſolius eſt proprium. Igitur omnis informatio materiæ cum ſit a producente compoſitum, vel a Deo eſt immediate, vel ab aliquo agente corporali, non autem immediate ab angelo. Nec huic puncto obſtat primo, quod conceptioni animę obedit materia corporalis,

ſicut

ſicut ex conceptione animæ corpus ad calorem, aut frigus, aut venerē immutatur, & multo magis ad conceptionem intelligentiæ, & conſequenter ei obedit ad nutum. Dico enim non eſſe ſimile, quippe anima noſtra corpori vnitur vt forma, conſequenter autem non eſt mirum ſi ex cōceptione eius tranſmutatur: præſertim cum motus ſenſitiui appetitus, qui cum quadam tranſmutatione corporea fit, ſubdatur rationis imperio: angelus autem non ſic ſe habet ad corpus. Nec obſtat ſecundo, quod corpus materiam ad formam aliquam tranſmutare poteſt, vt cum ignis ignem generat, conſequenter autem id videtur poſſe ſuperior virtus intelligentia. Dico enim quod ſuperior virtus id poteſt quod & inferior; ſed ſolum excellentiori modo quando ad ordines diuerſos attinent, ſicut intellectus ſenſibilia nouit longe excellentiori modo, quam ſenſus: & ſimiliter angelus materiam ad formā trāſmutat excellentiori modo quam corpus ideſt, mouendo agentia corporalia tanquam cauſa ſuperior. Nec ſimiliter obſtat tertio, quod tota natura corporea angelicum inſtrumentum eſt, vt patuit: conſequenter autem in inferioribus effectibus aliquid eſt ex virtute principalis agentis angeli, quod attingere nequit inſtrumentum, ideſt agens corporeum, & illud eſt principale in effectu: ſicut inſtrumentum animæ calor naturalis digerit quidem carnem, tamē anima ſua virtute generat, conſequenter autem principale in effectibus corporalibus, ideſt forma ſubſtantialis, ex virtute eſt angelica. Nō obſtat, inquā, quia, nihil prohibet angelica virtute in rebus naturalibus aliquos ſequi effectus, ad quos agentia corporea nequaquam ſufficerent: hoc tamen non eſt materiam obedire angelis ad nutum: ſicut nec coquo obedit materia ad nutum, qui per ignem arte moderatum, aliquem decoctionis modum operatur, quem per ſe ignis efficere nequiret: cum reducere materiam in actum formæ ſubſtantialis non excedat virtutē corporalis agentis, quia ſimile ſibi facere natum eſt. Vnde dicit Aug. 3. de Tri. Non eſt putandum iſtis tranſgreſſoribus angelis ad nutum ſeruire hanc viſibilium rerum materiam, ſed Deo ſoli.

Punctum quartum. Obediunt autem inferiora corpora angelis etiā malis ad nutum, quo ad motum localem. Primo. Nam experientia nos docet, totam naturam creatam graduatam & ordinatam a Deo eſſe, conſequenter autem quod in inferiori eſt ſupremum, immediatum ei, quod in ſuperiori eſt infimum, ſit oportet, & in his ſcilicet ſupremo & infimo naturæ etiam ſpirituales vniuntur ſuo modo, ſicut corpora per ſua vltima ſunt ſimul: ſicut in anima noſtra videmus ſupremum eſſe id quod angelis conuenit, ſcilicet principiū intelligere ſine diſcurſu. Videmus etiam in elementis, ſupra naturalem & proprium motum rectum, eſſe circularem, qui cælo eſt proprius: quod & Dionyſio non

latuit: quippe qui in 7.ca. de di. no.dicit, quod ſapientia diuina coniungit fines primorum principijs ſecundorum: ex quo patet, quod natura inferior in ſui ſupremo a ſuperiori quodam ſuo modo cõtingitur. Natura vero corporea ſpirituali inferior eſt, vt liquet, quia ſpiritus corpus viuificat, & mouet, ac nobilitat. In corporea autem natura inter omnes motus, ſupremus eſt localis, vt probatur in 8.Phyſic. cuius etiã ratio eſt, quia mobile ſecundum locum non eſt in potentia ad aliquod intrinſecum inquantum huiuſmodi: ſed ad extrinſecum ſolum, ideſt locum, nec a mobili aliquid abijcit abſolutum, ſed relationem tãtum, vel vbi. Igitur natura corporalis nata eſt a ſpirituali immediate moueri ſecundum locum: quod etiam in anima experiri licet, quæ corpus attingit vt motor medio locali motu cordis. Vnde & philoſophi localẽ motũ ſupremorũ corporũ intelligẽtijs aſcripſerũt: & Aug. dicit in 3. de Trin. quod angeli adhibẽt ſemina corporalia ad effect⁹ aliquos producẽdos, quod niſi per localẽ motũ eſſe nequit. Secũdo. Nam quod poteſt maius, vtiq; & minus poſsit oportet: Sed angeli ſpirit⁹, & quidẽ etiã de infimis, poſſunt maius, ideſt mouere cæleſtia corpora, ſecundum philoſophos, & ſententiã Domini, dicentis, virtutes cælorũ in die iudicij mouẽdas, ideſt amouendas a corporum cæleſtiũ motione. Ergo vtiq; poſſunt min⁹, ideſt mouere corpora inferiora. Tertio. Nã quod natura inferior poteſt, vtiq; ſuperiorẽ poſſe, licet altiori modo, neceſſe eſt, vt ex dictis patet: Sed natura inferior, ideſt anima rõnalis aliquod corpus inferius localiter mouet ad nutum, vt ſuũ corpus immediate, & per illud alia. Ergo & angelus ſiue bon⁹, ſiue malus. Et ſi dicatur, quod vtique concluditur angelum poſſe mouere aliquod corpus, vt mobile proprium, ideſt cęlum, & per illud alia, & non aliter: hoc nihil eſt, quia angeli habentes mobile proprium & proportionatum, ſunt infimi, ſupra quos innumeri ſunt (vt ſupra oſtenſum eſt) qui in mouendo excedunt proportionem mobilis cęleſtis, & conſequenter non limitantur ad motum cæli, ſed eis & cæli, & omnia corpora obediunt ad nutum locali motu: ita tamen quod cælum ſolum ad motum vno modo, quia alias ordo naturæ euerteretur: alia vero, ideſt inferiora, ad omnem partem ſine detrimento mouere poſſunt, modo totum vnum elementum de loco ſuo non mutent: quod nequeunt, quia ſic habet ordo inditus naturæ a Deo. Quarto. Quanto motor altioris eſt virtutis, tanto mobile ei proportionatum altius eſt. Vnde & apud philoſophos motor ſphæræ lunæ, ſphęram ſolis ſuperiorem mouere nequiret: & ſic de reliquis. Sed intelligentiæ ſunt altiores anima humana, quæ determinata eſt immediate ad corpus vnum mouendum, humanum ſcilicet. Ergo intelligentiæ immediate mouere poſſunt humanum, & aliquid altius, & conſequenter omnia inferiora humano. Quinto.

Anima

Anima humana mediate vel immediate poteſt mouere omnia inferiora, vel ex toto, vel in parte: & ſucceſsiue omne totum mixtum, etiam turrim. Ergo a fortiori angelus etiam ſatanæ, & altiori modo. Sexto. Nam idem in ſacris litteris, & chriſtianis tractatoribus patet, apud quos dubium non eſt, dæmonem eſſe tantæ virtutis, vt non vnũ modo, verum & multos homines ſimul, & pene ſubito, poſſet ad diſtantia loca portare: Et nil mirum, quia dæmones angelis bonis ſunt in naturalibus pares, & interdum maiores, cum de omnibus ordinibus ceciderint, & inter omnes ſupremus. Vnde & dæmon, apud multos catholicos expoſitores, Chriſtum ex deſerto in templum, & inde in montem excelſum portauit, Luc. 4. & itidem angelus bonus portauit Habacuc, Dan. 8. Nec ſcriptura aut Sancti aſcribunt hoc virtuti Dei, ſed naturæ angeli, quæ etiam in malis eſt. Item Cyprianus adhuc malus, per dæmones Iuſtinam virginem habere tentabat, licet nequiret, quia ſigno crucis munita præualebat. Idem etiam in vita beati Iacobi patet de Hermogene & Phileto. Noſtri etiam temporis magi crebro ad longinqua loca a dæmone feruntur, quinimmo & alios ſecum volentes per æthera in caballo fremente, ideſt in dæmone, ſub forma caballi per aera vehunt, monitos primum ne crucis ſigno ſe muniant: ſicut & de ſcientia certa Henricus Inſtitoris ſic refert. Quidam ſcholaris tunc, nunc ſacerdos Friſingenſis diœceſis, adhuc vt creditur, viuens, referre ſolitus erat, ſemel ſe a diabolo ad partes remotas per aera delatum. Alius quoque ſacerdos ſupereſt in Oburdorum oppido: qui illius conſodalis exiſtens, dictam ſubuectionem corporeis oculis vidit, qualiter ſcilicet clamans, & eiulans ſublatis in cælum lacertis, ferebatur, & hac ex cauſa: Congregatis enim multis ſcholaribus in ceruiſiæ potagijs, concordarunt vt portator ceruiſiæ nihil exponeret, vnus ergo pro ceruiſia conatus exire, denſiſsimam nubem in ipſa oſtij apertione ſtatim offendit, qua territus ſtatim redijt, & potum ferre omnino recuſauit. Etſi diabolus adeſſet, reſpondit alius, potum afferam: & ſic egreſſus, omnibus alijs videntibus in aera ſubleuatus ferebatur, clamans & eiulans. Et in vita beati Petri de Simone mago patet, quem quaſi volantem ex Capitolio dæmones efferebant, quem Petrus intelligens a malignis ſpiritibus portari, eos adiurauit per Chriſti nomen ne illum deferrent, & ſtatim illis obedientibus Chriſto, magus corruit. Quidam quoque, cuius nomen, quia adhuc viuit, taceo; & qui inde conuerſus habitum ſanctæ religionis excepit, cum poſt virginem quandam inſaniret, eius ei copia promiſſa eſt a ſtrigimaga, ſi ſe portari ſineret ad ludum: quo aſſentiente, equus fremens per aera longe tulit, tranſeuntem terras, flumina & loca, quæ nunquam viderat, & quæ deinde viſa

recognouit, & virgine ſimiliter delata potitus eſt: quamuis Dei miſeratione nunc pæniteat. Et de huiuſmodi, experientiæ infinitæ ſunt, quas negare, inſanire eſt. Ex his vero ſequitur, quod quęcunque locali motu inferiorum corporum effici poſſunt, diabolus poſsit efficere, ſicut poteſt domum, aut vrbem ſuccendere: quia ignem ferre poteſt, & admouere. Videatur etiam infra libro ſecundo. cap. 1. puncto quinto, & puncto octauo.

Punctum quintum. Angelos etiã malos corpora poſſe aſſumere, & in ſpeciebus diuerſis apparere. Primo. Nam quæcunque locali motu corporum inferiorum effici poſſunt, diabolus poteſt efficere, vt ſtatim patuit. Eiuſmodi autem eſt effictio corporis, quod videatur humanũ, vel leoninum, aut lupinum, & eiuſmodi. Nam huiuſmodi corporum ſimilitudo in figura & colore conſiſtit: per motum autem localem fieri poſſe figuram nulli dubium, immo ipſam niſi per localem motũ addendo, ſubtrahendo, mutando, aut diſponendo fieri non poſſe clarum eſt, experientia teſte: ſimiliter per motum localem induci poſſe colores, teſtatur opus Pictorum, per ſua inſtrumenta corpora colorata admouendo. Igitur in quacunque ſpecie poſſunt dæmones apparere. Et vlterius, vt patebit, poſſunt iſtæ apparitiones fieri in ſola phantaſia. Secundo. Nam cum ſpiritualis natura corpore ſuperior ſit, ab ea obedientiam habeat oportet: Sed hanc non habet quantum ad augmentum vel alterationem, ſicut nec quãtum ad formarum ſuſceptionem, vt patuit ſupra. Ergo eam quantum ad motum localem habeat oportet, cum his ſolis motibus obediat: motu vero locali per condenſationem, & rarefactionem, & applicationem actiuorum naturalium corpus omne figurari & colorari poteſt, vt in nubibus de vtroque experimur, & conſequenter angelus in omni ſpecie apparere poteſt. Et de his apud diuinas litteras, & catholicos tractatores non eſt dubium: quia angeli boni crebro leguntur in diuerſis formis apparuiſſe, & in eos (teſte Paulo) ſe transfigurat angelus ſatanæ: Vnde apud Greg. in Dial. moniali in forma perpulchræ & teneræ lactucæ apparuit: Antonio vero in forma diſci argentei, & pueri parui, & huiuſmodi: & cuidam Eremitæ in forma ſpecioſæ puellæ, adeo vt allectus ad nefandum actum, ſe vltima diſpoſitione pararet: & tunc euanuit, & irriſit brutalem virum, cui induxit velle, et ſubtraxit poſſe coire. An vero huiuſmodi corpora vera corpora ſint, vtique dicẽdum eſt quod ſic, veritate figuræ, & colorum (alioquin exterioribus ſenſibus non viderẽtur) & veritate alicuius naturæ corporeæ: quia ſine ſubiecto accidentia illa, ideſt figura & color, non ſubſiſterent: non autem veritate naturæ, quam præ ſe ferunt, vt ſcilicet ſint vera humana, aut leonina, aut eiuſmodi corpora; alioquin non ſubito interire, &

in fu-

in fumum reſolui poſſent. Ex qua vero materia eiuſmodi corpora ſumant, dicendum eſt communiter ſecundum Theologos, quod non ex terra: quia nequirent ſtatim reſolui; neque ex aqua, eadem ratione; neque ex igne, quia tangentes vrerent: ſed ex aere. Cuius ſignum dixeris, quod nonnulli huiuſmodi corpora gladio perfodere, aut truncare anuixi, id nequiuerunt: quia partes aeris diuiſi ſtatim cõtinuantur. Aeris tamen nomine omnem vaporem, quantumcumque groſſum, intelligimus. Sicut vero circa ſe eiuſmodi corpora effingunt, ita & circa homines poſſunt effingere, ut in diuerſis ſpeciebus & ipſi uideantur, aut etiam occultentur, & reddantur inuiſibiles: cui veritati etiam Maro fingendo atteſtatur, qui nube ſepſit AEneam.

Punctum ſextum. Quid vero poſsint dæmones circa homines ex dictis oſtenſurus, dico multa. Primum. Angelus bonus hominem poteſt illuminare, ut apud omnes catholicos confeſſum eſt: nec in hoc nos laborare oportet, maxime quia inſtituto noſtro parum, aut nihil auxilij confert: angelus vero malus, cũ naturali virtute ea poſsit, quæ & bonus, hominem poſſet illuminare ſi vellet, eius intellectum confortãdo: omnis enim uirtus inferior a ſuperiore fouetur, & uigoratur: ſed eius peruerſa uoluntas iſtud minime patitur: quia cum uelit hominis deceptionem, uelle nequit luminis intellectualis eius vigorationẽ, quæ deceptioni repugnat: poteſt vero hominem docere ordinando ſpecies intelligibiles ac imaginarias, tam bonus angelus bono fine, vt doceat, quam malus malo fine, ut fallat: unde in hoc iuuat hominem ut ſciat dubitare; deinde uero cum deſerit ne ſciat iudicare, & idem in deſperationem deducat, ut in ſcrupuloſis facit. Secundum. De uoluntate uero hominis nihil dico, cum planum ſit eam a creatura aliqua efficaciter in aliquid cogi non poſſe. Tertium. De hominis uero phantaſia & ſenſibus, multa ſcribenda occurrunt. Nam euidentibus indicijs experimentiſque liquet, uirtute dæmonum hominibus aliqua ſenſibiliter oſtendi: quod equidem quandoque per id fit, quod dęmones exteriora quædam corpora humanis ſenſibus exhibent, uel quæ præexiſtant a natura formata, uel quæ ipſi formarint per naturalia ſemina, modo iam explicato; & in hoc nullum, niſi inſanis, eſt dubium. Dupliciter autem hominum ſenſus dæmones immutare & poſſunt, & aſſueuerunt. Nam dupliciter ſenſus immutatur, uel ab exteriori, veluti cum immutatur a ſenſibili: uel interiori, quemadmodũ uidemus quod perturbatis ſpiritibus & humoribus, ſenſus quoque immutatur: lingua enim febrientis omnia amara ſentit, quippe quæ humore colerico plena ſit. phrenetici etiam mira ſe uidere putant. Vtroque autem modo ſua naturali virtute angelus cum bonus, tum etiam malus hominum ſenſus immutare poteſt: quippe qui ſenſui exterius ſenſibile

aliquod

aliquod poteſt opponere, vel a natura, vel a ſe formatum & extructũ, ſicut dum corpora aſſumunt: itidem poteſt interius ſpiritus & humores commouere, & ad phantaſiam ſenſumq; cõmunem deducere, ex quibus ſenſus diuerſimode immutentur.: quæ omnia ex prioribus liquent, cũ naturali motu rerum inferiorum effici poſsint, vt liquet. Poteſt autem angelus vterq;, & lucis, & ſatanæ ſua naturali virtute hominis phantaſiam mouere: quod equidem ſic oſtendi poteſt. Nam ſupra monſtratum eſt, quod quãtum ad localem attinet lationem, angelo ad nutum natura hæc corporalis obſequitur. Quæ ergo locali corporum motu effici poſſunt, ſiue ſpirituũ, ſiue humorum, virtuti naturali angelicæ, etiam dæmonum ſubſint neceſſe eſt. Apparitiones autem imaginarias locali motione humorum atq; ſpirituum aliquando poſſe fieri perſpicuũ eſt, vnde in eo libro, quẽ de Somno & vigilia Ariſt. edidit, apparitionis ſomniorum cauſam redditurus, dicit: Cum dormierit animal, deſcendente plurimo ſanguine ad principium ſenſitiuũ, ideſt ſenſum cõmunem, ſimul deſcendũt motus, ideſt impreſsiones ex motionibus ſenſibiliũ relictæ, quę in ſpiritibus ſenſualibus conſeruantur, & ſenſitiuum principiũ mouent ſic, vt apparitio quædam fiat, acſi tũc a rebus ipſis exterioribus immutaretur ſenſitiuum principium: Et tãta eſſe poteſt humorum ſpirituumq; cõmotio, vt etiam vigilãtibus eiuſmodi apparitiones fiant: ſicut in phreneticis & melancholicis patet. Quemadmodum igitur per naturalem humorũ motionẽ hoc agitur, & quandoq; etiam hominis voluntate, voluntarie imaginantis priora viſa; ita etiam idem fieri poteſt boni maliq; angeli virtute: & quandoq; quidem cum alienatione ab exterioribus ſenſibus, quãdoq; etiã ſine ea. Nec tamen prædictis obſtat, quod de ratione phantaſię videtur eſſe motus factus a ſenſu, vt patet in libro de Anima: & ſic videtur ei repugnare, quod fiat per immutationẽ angeli. Dico enim, quod principium phantaſiæ a ſenſu eſt ſecundum actum: non enim imaginari poſſumus, quæ vllo modo non ſenſimus, vel ſecũdum totum, vel ſecundum partem, ceu cęcus natus colores imaginari nequit: aliquãdo tamen actus phantaſiæ mouente diabolo excitatur per impreſsiones prius a ſenſu factas, & ſeruatas interius. Nec ſecundo, quod angelus non poteſt imprimere formas in materiam ſenſibilem, & conſequẽter neq; tranſmutare ſpecies, quæ ſunt in imaginatione, quę ſicut ſpiritualiores, ita nobiliores quoq; ſint oportet. Dico enim, quod angelus imaginationẽ tranſmutat, non quidem imprimendo formam nullo modo prius impreſſam, vel ſenſatam: non enim adducere poſſet cæcum, vt de coloribus haberet phantaſmata: ſed hoc facit per motum localem ſpirituum & humorum. Non obſtat etiam, quod in viſione imaginaria, homo rerũ ſimilitudinibus, quaſi rebus ipſis adhæret, quod eſt decipi,

cipi, & conſequenter hoc ab angelo bono eſſe nequit; conſequenter autem nec a malo. Dico enim quod angelus eiuſmodi viſionem cauſans aliquando etiam intellectum illuminat de viſis, cõſequenter autem nec deceptio incidit: quandoq; vero eius operatione ſolum imaginariæ ſimilitudines apparent: nec tamen ab angelo cauſatur deceptio, ſed ex defectu intellectus eius, cui talia oſtenduntur: ſicut nec Chriſtus deceptionis cauſa fuit, multa turbis in parabolis proponens. Sed contra videtur, quod dęmon hominum ſenſus pręſtigioſis apparitionibus ludificare nequeat. Illa enim forma quæ videtur (vt dum quis aſpicit in aqua, vel in igne, & huiuſmodi, vt dum homo videtur equus) alicubi ſit oportet. Non autem poteſt eſſe in ſenſu, quia ſenſus ſpeciem non habet niſi a rebus acceptam: nec iterum poteſt eſſe in re quę videtur, ſic quod mulier videatur equa, quia duę formæ ſubſtantiales non poſſunt eſſe in eodem: & prętera, res illa videretur talis ab omnibus: nec iterum in aere circunſtante, qui ſuſceptibilis figuræ non eſt, nec ſemper vnus idemque manet circa rem illam, pręcipue quando mouetur. Ergo videtur, quod eiuſmodi ludificationes per dæmones fieri nequeant. Solutio. Formę quæ videntur in præſtigijs, nõ niſi in ſenſu ſunt: quod tamen dupliciter eſſe poteſt opere dæmoniorum. Primo, vt ſpecies, quæ ſunt in theſauro imaginationis ſeruatæ, dæmonis interuentu ad organa ſenſuum defluant, veluti contingit in ſomno, excepto quod ad organa exteriora non attingunt, quia ſunt ligata: vnde quando ſpecies illæ ſenſus exterioris organa contingunt, vniuntur ac ſi eſſent res præſentes extra, & actu ſentirentur. Secundo eſſe poteſt ex immutatione organorum, quibus immutatis fallitur iudicium ſenſus, ſicut patet in eo qui guſtum corruptum tenet, cui omnia videntur amara: quod dæmones facere poſſunt virtute quarumdam rerum naturalium: ſicut ad euaporationem fumi herbæ cuiuſdam, trabes domus ſerpentes videntur, & multa eiuſmodi experimenta inueniuntur.

Ex dictis reddi poſſe rationem omnium, mirandorum effectuum dæmonum, & ſtrigimagarum. C A P. *ultimum epilogans.*

IAM ex dictis ergo epilogando, omnium effectuum maleficorum, ſtrigimagarum, incãtatorum, & eiuſmodi ratio in genere facile reddi poteſt per puncta nonnulla.

Punctum primum. Maleficium a malefaciendo dictum (vt ipſum nomen ſonat) malum alicui illatum, & conſequenter iniuſtũm damnum importat: damnũ enim iuſte illatum nõ eſt malũ ſimpliciter, ſed huic vel illi. Tripliciter ergo maleficium dicitur, primo rerũ damnum

volun-

voluntariũ, & iniuſtũ. Secũdo damnũ perſonæ iniuſtũ, & voluntariũ: ſi enim nocumentum præter propoſitum inferatur (ut quia Iudex ex imperitia male iudicauit, uel e domo aliquid eiectũ eſt quod nocuit) non quidem maleficium, ſed quaſi maleficium eſt. Inſti. de oblig. quæ ex qua. delic. pertotũ. Tertio damnum perſonæ iniuſtũ illatum a diabolo per hominẽ, vel inſtante homine, a quo maleficio vſitatius quis maleficiatus dicitur, ſi patiatur: & maleficus vel malefica, ſi illud dia bolo medio fieri curauit pacto expreſſo, vel tacito incidente. Ad hoc autem tertio modo dictum maleficium ſignũ fœderis inter maleficũ & diabolum pertinet, quod ſignum & ipſum dicitur maleficium, vt infixio gladij, vel gladius infixus infra circulum, plumarum inuolutio, imago cerea acubus confixa, & eiuſmodi. Ad hoc etiam maleficium reducitur omnis diuinatio, & incantatio, & omnis alligatura, vt 26. q. 5. Nec mirum.

2\. Punctum ſecundum. Ad quid ſe diabolica ſapientia extendat, etſi ex dictis patet epilogando, tamen ex diuo Tho. 1. q 64. ar. 1. ad 5. & 2. di. 18. q. 2. ar. 1. & 3. cõtra ca. 154. dico, quod dæmones tripliciter norunt veritatẽ, per naturam, reuelationẽ, & experientiã. Et per experientiã quidem norunt inclinationes hominum, & ſuperandi modum, dicẽte Cypriano, quod diabolus omnia tentandi genera, inſidiaſque deijciẽdi, vſu ipſo uetuſtatis edidicit. Experientia tamen ibi ſumitur improprie & æquiuoce pro notitia rei ſingularis quacunque. Per reuelatiõnem vero cognoſcunt quantum Deo per ſe, uel bonos angelos reuelanti placuerit. Per naturam vero, vt liquet. 1. q. 89. ar. 3. & q. 109. ar. 5. & ueri. q. 2. ar. 4. & 2. contra cap. 97. a principio ſuæ inſtitutionis dæmones ſtatim norunt per ſpecies innatas omnes rerum ſpecies, ſpiritua les & corporales a Deo productas, per quas etiam ſpecies quiſque eorum actu conſiderans naturam ſpeciei ſimul diſtincta cognitione, omnia eius indiuidua nouit, vt ſimul omnes homines qui fuerunt & ſunt, & omnes leones, & ſic de alijs, vt etiam patet 1. q. 57. ar. 2. & 2. di. 3. q. 3. ar. 3. & 2. contra cap. 98. Ex quibus liquet, quod quilibet dæmon etiã minimus, nouit omnes angelos bonos ac malos, & virtutes eorum. & idem de omnibus cælis, & ſtellis ac conſtellationibus, & aſpectibus, & influxibus earum: & de uolucribus, & piſcibus, & beſtijs, & reptilibus, & arboribus, & plantis ac ſeminibus earum, & de lapidibus, metallis, & elementis.

3\. Punctũ tertium. Ad quid uero ſe extendat diabolica poteſtas, quã tum ad motum corporum, etſi ex dictis patet, epilogando tamen & obiter ex diuo Tho. prima. q. 105. ar. 1. & q. 110. ar. 2. & 3. & 4. & q. 114. & q. 117. & 2. di. 7. q. 3. ar. 1. & 3. contra cap. 103. dico tria. Primum. Angeli mali, vt de bonis taceamus, nequeunt naturaliter aliquam

aliquam imprimere formam in aliquod ſuſceptiuum: quod de corporalibus intellige primò, cuiuſmodi ſunt formæ ſubſtantiales, & accidentia corporum: ſecus de ſpiritualibus, quia poſsunt illuſtrare phantaſmata, immo etiam intellectum abſolute, licet non ex ſuppoſitione iniqui ſui finis, licet nō ſit ibi proprie impreſsio luminis, ſed vigoratio: et ſecundo intellige de formis habentibus eſſe per modum quietis; ſecus per modum tranſeuntis, etiam in corporalibus: poſſunt enim mouere localiter, cōſequenter autem illam imprimere formam, ad quam localis motus ſequitur, quæ impreſsio quædam eſt non durans. Secundum. Angelis malis, quantum attinet ad motum localem, omnia corpora inferiora obediunt ad nutum, vt probatur vbi ſupra: ita quod ſicut humana anima ſe habet ad mouendum vnum corpus ſolum ſibi vnitum; ita ſpiritus illi tanquam nobiliores & eleuatiores ſe habēt ad mouendum inferiora omnia, eo excepto, quod terram totam, aut aliud elementū mouere nequeunt: & idem dicit Mal. q. 16. ar. 10. ad 8. quippe hoc eſſet naturæ ordinem euertere; poſſent tamen mouere turrim, aut montem. Sed contra hoc. Nam idem eſt motus glebæ & totius terræ. 4. Phyſic. ergo potēs mouere vnum, poteſt mouere & reliquum. Sol. Negatur conſequentia; quia vnum mobile eſt ei proportionatū, non reliquum. Tertium. Angelus malus naturaliter tanta celeritate moueri poteſt, vt tempore imperceptibili ab oriente in occidentem, & a cælo in terram moueri poſsit, & econtra, nullo medio pertrāſito: cum ſuum moueri ſit ſuum operari: quod eſt ſucceſsio cōtactuum rerū circa quas mouetur, eo ſcilicet modo, quo noſtra imaginatio a Mediolano Pariſios tranſit, non imaginato Lugduno, vt patet. 1. q. 53. poteſt etiam moueri continue, tranſeundo medium. Conſequēter autem poteſt aliquod corpus celerrime deferre, modo illud celeritatē motus patiatur. Ex his vero tribus ſequitur dæmonem poſſe facere quæcūq; locali motu effici poſſunt, aut per motionem virtutum actiuarū, quæ ſunt in tota natura, vt pluuias, ventos, & eiuſmodi: & ſimiliter condenſare aerem, & illum figurare, & in eo apparere in forma viri, aut mulieris, aut beſtiæ, & huiuſmodi, vt experimenta multa, & Sancti docuere.

Punctum quartum. Ad quid vero diabolica poteſtas ſpecialiter circa hominem ſe extendat quantum ad animam, corpus, ſubſtātiam, ac famam, etſi ex dictis iam liquet; epilogando tamen ex diuo Tho. in locis citandis dico multa. Primum. Angelus bonus in noſtrum intellectum naturaliter poteſt imprimere. 2. di. 8. ar. 5. ad ſextum. prima ſec. q. 80. ar. 2. ſec. ſecundæ. q. 172. & 3. contra ca. 154. quod tamen non eſt imprimendo formam vel lumen nouum, ſed noſtrum lumen vigoran

do.ſecundo vbi ſupra, & Veri.q.11.ar.3.ad tertium. Angelus vero malus in noſtrum intellectum nō poteſt imprimere, vt liquet in locis præcitatis: quod tamen non intelligitur abſolute, quippe, cum hoc naturalem proprietatem angelicam conſequatur, bonis & malis angelis congruat oportet: intelligitur autem ex ſuppoſitione ſui iniqui finis, & ſuæ iniquæ voluntatis, vt dictum eſt: poteſt autem malus hominem priuare vſu rationis. prim. ſec. q. 80. ar. 3. quippe qui poteſt humores & ſpiritus omnes hominis ad caput deducere, immo organa ſenſus de capite poſſet auferre, ſi permitteretur. Secundum. Dæmon noſtram poteſt immutare voluntatem, non equidem directe mouendo, verum ſuadendo exterius, & concitando paſsiones. Mal.q.16.art.11. Tertium. Tam boni quam mali angeli agunt poſsibiliter in noſtra phantaſmata applicando ſuum lumen, illaque ordinando. 2.di. 2. & prim. ſec.q.80. art. 3. quod malus quidem angelus non ea intentione facit, vt homo ad intelligendum iuuetur, & illuminetur; ſed vt norit dubitationes percipere, quas diſſoluere nequeat, vt in ſcrupuloſis, aut rectius grupuloſis accidit, qui ſubtiliſsime quidem dubitant, ineptiſsime vero ſoluunt, & dijudicant, nullum pene iudicium in proprijs habentes. Quartum. Dæmones hominem ad peccatum aliquod efficaciſsime, niſi reprimantur, inclinant, operando interius, ſcilicet in phantaſiam & appetitum ſenſitiuum. prim.ſec.q.80.art.2. Mal. q. 16. art. 11. Quod intellige, quia per motum ſpirituum, in quibus ſunt phantaſmata, illa ad imaginationem deducunt, quæ vel alliciant cōcupiſcentiam, vel iraſcibilem concitent: Et inclinare poſſunt intellectum ad iudicandum, & nolentem ad volendum illud, quod ad peccati patrationem conducit. Adde vero, quod exiſtentes in homine ſpiritus mouere poſſunt, & per eos concupiſcentiam excitare. Adde ſimiliter, quód etiam per exteriora ad idem tripliciter inducūt. Primo exterius ſuadendo, ſicut Chriſto tentator affuit in humana forma locuturus, & Sanctis nonnullis in forma iuuencularum blandientium vſque ad barbæ attrectationem, & deteriora itidē. Secundo, aliquid exterius oſtendendo fictum, vt Antonio argenteam mēſam, Moniali lactucā, & adeuntibus ludum eius viros & feminas, & ioca carnalia: aut certe oſtendendo aliquod verum, ceu eccleſiam adeunti procurando occurſum dilectæ feminæ, aut quod aliquid turpe aut videat, aut certe audiat. Tertio, aliquod extrinſecum corpus intromittēdo, quippe qui cū ad nutum poſsit corpora mouere localiter, homine dormiēte, vel alias in ſtomachum noſtrum inferre poteſt quæ iram, aut quæ concupiſcentiam moueant, puta aromata, vinū, tubera, & eiuſmodi. Quintum. Dæmon omnes hominis ſenſus cum interiores, tum exteriores immutare

tare poteſt. 1. q. 111. ar. 3. et 4. Veri. q. 1. ar. 3. q. 12. ar. 8. Pot. q. 6. ar. 3. ad 3. Mal. q. 16. ar. 1. ad 16. Quod intellige ſic, & eo modo, vt etiã homo decipiatur, aliter re apprehenſa quam ſit: quod equidem fieri poſſet multipliciter. Primo ex hoc, quod ex aere corpora format, oſtendens quæ vere non ſunt, ſicut aliquos terruit aliquãdo ſub formã draconis; & Monialis apud Greg. credidit ſe manducare lactucam, & erat corpus aereum. Secundo, applicando per motum localem actiua quædam naturalia, quæ hoc poſſunt, ſicut apud diuum Tho. quędam herba fumigans, trabes facit apparere ſerpentes. Tertio, reducẽdo ſpiritus, qui in homine ſunt ad phantaſiam, & eam ſuo modo immutando: & conſequenter etiam ſenſus, vt de præſtigijs dictum eſt, vt apparet in phreneticis, arrepticijs, & inſanis. Quarto, per aoraſiã vel aoraſiã, quæ cæcitas eſt, qua celantur nobis non omnia, ſed quædam, ſicut oculi diſcipulorũ euntiũ in Emaus tenebantur ne Chriſtum cognoſcerẽt: poteſt enim graphio quod quæris prętendere chartam, aut tabulæ cui inſidet, ſupra ponere aliam ſimilem, in qua non ſit graphiũ: & ſtrigimagæ prætendere formã bouis, & reliqua. Sextũ. Poteſt etiam dæmon in corpus humanũ infirmitates inducere, vt patuit in Iob: quẽ repente vlcere peſſimo toto corpore percuſſit; infirmitates inquã omnes, quę mediq; inferiorum corporum poſſunt inferri: quippe qui omnium eorum virtutes norit, & ea omnia corporibus humanis poſſit admouere. Septimum. Poteſt etiam in facultate nocere, vt patuit in Iob, quẽ ſubito accepta licentia omni facultate priuauit, & res omnes penitus ademit: & itidem nocere poteſt in fama, quippe qui ſumere poteſt humanam ſpeciem, & obloqui, & caſus effingere, in quibus delinquere videamur: ſicut ſub lecto cuiuſdam ſancti viri in forma puellæ latuit, vt ibi inuentus, illum infamiæ notaret: quod & fecit, licet Deus occurrerit.

Punctum quintum. Quid vero cupiat diaboli iniqua voluntas, etſi iam ex dictis liquet: tamen obiter ex diuo Tho. dico multa. Primum. Liberum arbitrium dęmonum in malo firmatum, & obſtinatũ eſt, nec ad bonum regredi aut vult, aut poteſt. Mal. q. 16. ar. 5. Veri. q. 24. ar. 10. vnde omnis motus liberi arbitrij eius eſt inordinatus. Veri. vbi iam. ar. 11. quippe qui in ordine ad ſuum malũ finem vult quæcunq; libere vult, & lethaliter peccat in omni ſua volitione. 1. q. 64. ar. 2. ad quintũ. prim. ſec. q. 89. ar. 4. & 2. di. 7. etſi quem habet naturalẽ voluntatis motum in bonum, illum mala electione deprauat. Secundum. Animas defunctorum ſe eſſe peruerſi dæmones fingunt, vt viuentes ad ſui familiaritatem alliciant, & inde ſeducant. 1. q. 89. ar. 8. ad ſecundũ. q. 117. ar. 4. Mal. q. 16. art. 1. Tertium. Similiter per mendacia, & vanas

 ſuperſti-

ſuperſtitiones aduocati ueniunt, vt homines talia credant. Pot. q. 6. art. 10. ad octauum. Quartum. Et ſimiliter alliciuntur, aut ſe allici fingunt diuerſis generibus herbarum, animalium, carnium, rituum, ut ſignis aliquorum ſibi placentium, nō ut rebus ſibi placentibus. 1. q. 115. art. 5. ad tertium. & Pot. q. 6. art. 10. Quintum. Et ſimiliter ad inuocationem diuinæ uirtutis adueniunt, ne a participatione diuinę iuſtitiæ omnino excluſi uideantur. Pot. q. 6. art. 10. ad quintum. Sextum. Et ſimiliter licet cæleſtibus orbibus non ſint ſubiecti, ſub certa tamen conſtellatione vocati adueniunt, vt vel decipiant, & in errorem inducant humanum genus: vel a ſuperioribus dæmonibus coacti. 1. q. 115. ar. 5. & Pot. q. 6. ar. 10. & Quol. 2. q. 7. Septimū. Et ſimiliter a virginibus vocati veniunt, vt homines in diuinitatis ſuæ opinionē adducant, quaſi munditię ſint amatores. Pot. q. 6. ar. 10. ad quartum. Octauum. Et ſimiliter per necromanticos aduocati & rogati, aut etiam iuſsi, inferiores ſibi dæmones corporibus alligant, puta anulis & gemmis, vel ampullis, & eiuſmodi. 2. quol. q. 2. ar. 1. & quol. 3. q. 1. ar. 1. Quod ideo faciunt, vel quia illos odiunt (eſt enim inter dæmones odium crudele. 1. q. 109. ar. 2. ad ſecundum. 2. diſt. 6. ar. 4. licet in oppugnandis nobis omnes conſentiant & concordent) vel vt necromanticos lucrifaciant: vnde & ſuperiores curant arrepticios, inferiores ab eorum corporibus expellentes, nō tamen ab animabus. 3. q. 43. art 2. ad tertium, quod ſcilicet faciunt eadem ratione, vt eos homines, qui eos ad hoc inuocant, lucrentur, aut alios. Decimum. Et ſimiliter in lunæ augmento, amplius lunaticos vexant, vt lunam infamię notēt, quaſi ſcilicet malam Dei boni creaturam, & rurſus quia tunc lunatici ad patiendum aptiores ſunt. Vndecimum & vltimum. Dæmones omni ingenio & virtute homines a ſalute auertere nitūtur. 16. q. 2. Viſis. & hoc ratione multiplici. Primo quidē, quia vſq; ad iudicij diem in ſummo ſua pœna non eſt, creſcit enim accidentaliter ſemper: tunc vero in ſummo erit, & omnes qui iam in mundo hoc ad noſtrum exercitium verſantur, ad ima profundi detrudentur: vnde iudicium Dei futurum timent: quod quia erit electorum numero completo, omnibus viribus adnituntur ne compleatur; qui tanto tardius cōplebitur, quanto pauciores ſaluantur: ideoq; homines damnari curant. Secundo, quia inuident homini, conſequenter autem de bonis eius cruciantur: vnde, vt dicitur in dicto cap. Viſis. Dæmon ſatis dolet & erubeſcit, claritatem quam in cælo nequit habere, homines conſtantes ex lutea materia tenere in terra. Hæc ibi.

Punctum vltimum. Iam ex dictis in genere ratio dari poteſt, & cauſa omnium mirandorum effectuum damnabilis creaturæ, ſiue angelicæ,

cæ, ſiue etiam humanæ per multa obiter dicta. Primum. Homines diabolici, qui ope dæmonis miranda operantur, omnes cũ diabolo aut expreſſe, aut tacite pacta iniere, vt Auguſt. teſtatur: et expreſſe quidẽ, quando pacti ſunt vt in ſuffragium vocatus adſit, vel quando expreſſa intentione effectum ſui operis a diabolo expectant, ei ſacrificantes, vel thurã ponentes, & eiuſmodi: tacite vero, dum quędam faciunt aut noxia, aut leuia, ad quorum factionem ſatanas operari conſueuit, in quibus effectus non expectatur a Deo, ſed a fortuna, vel diabolo, vel quocunq; modo eueniat. Secundũ. Eiuſmodi effectus vniuerſi, quãtum nunc ſapio, ſaluo iure calculi melioris, ad quinq; reducuntur: & hi ſunt; Aut diuinationes in primis vel præſtigioſe, vel quomodolibet factæ; Aut infirmitates ſecundo & damna; Aut tertio ſanationes; Aut quarto falſæ apparitiones; Aut quinto omnis effectus mirabilis, & iudicio vulgi creaturæ impoſsibilis. Tertium. Quantum vero ad diuinationes attinet, dictum eſt quomodo dæmones poſsint futura aut ſcire, aut etiam docere; præſentia autem occulta nobis omnia norunt, exceptis cordium deliberatis cogitationibus: vnde conſilia principũ, & omnium hominũ, tractatus, & corporũ diſpoſitiones, theſaurosque, & cuncta ſub terra latentia norunt; & breuiter, cogitationibus dumtaxat exceptis, omnia, quæ aut ſunt, aut fuere nouerunt, niſi prohibeantur a Deo. Sicut apud diuum Thomam prohibiti ſunt beatæ Mariæ virginitatem ſcrutari. Et de prædictis omnibus diuinare per certitudinem norunt: & coniecturaliter de his, quæ a præſentibus deriuantur: puta, quod tale bellum erit, vtpote, qui norint regum conſilia, & qualitates: & quod talis vincet, vtpote, qui ſciant militum vires; & de pręſentibus etiã diſtantibus, quia ea norunt, & ſubito nunciant. Quartum. Quantum vero ad morbos & ſanitates attinet, patet quod omnia nociua & proficua remedia dæmon norit, & genus omne medicinæ, ac veneni & nociui; & ea repente a partibus etiam longiſsimis & abditiſsimis afferre, & admouere corporibus, etiã inuiſibiliter, ſiue ſub ſpecie aliena poteſt, & interius per os, aut aliter inferendo, dum homo ſe aut bibere, aut aliud aliquid ſumere putat, medetur. Et hinc eſt quod anus carminatrix, & omnis incãtator morbos mirabiliter etiam a iumentis curat: mirabilis enim eſt medicus iſte, qui ei cooperatur occulte ex pacto tacito vel expreſſo: & idem de ſanatione iudicium eſt: cum oppoſitorum eadem ſit ars & diſciplina. Quintum. Quantum vero attinet ad apparitiones, iam ex dictis pateat, quod per aeris condenſationem poſſunt quã maluerint oculis ſpeciem oſtentare, aut etiã abſcondere, ſpeciem alterius rei prætendendo, veluti abſcondere aureum, ſuperiecta ſpecie papyri, & eiuſmodi: licet interdũ diuina pro-

uidentia eos aliter quam vellent apparere cogat, ſicut Euæ coactus eſt ſerpentis ſpeciē præ ſe ferre, vt vel ſic horreret. Vnde teſte diuo Thoma ſuper Iob, frequenter in beſtiarum figuris viſuntur, quibus eorum vitia Deo volente detegantur, & pateant. Sextum. Quantum vero ad mirandos effectus attinet (cuiuſmodi eſt acus euomere, clauos, pilos, oſſa magna, vel quod plumę ſint ingenioſiſsime conſertę, & huiuſmodi) patet quonam modo fieri queant: quia aut iſta ſunt illuſiones, vt ea videantur, quæ vere non ſunt, ſiue per naturalia actiua admota iſta ſint facta, vel per aoraſiam, aut aëris condenſationem, & colorationem: aut ſi veræ res ſunt, ipſe diabolus locali motu rerum iſta inuiſibiliter effecit, & inde viſibiliter ea pandit, & valde magna per foramen paruum interdum educens: quippe qui ad libitum ea in partes diuidit & reunit, cum eiuſmodi & partes eorū ad nutum localiter moueat, vt ſuperius probatum eſt. Tempeſtates quoq; & procellas omnes aliquorū motu locali poteſt efficere, vt liquet ex dictis.

DE STRIGIMAGARVM DAEMONVMQVE MIRANDIS, LIBER SECVNDVS.

De intellectu capituli Epiſcopi. 26. q. 5. C A P. I.

EXPLETO iam, diuino munere, libro primo, de principijs & cauſis mirandorum, quæ damnatæ creaturæ, dæmones, & ſtrigimagæ operantur; iam ſecundo manum admoueamus tempus vrget, ſpecialius de ſecta ſtrigimagarũ, & actis eius ac remedijs locuturi. In primis autem intellectum capituli Epiſcopi. 26. q. 5. vnde hic paruus codex occaſionem ſumpſit, dare oportet: quod multis punctis fiat neceſſe eſt.

Punctum primum. Verba dicti capituli ad propoſitum noſtrũ opportuna. Illud etiam non eſt omittendum, quod quædam ſceleratæ mulieres retro poſt ſatanam conuerſæ, dęmonum illuſionibus & phãtaſmatibus ſeductæ, credunt ſe & profitentur cũ Diana nocturnis horis dea paganorum, vel cum Herodiade, vel cum innumera multitudine mulierum equitare ſuper quaſdam beſtias, & multarum terrarum ſpacia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire, eiuſque iuſsionibus obedire velut dominæ, & certis noctibus ad eius ſeruitiũ euocari. Sed vtinam hæ ſolæ in ſua perfidia perijſſent, & non multos ſecum ad infidelitatis interitum pertraxiſſent. Nam & innumera multitudo, hac falſa opinione decepta, hæc vera eſſe credunt, & credendo a recta fide deuiant, & errore paganorum inuoluuntur, cum aliquid diuinitatis, aut numinis extra vnum Deum arbitrantur. Quapropter ſacerdotes per eccleſias ſibi commiſſas, populo Dei omni inſtantia prędicare debent, vt nõuerint hæc omnia falſa eſſe, & non a diuino, ſed a maligno ſpiritu talia phantaſmata, mentibus fidelium irrogari arbitramur. Siquidẽ ipſe ſatanas, qui transfigurat ſe in angelum lucis, cum mentem cuiuſq; mulieris ceperit, & hanc per infidelitatẽ ſibi ſubiugauerit, illico transformat ſe in diuerſarum ſpecies perſonarum, atque ſimilitudines, & mentem, quam captiuam tenet, in ſomnijs deludens, modo lęta, modo triſtia; modo cognitas, modo incognitas perſonas oſtendens, per quęq; deuia deducit: & cum ſolus ſpiritus hoc patitur, infidelis, hoc non in animo, ſed in corpore euenire opinatur. Quis enim in ſomnijs, & no-

cturnis viſionibus non extra ſeipſum educitur, & multa videt dormiẽdo, quæ nunquam vigilando viderat? Quis verò tam ſtultus & hebes ſit, qui hæc omnia, quæ in ſolo ſpiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitratur? cum Ezechiel propheta in ſpiritu, non in corpore viderit. & Paulus non audeat dicere ſe raptum in corpore. Omnibus itaque publice anunciandum eſt, quod qui talia credit, & his ſimilia, fidẽ perdit: & qui rectam fidem Chriſti non habet, hic non eſt eius, ſed illius in quem credit, ideſt diaboli. Nam de Domino noſtro ſcriptũ eſt: Omnia per ipſum facta ſunt. Quiſquis ergo credit poſſe fieri aliquã creaturam, aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliã ſpeciem, vel in aliam ſimilitudinẽ, niſi ab ipſo Creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta ſunt, procul dubio infidelis eſt, & pagano deterior; Hæc ibi. Pro quorum notitia illud ſcito, errorem fuiſſe Paganorum, ex hominibus fieri heroas, ſi boni eſſent meriti; alias dæmones, qui eſſent lares, laruæ & manes, vt per Aug. liquet. 8. de ci. de. ca. 11. de quo vide Mal. q. 16. ar. 1. in corpore. Et. 3. contra cap. 106.

Punctum ſecundum. Secta ſtrigarum ſimul & maleficarum (quã ſtrigimagarum diximus) ea non eſt, de qua in dicto cap. Epiſcopi, mentio habetur. Differt enim hæc ab illa. primo quantum ad credere. Nam illa quidem primo credebat, aliquam mulierem (puta aut Dianam, aut Herodiadem) verſam in deam, & conſequenter eſſe ſpiritum bonum, & habere aliquid numinis: & ſecundo ſe vocari, & ſuper beſtias duci ad ſeruitium deæ cuiuſdam: & tertio quod vna creatura ab alio, quam a vero Deo mutaretur in aliam creaturam vel ſpeciem eius, puta, mulier in deam, vel homo in ſpeciem canis; quæ tria in textu patent: & quarto quod talis dea eſſet ſpiritus bonus: quæ quatuor ſunt contra fidem, vt ex littera patet. Secta autem ſtrigimagarum nullũ horum credit, ſed ſpiritum eis apparentem, diabolũ ſcit eſſe, & fatetur: quãquam aut voluptatis gratia, aut deſperatione ei ſe ſubijcit: conſequẽter autem credit illum non eſſe hominem verſum in deam bonam, nec ſe ad alicuius deæ ſeruitium vocari: nec creaturam vnam mutari in aliam deam, aut ſpiritum bonum. Conueniunt tamen quantum ad credere in aliquo: quia & ſtrigimagarũ ſecta aliquãdo deluditur, vel deludi poteſt (ſicut & alij homines) vt credat in corpore fieri quod in ſolo ſpiritu ſit, ideſt imaginatione, vel ſenſu: non tamen illuditur in intellectu, vt in ſequentibus patebit. Differunt ſecundo, quantum ad operari, quia illa non negat expreſſe fidem, aut conculcat crucem, vel abutitur ſacramentis, aut admittit maleficia, vt ſecta ſtrigimagarũ: immo quæ agit, ſub ſpecie & colore boni agit, putans ſpiritui bono deſeruire, vt patet in textu. Conueniũt vero, quia nocte ſolaciãtur ambę cum diabolo vere, licet vna ſcienter, alia non, verum credens eum ſpiritum

ritum bonum. Vnde iſta ſecta non eſt illa: quod etiã tenuerunt duo ſolemniſsimi iuris vtriuſq; doctores, dominus Aug. Boca de Sauiliano in quodã ſuo conſilio, & dominus Io. Graſſus, qui hoc ſuſtinuit Taurini, & ſenſerunt de hac ſtrigimagarum ſecta nihil in ſacris canonibus haberi: quod etiã ſenſit Inno. VIII. qui in bulla (de qua forte infra in principio tertij libri) hanc ſectam nuper exortam aſtruxit; ideſt, circa annum Domini. 1404.

Punctum tertium. Etſi vero hęc & illa ſecta, & in credere, & in operari concordant quoquo modo: non tamen adeo, vt vtraque in dicto cap. Epiſcopi, ſimul damnetur & reprobetur, cum dicitur: Qui talia, & his ſimilia credit, fidem perdit. Nam eiuſmodi ſectæ in tribus aſsimilantur generibus, & in vnoquoque illorum generum ſpecie diſtant, ſcilicet, hæreſis, ſuperſtitionis, & illuſionis. Quantum ad primum enim, & ſi ambæ ſunt in genere hæreſis, ſpecie tamen diſtinguuntur, quippe illa credebat aliquid numinis extra Deum eſſe, vnde eſt hæretica proprie: non autem ſecunda, quia nihil hæreticũ credit; facit tamen quę ſapiunt hæreſim: quippe quæ adorat diabolum, crucem conculcat, fidem negat ore, & ſi non corde: vnde eſt hæretica præſumptiue: quia ei quem diabolum credit, diuinos honores exhibet. Et præterea iſta a fide apoſtatat, cum totum neget, non autem illa, cum expreſſo verbo fidem minime abneget. Quãtum etiam ad genus ſuperſtitionis, quod vtrique commune eſt, differunt ſpecie: quippe illa eſt in ſpecie pythonum, in illis enim dæmon loquebatur, & miranda faciebat: iſta vero cum hoc complectatur, & pene omnem aliam ſpeciem ſuperſtitionis, ſuperaddit maleficiorum crimen: vnde etiam compoſito nomine exprimitur, quamquam etiam non plene. Quantum ad tertium vero, ideſt illuſionem, etiam ſpecie diſcernuntur: quia illuſio illius vſque ad intellectum pertingebat, vt crederet falſa de fide, non autem iſtius (vt dictum eſt) verum potius omnis iſtius illuſio in ſenſu exteriori, vel interiori ſiſtit: qui equidem ſenſus iudicat aliqua eſſe caballos, aut hircos vel alias beſtias, & ſunt dæmones in corporibus aereis, vt eorum iudicat intellectus: & aliqua eorum ſenſus iudicat eſſe viros, aut feminas, & incubi aut ſuccubi dęmones ſunt, & eiuſmodi. Quod autem dicitur de altero ſimilium, non ea ratione qua ſimile, ſed qua diuerſum, de reliquo non procedit, cuiuſmodi eſt illud, & his ſimilia: quia illud de ſecta illa dicitur quantum ad rationem ſpeciei, inquantum extra Deum aliquid numinis credit, in quo ab iſta differt: non autem ratione generis, in quo congruunt ambę. Et ſi inſtetur, hoc dici de locali motione, in qua conueniunt, illud vtique non eſt verum, de quo dic, vt infra puncto ſeptimo.

Punctum quartum. Strigimagas ad diabolicum ludum realiter &

incedere, & deferri poſſe planum eſt. Nam eas incedere poſſe probare ſuperfluum eſt, cum ludus eſt prope: & de facto omnes de quibus in ſecundo cap. primi libri dictum eſt, ſuis pedibus ludum adiere diabolicum: poſſe vero eas a diabolo ferri, iam ex his liquet, quæ libro primo cap. penul. ex philoſophia, & ſacris litteris, ac tractatoribus citata ſunt; & in hoc de poſsibili conſentiunt omnes: quippe angelicis ſpiritibus cum bonis, tum etiam malis, ad nutum, quantum ad motum localem attinet, inferiora corpora obſequuntur, ſecundum Auguſt. & Theologos vniuerſos, eo modo, quo humanæ aut brutali animæ corpora propria obſequuntur, modo non cohibeantur a Deo: Vnde & magi in hoc, opere dæmonum frequenter vtuntur, vt hiſtoriæ docent. Immo dæmones hominem etiam inuitum localiter ferre poſſunt, niſi comprimantur a Deo, ſicut de quodam puero nobili & monacho Pet. Damia. & Vincen. in Spe. refert, lib 26. cap. 63. quod cum veſpere in cella quieuiſſet, mane in piſtrino clauſis ianuis inuentus. requiſitus de negocio, dixit à quibuſdam hominibus ad conuiuium magnum ſe deductum fuiſſe, vbi epularum omnium deliciæ videbantur, qui eum manducare coegerunt, & illum deinde per ſuperiora piſtrino intulerunt. Guilel. quoque in vltima parte de vniuerſo, dæmonem dixit poſſe puerorum tranſlationem facere, vnum pro alio ſupponendo, vel etiam Deo permittente, dæmone puerulí locum tenente. Cuius rei ſignum dixeris, quod eiuſmodi Acheruntinos pueros vix quattuor aut quinque mulieres lactare ſufficerent, ſemper eiulantes, & nunquam pingueſcentes, quod interdum ex blaſphemijs virorum aut vxorum Deo permittente euenit, vt cum dicunt; vellem diabolum potares, & eiuſmodi.

Punctum quintum. De facto vero ad diabolicum ludum ſtrigimagæ, an ſemper, aut nunquam, aut aliquando tantum realiter eant, aut portentur. dico quod interdum realiter ſuis pedibus adeunt ludum, quando eſt prope, vt de omnibus ſupra in primo libro recitatis liquet. Et ſtultum eſt dicere quod iuerint in ſpiritu, cum dicant ſe tali hora iuiſſe, antequam irent dormitum, & rediuiſſe tali: niſi forte dicatur, quod in ſuo ſenſu & vigilia, immo in tortura poſitæ quod ſomniarũt, credãt fuiſſe in re; quod eſt inſanire. Nec eſt verum hoc accidiſſe mulieribus de ſecta alia, de qua in ca. Epiſcopi, vt patebit puncto ſequẽti. Aliquando autem deferuntur in ſpiritu, ideſt phantaſia, & hoc vt ipſę fatentur, tunc eſt, quando perſonaliter adire ludum nolunt; cupiunt tamen ea ſcire, quæ fiunt in illa concione: tunc enim cum certis obſeruationibus dormitum vadunt, ponentes ſe ad latus ſiniſtrum mariti in nomine omnium diabolorum, qui illis oſtendunt quæ fiunt in ludo, aliquãdo quidẽ in ſomno, aliquãdo vero etiã antequam dormiant,

miant: emittũt enim, cooperãte diabolo, vaporẽ glaucũ ex ore, & in eo ope diabolica vidẽt quę in ludo peragũtur. Nã auctores Mallei maleficarũ duo magni viri, maxime magiſter Henri. inſti. qui aduerſus impiũ Antoniũ Roſelli ſcripſit, eiuſq; blaſphemum opus de Monarchia chriſtiana damnauit, ita referũt ſe ab incineratis ſtrigimagis, & a pęnitẽtibus didiciſſe. Aliquãdo etiã ferũtur realiter, alioquin oporteret primo pene infinitos proceſſus inquiſitorum iuridice factos negare, & cõſequẽter iura ipſa. Negare etiam ſecũdo id quod quiſq; homo in ſe experitur, ſcilicet, quod quis quando eſt ĩn ſuo ſenſu inter vigiliam & ſomnum diſcernit: quod ſtrigimagæ non facerent, ſi realiter non ferruntur; cum dicant in vigilia, immo in tormentis, ſe realiter delatas. Negare etiam tertio ſenſum: multa enim circa hoc multi experti ſunt, quæ rationabiliter plus negari nequeunt eſſe in veritate facta; quam me nunc ſcribere: quod vtique poteſt quiſque pro voto negare, dicendo me aut alios illudi præſtigio, vt ſcribere videar, & non ſcribam. Res eſt & ſcripta, & famoſa quam refero, & paulo antequã habitum diui patris Dominici ſumpſerim, expleta. Comi Vicarius ordinarij & Inquiſitor, vel curioſitate, vel quod forte plene ſtrigimagis, quas carceribus detinebant, non credebant, media vna earum ludum, qui non longe aberat, adierunt; & omnia e regione viderunt. Verum omnibus inde licentiatis, dæmon caput ludi fingens ſe eos durante ludo non vidiſſe, repente omnem concionem denuo reuocauit, & illos duos iudices adeo baculis ceciderunt, quod infra quindenam vterque interijt. Sic Deus eorum curioſitatem, & forte alia crimina, permittendo, mulctauit. Deferuntur ergo aliquando realiter & vere, aliquando etiam de die inuiſibiliter. quod vtique diabolus poteſt per modos, de quibus docet Præceptorium Diuie. præcepto primo. cap. 11. q. 1. Vide de hoc quod ſcilicet realiter aliquando ferantur, ſupra libro primo ca. pe. puncto quinto: vide etiam circa finem huius capituli.

Punctum ſextum. Quis autem ſit ſenſus dicti capituli verus, ſic pateat. Primo enim illud ſciendum eſt, quod aliquid eſt vel dicitur mere ſpiritus, vt intellectus, & omnis ſenſus interior, qui non habet organum manifeſte: aliquid mere corpus, vt lapis: aliquid quoque inter hæc medium, vt ſenſus exterior, qui & corpus & ſpiritum ſonat, ideſt organum patens & virtutem animæ, veluti viſus ſonat pupillã, & vim diſcretiuam coloris: Conſequẽter vero ſecundum hæc tria aliquid dicitur dupliciter fieri in corpore, & ſimiliter dupliciter in ſpiritu, ex eo quod factum in ſenſu medio inter illa duo extrema, & in corpore & in ſpiritu fieri quoquo modo dicitur: videlicet eo modo, quo medium vtrumque extremorum dicitur, ad aliud, & aliud relatum, ex quinto Phyſicorum. Color enim viridis ad albedinem

relatus,nigredo ; ad nigredinem vero,albedo eſt. In corpore ergo aliquid dupliciter fieri poteſt : & quidem primo proprie, vt quia extra omnem ſenſum hominis tale aliquid veraciter fit, ceu nūc ego ſcribo, & ſecundo improprie aliquid in corpore fit, ideſt, in ſenſu corporeo, ſeu exteriori,habente ſcilicet organum corporeum patenter & manifeſte,puta in oculo:ſicut ſi ope diabolica oculus meus videat quod aut non eſt,aut non vere eſt : aut etiam naturaliter, ſicut apud diuū Tho. quædam herba fumigans trabes facit apparere ſerpentes. Et ſimiliter duobus modis aliquid in ſpiritu fit, & quidem in primis, quia in intellectu fit, aut ſenſu non corporeo, ideſt nō habente organum corporis manifeſte, vt in imaginatiua virtute : ſecundo vero improprie, ſcilicet quia fit quidem in ſenſu,ſed corporeo, ideſt corporeum habente organum manifeſte,non autē extra ſenſum veraciter. Proprie ergo in corpore fit,quod extra omnem ſenſum fit: proprie etiā in ſpiritu fit,quod in intellectu,aut ſenſu interiore fit:quod vero in ſenſu exteriore fit tāquam in medio,vtroque modo fieri dicitur. Secundo vero notandum eſt,quod delatio mulierum ad Dianæ deæ paganorum,vel alterius famulatum, dupliciter intelligi poteſt eſſe realiter,ſiue in corpore. Primo,ſcilicet,vt quæ ad hoc concurrunt, ſint realia,non omnia,ſed quædam tantum,vt motus,non autem beſtia:et ſic aliquando eſt realis, vt quia realiter quidem feruntur: tamen beſtia nō eſt vera beſtia,ſed verus dæmon apparens beſtia. Et ſecundo,quia omnia ad hoc concurrētia ſunt realia, & ſic nunquam realiter feruntur quando beſtijs feruntur : quia ipſe beſtiæ non ſunt veræ beſtiæ : nec dea ipſa vera dea: ſed iſta fiunt in ſpiritu,ideſt in ſenſu exteriori, & imaginatiua, & in intellectu etiam in caſu cap.Epiſcopi. In caſu vero ſtrigimagarū fiunt in ſenſu & imaginatiua,non autem in intellectu, quia ipſæ ſciūt illas beſtias non eſſe veras beſtias, & perſonam apparentem neque Deum,neque ſpiritum bonum eſſe,ſed diabolū,vt ex earum confeſsionibus liquet: vnde & dictum eſt, quod in illudi in hoc diſtat hoc ſuperſtitioſorum genus ab illo. Sciendum eſt tertio,quod cap.Epiſcopi.ſaluari oportet, cum ſit Concilij Anquirenſis, quod apoſtolica ſede probatum putarim : alioquin quomodo ſacris decretis fuiſſent eius dicta commixta. Quæ etiam dicta ſunt,cū vera ſint,& rationibus ac experimentis probata, & hæc & illa ſic oportet intelligere,vt vera ſint. Hoc vero non ſine magna difficultate fieri poſſe oſtenderunt Canoniſtæ,qui & huic textui gloſſam nō adiecerūt,præter illam paruulam : In corpore,ideſt ſenſu corporeo. & rurſus etiam hodie in capituli huius lectione cæcutiunt,non credētes & proceſsibus, & hiſtorijs, & experimētis, quod diabolus interdum hominem ſpontaneum & inuitum portarit; immo nec philoſophiæ,quæ vtiq; demonſtrāt hoc eſſe poſsibile,vt liquet ſu-

pra

pra ex primo libro. Et hoc totum ideo eis accidat oportet, quia capitulum iſtud non intellectum, ſed creditum quod ſit intellectum, obturat ſenſus eorum, adeo vt Romæ viri peritiſsimi, propter capitulū iſtud contra quendam ſtrigimagum procedere recuſarent, qui ab inquiſitore peritiſsimo & expertiſsimo Fratre Aug. Papienſi ordinis Prædicatorum citatus fugerat, cum nihilominus eſſet propter fugam inchoato proceſſu iudiciatus: & inſuper laboraret infamia huiuſmodi apoſtaſię, probata per teſtes. 14. eſſetq; per teſtes viginti & duos accuſatus, quorum nonnulli eſſent incinerati, & nōnulli pænitentes. Et in cauſa erat capitulum Epiſcopi ſolum: cuius rei gratia cum eſſem ego coniudex, coactus hoc opuſculum cœpi. Sciendum eſt quarto, ſecundum nonnullos etiam peritiſsimos theologos (vt de Scoto & ſequacibus liquet. 4. di. 10. q. 2.) quod vnum corpus diuina virtute poteſt eſſe ſimul & eodem tempore in locis duobus: in vno quidem naturaliter, in alio vero diuina virtute. Quod non ideo dico, quia verum putem: ſed vt intelligant Canoniſtæ, quod ſi peritiſsimus & ſubtiliſsimus doctor ita credere potuit, hominem poſſe diuino opere ſimul eſſe, conſequenter autem ſentire & videre in duobus locis, longe magis in hoc decipi potuere mulieres credulæ, vt virtute creditæ deæ potuerint credere ſe ibi fuiſſe vere & realiter, vbi per ſomnium vel quemcunque raptum eſſe potuerunt. Immō in hanc vſque diem multi fideles in hoc errant, vt putent vel diuū Ambroſium, vel Frontonem, vel alios ſimul alicubi, puta Mediolani aſtitiſſe altari, & eodem tempore virtute Dei interfuiſſe exequijs alibi celebratis pro beato Martino, vel alio. Crediderūt ergo mulierculæ illæ, ſe vere equitare, & veras beſtias ad veram deam, & vera ſeruitia: & ad iſta credebant ſe virtute illius deæ euocari & iuuari, cuius virtute illas beſtias factas exiſtimabant, vt patet in fine capituli, in verbo transformari. Quomodo autem pro tunc ipſæ mulieres in ſe eſſent diſpoſitę, vtrum ſcilicet dormientes, aut raptę extra ſenſus, forte non conſiderabant; quamuis in ſe reuerſæ, norant ſe talia vidiſſe iuuante dea: & conſequēter non eo modo, quo alia videbant extra dicta ſeruitia, & in vigilia poſitæ. Et ex his quidem ſenſus dicti capituli quoquo modo patet; clarius tamen ex ſequenti puncto patebit.

Punctum ſeptimum. Capitulum ergo illud videtur prohibuiſſe, ne quis credat ſtrigimagas realiter diabolico ludo inferri: quippe quod licet de ſtrigimagis non loquatur, ſed de alia ſecta potius, vt mōſtratū eſt: de illa tamen loquitur vt videtur, inquantum habet commune cū iſta credulitatem delationis realis: tamen dico, quod reuera illud non prohibet, nec ex illo cap. niſi ignoranter deduci poteſt. Primo enim nō eſt dubium, quod eo tempore ſtrigimagarum ſecta non erat: quippe quæ ortū habuit circa annos Domini. 1404. tēpore Innocentij VIII. vt pa-

vt patet in bulla,quam idem edidit, infra libro tertio forte recitãdam: Non ergo hoc capitulum loquitur de ſecta ſtrigimagarum in ſpecie, vt liquet: nec in ſimili,quia iſtæ ſectæ in fide, in ſuperſtitione, in illuſione differunt,vt patuit; & ſpecialiter in reali delatione diſſentiunt: quia illę eam a bono ſpiritu & vera dea fieri putabant,ut patet in textu: ſtrigimagæ autem dicũt ſe aut ſuis pedibus ludum adire,aut a malo ſpiritu euehi, unde ab omni uerbo ſancto & ſigno crucis abſtinere docent eos,quos illuc deducere moliuntur. Quando autem aliquæ ſectæ non ſunt eædem, & in aliquo facto non ſunt ſimiles, quod de una in facto illo dicitur, intelligere de alia eſt rude. De conſti. Tranſlato. Secundo.Si ad multorum canoniſtarum mentem,& ad prædictũ ſenſum quod ſtrigimagæ realiter a diabolo non feruntur d.cap.loquitur: quod abſurdũ eſt, irrationabiliter, & uane,ſeu inualide loquitur:tum quia prohiberet credere id quod philoſophice poſsibile eſſe monſtratum eſt,ſcilicet malam intelligentiam poſſe hominem ferre: quid autem ſtultius, quam iubere ne quis credat lupum feciſſe,aut diabolum quod facere poteſt. Tum etiam quia ridendum argumentum eſſet: illę mulierculæ ferebãtur à diabolo in ſpiritu uel phantaſia, ergo nulla mulier à diabolo fertur realiter: & maxime quia utriuſq; ratio probabiliter reddi poteſt,quare ſcilicet illæ in ſpiritu,iſtæ interdum in ſpiritu,interdum realiter feruntur. Illę enim ſub ſpecie famulatus ad bonum ſpiritum decipiebantur, ideoque diabolo expediebat,ut non eſſent uigilantes,quando talia peragebant, ne deprehenderent fallaciã dæmonis: iſtę vero decipiuntur gratia uoluptatum, ideo expedit eidem ut ſint uigilantes, tum ut magis alliciantur uoluptatibus, tum ut grauius peccent. Non enim ſufficit diabolo adorari in ſomno, quando homo nec habet iudicium, nec poteſt habere peccatum: unde iſta in uigilia fieri curat, ut grauiter iſtę peccent & pereant. Tertio. Nam quicquid aliqua lege prohibetur,ex legis ratione prohibetur, quę ſcilicet legiſlatoris intentionem & mentem comprehendit: lex enim nõ eſt aliud quam ratio legis, apud Panor.in cap.fi.de reſcrip. & Cinum ac Bal. & omnes ſcribentes in.l.non dubium.C.de legi.& in.l.ſcire leges.ff.eo.Realitas autem huius delationis quantum attinet ad ſtrigima gas, immo nec quantum ad eas mulieres, de quibus in. d. cap. non reprobatur ex dicti capituli ratione: quod inde patet, quia in hoc ratio illa conſiſtit, quod hi quorum credulitas ibi reprobatur, errore paganorum conuoluuntur, credentium aliquid numinis extra Deum,quaſi animę mortuorum uertantur in deos uirtute non diuina. Non ergo huius delationis realitas credi prohibetur, nec quantum ad ſtrigimagas,neque quantum ad alias mulieres. Quarto. Nam quicquid lege aliqua, maximeque canonica prohibetur, ad rationabilem, non au-

tem ad abſurdum intellectum prohibetur, di.4.cap. Erit autẽ. Sed credulitas realis delationis ſtrigimagarum, quantum ad motum localem, & ſpacia pertranſita duntaxat, reprobari nequit per dictum capitulũ ad rationabilem intellectum: quia ſequitur, quod credentes hiſtorijs, & infinitis proceſsibus inquiſitorum, & experimentis quampluribus ueris & probatis iſtam realitatem comprobantibus, inuoluantur errore paganorum, credendo aliquid numinis extra Deum, & creaturã habere virtutem rerum immutatiuam, & prædicta fieri a bono ſpiritu, & eiuſmodi; quæ omnia abſurda ſunt, vt liquet. Quinto. Nullius ſtatuti Spiritu ſancto editi (cuiuſmodi eſt omne conciliare rite editum, & probatũ) intellectus poteſt eſſe improbabilis & ſtultus. Hoc enim aſſeuerare eſt Spiritum ſanctum blaſphemare. Sed intellectus aliquorũ Canoniſtarum in verbis di.cap. quod ſcilicet ſtrigimagæ non realiter, ſed in ſomno ferantur ad ludum, ſemper eſt improbabilis & ſtultus: quippe qui aliquid aſſerat, quod omnis homo in ſeipſo falſum experitur, hoc ſcilicet, quod ſtrigimagæ ferantur in ſomnis, & quando vigilant credant ſe delatas fore vigilantes & realiter, ſicut aſſerunt etiam in quæſtionibus & cruciatibus: quis enim tam excors eſſe poteſt, vt vigilans inter vigiliam & ſomnum non diſcernat? vt quod ſomniauit credat ſe vidiſſe dum vigilauit eadem ſua naturali virtute: hoc enim phreneticorum eſt proprium. Si dicatur, quod illę ipſę, de quibus in di. cap. Epiſcopi agitur, credebant ſe vidiſſe vigiles, quę ſomniarant: dico non eſſe ſimile, quia illę credebant ſe vidiſſe auxilio deę ad proprium ſeruitium euocantis, quam credebant operari poſſe vt Deus operatur, vnam ſcilicet creaturam in aliam mutando: aut id faciendo quod vna perſona ſimul in duobus locis eſſet, vel qualitercunque diuina virtute id eſſe putabant, vt patet ex textu. Non eſt ergo ille verus intellectus di.cap. Sexto. Si capitulum illud hanc delationem credere prohibet quaſi falſam, ideo hoc eſſe neceſſe eſt, quia hoc non eſt dæmoni aut poſsibile, aut permiſſum, aut certe quia dæmon iſta non vult: quæ enim facere poteſt, & facere permittitur, & facere vult, quis negabit eum actu facere? & conſequẽter ſine errore & peccato credi poſſunt, quia vera. Non eſt vero putãdum tertium, vt ſcilicet mala quę poteſt, & quæ permittitur facere, nolit efficere: conatur enim omnibus modis humanum genus offendere, quibus poteſt. 6.q.2. Viſis. Quod maxime poteſt per iſtam delationem facere, per quam animã delati offendit, ideo ſe ei dantis, vt ſic ad eius ludum feratur voluptatis gratia: necnõ & bonos quoſque, quos etiã diſtantes offendit, & pueros paruos enecat, maxime non baptizatos, dũ ad eos maleficas etiam apertis ianuis quæ firmatæ erant, adducit. Similiter nec primum, ſcilicet quod id nequeat dæmon, vt patet ex dictis libris primo cap. pe. Similiter autem

nec

nec ſecundum, quippe Deus ſi maiora permittit, non eſt ratio quin
& minora permittat: permittit autem Deus maiora, vt quod pueri in-
nocentes occidantur & comedantur, maxime a proprijs parentibus,
potiſsimum fame non laborantibus: vel etiam quod per dęmones pue
ri permutentur in cunis, vt docuit Guil. & quod magi tot facinora ad-
mittant, aut etiam quod boni interdum ſimilia patiantur, immo permi
ſit Chriſtum portari, Mat 6. apud Greg. & Chryſo. Nullo ergo modo
capitulum illud eiuſmodi credere prohibuit. Vellem autem iſtis tam
incredulis interdum eueniret, quod & in agro Comenſi, vbi Epiſco-
pi vicarius, necnon inquiſitor, curioſitate ducti, experiri voluerũt quid
in ludo illo diabolico fiat: & medio ſtrigimagæ, quam captiuam deti-
nebant vſi, ludum adierunt, vbi tot verbera iubente diabolo, & permit
tente Deo, fuſtibus exceperunt, quod vix domum ſe conferre value-
runt, infra quindenam morituri. Ita annales tradunt, vt etiam ſupradi-
ctum eſt. Vide etiam dicta libro primo cap. 14. Adde rem mirabilem,
quam de ſeipſo narrare conſueuit Placentinus quidam, nũc, niſi a bre
ui ſpacio interierit, monachus ſancti Benedicti, congregationis S. Iuſti
næ, dictus dominus Hieronymus. Is puellam in ſæculo diligens, ea po-
titus eſt medio cuiuſdam ſtrigimagę, cui aſſenſit adire ludum diaboli,
quæ vtrumque aſsiſtẽte dæmone ad ludum illum traduxit hoc pacto.
Expoliatus inter manum & brachium ſe certo vnguento liniuit, deſi-
gnans certum characterem, vt docebat illa ſtrigimaga, illaque itidem
fecit: & ſimiliter dicta puella ibidem præſens, & iam ab eo violata, &
ſtatim omnes ſublati ſunt per aperturam tecti: & ipſe quidem ſuper
equo frementi, vt videbatur, & tanta velocitate ad nucem Beneuenti,
ferebantur, vt aer ſciſſus acutiſsimum ſibilum redderet: ibi vero millia
hominum ac mulierum multa fuere, cum exiguo lumine tripudian-
tium. Peracto ludo, per Venetias delatus vt prius domũ redijt, & Ve-
netias ipſas, quas nũquã viderat, notauit, & alia inter media loca eũdo
ac redeundo, & flumina: quę omnia cum nunquam vidiſſet, poſtea vi-
ſa recognouit, & Venetias in primis. Regreſſus domum, expleta libi-
dine in virginem, iamque facinus valde perhorrens, vt forte erat bene
natus, aut diuina pietas miſerata eſt, Epiſcopum ſeu certe vicariũ eius
adiẽs, plene faſſus eſt, & eccleſię ianuis recluſis ſolemniter vapulauit:
& Deo miſerante, religionem ingreſſus, honeſte vixit, & forte etiam
viuit in præſens. Qui in re hac exacte certus eſſe cupit, fratrem Andreã
Genuenſem, nunc obſequijs Beatiſsimi Domini noſtri vacantem, virũ
cum religioſæ vitæ, tum etiam doctrinæ eminentis, interroget. Teſtes
viuos exhibeo. Ad hęc, ne & ludi ipſi diabolici atque ſpęctacula ſom-
nia putentur, aliud quoque referam. Crebro pueri puellæque duode-
cim, aut decem, vel octo annorum, doctrina & cohortatu inquiſitorũ

reſipi-

reſipiſcunt, qui & in tantæ rei miraculum inſtar illius ludi ſaltare iubentur: idque ita faciunt, vt nullus ſapiens negare poſsit, quin altiori quadam arte, & quæ humanam tranſcendat, ſint edocti. Nam cum illæ choreæ per omnia humanis diſsimiles ſint: quod in illis femina poſt dorſum maſculi teneatur, & non antecedendo, ſed retrocedendo ſaltetur: & in fine cum reuerentia præſidenti diabolo ſoluenda eſt, ei terga dantes inclinent caput, non in ante, ſed retro: & pedem non flectāt retro, ſed in ante eleuantes in altum. Id totum vero tanta gratia & venuſtate perficiunt, vt id ſtatim & in pueritia ſit impoſsibile didiciſſe. Siquis vero hęc aut negat, aut dubitat, certus effici poteſt nō modo in agro Comenſi, ac Brixiano, vbi eiuſmodi vigent; verumetiam hic Romæ per fratrem Io. Bapt. de Viquena Priorem Brixianum, necnō fratrem Hiero. de Berthenorio ſocium protolectoris in Gymnaſio magiſtri Thomæ Placentini vicarij noſtri. Id vero ſummopere cupio, vt reuerendiſsimus aliquis ex dominis noſtris Cardinalibus id muneris aſſumat, vt decem ex his puerulis & puellis Romam traduci curet (quod facillimum eſt) quo & vrbi Romæ ſpectaculum grande præbeat, & incredulis velamen grandius auferat cæcitatis. Sed contra arguitur ex verbis dicti capituli. Nam dicit prædicta fieri in ſomnis, & ſolo ſpiritu, inter quæ eſt delatio. Solutio. Dico primo, quod capitulum per exaggerationem loquitur, ſicut & doctores ſancti, veluti Aug. interdum ſic exaggerat cōtra Arrium, vt videatur fauere Sabellio; & eo caſu verba apud doctores nō extendēda, ſed pie exponēda ſunt: & ſic quia frequēter huiuſmodi in ſomnis, & ſpiritu, ideſt imaginatione fiūt, & dicūtur ſimpliciter in ſomno vel ſpiritu fieri, licet aliquādo aliter fiāt. Dico ſecūdo, quod ſemper fiūt in ſomno & ſpiritu, in dicta ſecta, nō autē in ſecta ſtrigimagarum: & differentiæ ratio aſsignata eſt: quia ſcilicet ſub ſpecie boni & ficte diabolus melius decipit in ſomno: ſub ſpecie autē experiendæ voluptatis in vigilia melius. Sed contra reſponſionem. Dicit enim textus, hæc omnia fieri in ſolo ſpiritu: ergo extra ſpiritum non fiunt, & conſequenter ſemper in ſpiritu fiunt. Solutio. Primo quidem textus non loquitur in ſtrigimagis, in quibus ſi loqueretur, diceretur quod omnia fiunt in ſolo ſpiritu quantum ad aliquid, nō quantum ad totum, quod concurrit: feruntur enim realiter quantum ad motum & ſpacium: beſtia tamē, vel aliquid huiuſmodi cōcurrens, eſt in ſolo ſpiritu, ideſt ſenſu interiori vel exteriori, nō autem in ſpiritu, ideſt in intellectu ad quem earum illuſio nō attingit, vt dictum eſt. Si autem textus intenderet omnia hęc quo ad omne concurrens, ſemper in omni ſecta in ſpiritu fieri, irriſorie ex particulari, ideſt, Paulo, & Ezechiele probaret vniuerſale de omni & ſemper. Non intendit ergo textus omnia iſta ſemper in ſpiritu fieri, vel in ſomnis, niſi forte apud

illam ſectam, quia inſufficienter probaret: ſed intendit quod non eſt vera dea, aut vera beſtia, quam iſti vidēt: & aſsignat quomodo in hoc decipi homines aut feminæ potuerunt: quia hoc eſt uidendo in ſomnis & phantaſia, quod poſsibile eſſe probat ex ſomnijs noſtris & uiſionibus Ezechielis, & Pauli. Videatur etiam de hoc cap. ſequenti, ubi quædam argumenta ſoluentur, & ibi etiam puncto tertio. Videatur etiam in calce huius ſecundi libri, ubi forte tractatum Io. Fran. Ponzinibij cribrabimus. Præterea arguitur ſic a quibuſdam. Nam in beati Germani uita legitur expertum fuiſſe contrarium, & ſimiliter alias: quippe mulieres de tali delatione infamatæ, ac proinde obſeruatæ eo tempore quo ſe delatas putarunt, ad latera maritorum iacuiſſe inuentæ ſunt: Sol. Vellem reſponderent mihi iſti ſubtiles argumentatores, qua experiētia conſtat, id quod uiro adiacebat, mulierem potius fuiſſe, quam in mulieris ſpecie dæmonem. Si ergo ſe nihil probare minime uident: cęcutiunt. Sicut autem ibi legitur, quod imaginarie deferantur, ita legitur & alibi quod ferantur realiter plerumque, & crebro. Legant hi (modo placeat) Tho. Brabantinum in eo libro, qui de Apibus inſcribitur, & dę phātaſtica & reali delatione, multa mirāda conſpiciant: Legant & Nider in Præceptorio præcepto primo, & in Formicario, & ſileant.

Eſſe in rerum natura maleficiam. CAP. II.

IAM vero in primis ipſa maleficia (vnde hoc genus hominum magi, ſiue malefici dicuntur) in rerum natura eſſe vel poſſe eſſe monſtremus: non quidem mera naturali ratione vtentes (vt libro primo fecimus, quod etiam infidelibus ſatis eſſet) verum & diuinis litteris, & diuinis tractatoribus quaſi teſtibus vtendum nobis opportune eſt. Hoc autem multis punctis agemus.

Punctum primum. Circa maleficium, ideſt malum illatum a diabolo homini per hominem, vel homini ab homine ſuffragante diabolo, errores extitere. Quidam enim, vt diuus Tho. in 4. di. 34. teſtatur, maleficium nihil in mundo eſſe exiſtimarunt, niſi in exiſtimatione hominum, qui effectus naturales, quorum cauſę occultę erāt, maleficijs imputabant: quod equidem doctrinæ Sanctorum repugnat, qui & dæmones eſſe, & poteſtatem ſupra corpora noſtra & imaginationem habere firmarunt, modo a Deo permittantur: vnde malefici per eos aliqua mira poſſunt efficere, vt etiam primo libro monſtrauimus. Proceditvero, inquit, Tho. hęc opinio ex radice infidelitatis: quia ſcilicet dęmones eſſe non crediderunt, niſi in vulgi æſtimatione tantummodo, vt terrores, quos ſibijpſi facit homo ex ſua æſtimatione dæmoni aſcribantur: & quia etiam ex imaginatione vehementi aliquæ figurę quales co-

les cogitantur,in ſenſu apparent,creduntur dæmones videri, & nō videntur. Sed hæc omnia non vera fides modo, verumetiam vera philoſophia & experientia repellit,quibus dæmones vere eſſe conſtat: & multa poſſe naturæ ſuæ ſubtilitate,quæ nequeunt homines, vt probatum eſt libro primo: eos vero qui eos ad talia inducunt, maleficos dicimus. Rurſus alij dixere maleficos quidem eſſe, maleficiales vero effectus non efficere,ſed cogitare tantum: ac per hoc non vere,ſed imaginarie ad maleficium concurrere: ſic quod effectus maleficiales realiter quidem in maleficiato ſunt,non tamen realiter a malefico fiunt. Rurſus vero alij econtrario concedunt maleficum realiter ad maleficium operari, non tamen reale, ſed phantaſticum. Sumpſerunt vero hi erroneum ex canone fundamentum.26.q.5.Epiſcopi, vbi quod de illis mulieribus phantaſtice fieri dicitur, ad omne maleficium extendi putarunt, & ad idem ex eo moti ſunt, quod ibi dicitur. Qui credit, vel aſſerit creaturam poſſe fieri, aut aliquam creaturam in melius deteriuſue mutari &c.

Punctum ſecundum. Omnes autem eiuſmodi errores per dicta in libro primo falſi patēt, alias etiam per Doctores omnes in 2.di.7.& 8. qui per maleficos cooperante dęmone mira fieri aſtruxerunt:alias etiā eoſdem hæreſim ſapere clarum eſt. Nam de primo ex eo cōſtat, quod dæmones eſſe negat,contra illud verbū Domini.Ite maledicti in ignē æternum,qui paratus eſt diabolo & angelis eius, Matt.25.De alijs vero patet. Primo lex enim diuina crebro mandat maleficos non eſſe viuendos modo,verumetiā occidendos: quod vtique non fieret, niſi realiter cum dæmone ad realia damna & reales effectus cooperari eos verum eſſet. Nam Deut.18.omnes malefici & incantatores iubentur interfici.Et Leui.20.Anima,inquit,quę declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis,ponam faciem meam contra illam, & interficiam eam de medio populi ſui. Dicuntur autem ibi magi ijdē qui & malefici: arioli vero hi ſunt,qui per eſta animaliū dæmoni vel idolo immolatorum diuinabāt. Et iterum ibi.20. Vir vel mulier in quibus pythonicus vel diuinationis fuerit ſpiritus,morte moriantur,lapidibus obruent eos. Et dicuntur pythones hi qui arripiuntur a dæmone,inde per eos diuinante:qui morti addicuntur,quando ex ſua culpa,ſeu ſuo conſenſu arripiuntur: quod aliquando propter quæſtum euenit. Vnde & Paulus Act.16.virgis cæſus eſt, quod curarit pythoniſſam, quæ ſuis queſtū magnū pręſtabat. et Exo.7.idē pateat de magis Pharaonis, qui verſa virga Aaron in colubrū virtute Dei, & ipſi per incantationes ægypriacas & arcana quędā virgas ſuas verterūt in dracones: & paulo poſt etiā aquas verterūt in ſanguinē.Nec eſt modo diſcutiēdum, an dracones illi fuerint veri:quod eſſe potuit dæmonibus ibi veros dracones aſ-

nes afferentibus, aut per actiua naturalia cũ materia propinque diſpoſita admota eos generantibus: aut certe fuere ſpecietenus tantum, & non vere dracones. Quicquid vero dicatur, omnino ibi fuit realis effectus, ideſt, aliquod corpus: quod aut erat, aut videbatur draco. Secundo. Nam quicunque de his, quæ catholicam fidem concernunt, aliter quam Eccleſia Romana ſentit, hæreticus ſit oportet. 24.q.1. Hæc eſt fides. & de hære. Ad abolendam. Prædictos vero opinantes eiuſmodi eſſe nulli dubium eſſe poteſt, vt patet. 24.q.1. in cap. Per ſortiarias. & extra de frigi. & malefi. per totum, & per omnes Doctores cõcorditer diſtinguentes de maleficio perpetuo & temporali, nunquam difficultantes, an ſit verum, aut phantaſticum: vt Hoſt. Godo. Ray. & vniuerſi Theologi, ac Canoniſtę: & ſimiliter per omnia iura, & per omnes doctores de pœna maleficorum tam ſubtiliter diſputantes, & diſtinguentes, vt ſi ſit notorium crimen, Euchariſtia negetur; ſi occultũ, dierum quadraginta pęna multetur, De conſ. di. 2. Pro dilectione. Item ſi ſit laicus, excommunicetur; ſi clericus, deponatur monaſterio intrudendus. 26.q.5. Non oportet. & quod tales infames cenſeantur, & qui ad eos concurrunt, nec ad accuſationem admittendi. 2.q.8. Quiſquis. Tertio. Nam ſi dicti errores nõ ſapiunt hæreſim, quilibet poſſet credere, maleficia non eſſe veros & reales effectus, & conſequenter non poſſe humana lege grauiſsime & capitaliter plecti: quia propter opiniones aut phantaſias lex humana non occidit. Sed hoc falſum eſſe nulli dubium eſſe poteſt: quippe Azo in Sum. ſuper libro. 9. Codicis, rubr. de maleficijs. l. poſt corneliã, de ſicarijs & homicidis dicit, Omnes, quos vulgus maleficos dicit, & qui diuinandi artem norunt, ſecundũ ciuilia iura pęnã capitalem merẽtur vt l. Nemo. C. de male. & l. Culpa. l. Nullus vbi diuinatores excapitantur: & qui arte magica vitæ innocentiũ inſidiantur, vel mulierum animos ad libidinem flectunt, beſtijs obijciuntur: vt ibi. l. Multi. & ad eorum accuſationem admittitur quiſque, vt ibi: ſicut & ſecundũ canones de hære. In fauorẽ, libro ſexto, & eorũ quiſq; nulla dignitate obſtante quæſtionibus ſubijcitur: & ſi fatentur, excruciantur vngulis. vbi ſupra. l. Si ex. Nunc tamẽ malefici cremãtur forte propter ſexum femineũ: Immo ibi dicitur, quod tales ad alterius limen accedere non permittantur, alioquin cremantur: & qui eos aut conſulit aut ſuſcipit, deportatur, & bona confiſcantur. Ex dicto autem cap. male intellecto, ſuſcepere fomenta errores eiuſmodi, vt monſtratũ eſt, & ſtatim monſtrabitur. Etſi vero hæreſim ſapit negare diaboli maleficium eſſe, non tamen ſapit hæreſim negare maleficium eſſe per hoc vel illud genus hominum, puta ſtrigimagarum: ita credo, quamquam de hoc multa dici potuiſſent. Quod vero & magi, & magæ ſine numero ſint, teſtes ſunt populi, qui gregatim horũ maleficia patiũtur:

teſtes etiam ſunt libri, de his pleni, ut patet per Io. Nider præcepto primo, & Bedam de geſtis Anglorum, & Guil. de uniuerſo, & librum de apibus, & Malleum maleficarum: in quo eius authores inter cætera ſic referunt. Quidã nobilis Comes in confinibus diœceſis Argentinę, ducta in uxorem iuuencula æque nobili, ad tres annos poſt nuptias cognoſcere nequit, maleficio præpeditus (vt patebit) fruſtra inuocans omnes Sanctos; immo non fruſtra: quia remedium ei allatum eſt. Cum vero alicuius rei gratia ciuitatem Metenſem intraſſet, uallatus familia, mulierem olim concubinam ſuam offendens, eam blãde ex antiqua amicitia ſalutauit, nihil de maleficio, quod patiebatur aduertens, quæ cernens Comitis pietatem, econuerſo eum ſalutauit, & diligenter quomodo cum Comite ageretur inquiſiuit, necnon cũ Comitiſſa: quo reſpondentẽ, ꝙ Dei gratia bene, & ꝙ tres filios ſingulos ſingulis annis ex Comitiſſa genuiſſet, effinxit: illa ſtupefacta ſiluit, cui Comes amplius blandus; Oro, inquit chariſsima, quare ſic diligẽter interrogas, indices. Tunc illa: uere (inquit) congratulor, ſed maledicatur illa vetula, quæ obtulit ſe vos circa actum carnalem maleficiare, in cuius ſignum in medio curiæ ueſtræ in fundo talis putei eſt olla res maleficiales continens, ut quãdiu ibi eſt, coire cum Comitiſſa nequeatis: ſed ecce omnia uana ſunt, de quibus gaudeo. Ita autem eſſe Comes inuenit, & omnia igne abſumpſit. vnde Comitiſſa nouiter nuptiis celebratis, iam affirmauit ſe dominam illius caſtri, quæ tandiu virgo permanſerat: quod & factum eſt. Noluerunt autem iſti, & rectę quidem, caſtrum, aut Comitem nomine proprio ſignare.

Punctum tertium. Nec priori puncto quo maleficos & maleficia fore monſtrauimus, obſtare poteſt primo ca. Epiſcopi. 26. q. 5. vbi dicitur, ꝙ a ſolo Deo creatura mutatur in deterius: Qui, inquit, credit poſſe fieri aliquam creaturam aut in melius, aut in deterius, aut transformari in aliam ſpeciem, uel in aliam ſimilitudinem, niſi ab ipſo creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta ſunt, proculdubio infidelis eſt, & pagano deterior. Non obſtat, inquam, quia hoc capitulum, vt dictum eſt, per exaggerationem loquitur: & eius dicta conſequenter pie interpretanda ſunt, alioquin ſunt contra ſcripturam. Quod. n. dicitur poſſe fieri aliquam creaturam &c. intelligitur per creationem, non per generationem ex actiuis naturalibus factam, etiam dæmonibus admouentibus: alioquin contra ſcripturam eſt, quia per magos virtute dæmonũ poſſunt fieri aliquæ creaturæ imperfectæ: qa Exo. 7. magi Pharaonis Iãnes. ſ. & Mambres ſerpentes & ſanguinem fecerũt: ubi glo. dicit, ꝙ cum per dæmones malefici aliquid per incantationes efficere conantur, per mundum diſcurrunt, & colligunt ſemina diuerſa, ex quorum adaptatione prorumpere poſſunt ſpecies diuerſę. Et

hoc

hoc non eſt dubium apud Alber.de animal. & Tho.in prima.q. 114. ar.4.Quod vero ibi dicit in melius deteriuſve mutari, primò quidē ibi accipitur melius & deterius non aduerbialiter, ſed vt ſunt nomina: vt ſit ſenſus, ꝙ vna creatura ſine Deo mutari nequit in aliam aut nobiliorem, aut viliorem: ſecundo vero ſi aduerbialiter ſumatur a Deo ſolo, hoc fieri poteſt authoritatiue, & ad correctionem, alias multos ſcripturarum paſſus euertit: quia dæmon Iob mutabat in deterius percutiens vlcere peſsimo. Item dęmon hominē priuauerat loquela, Mat.9. & curatus a Domino locutus eſt mutus, & filia Chananææ male a dęmonio vexabatur, Matth.15. itē lunaticus male patiebaī ſcilicet a dęmone, Math.17. & alia multa eiuſmodi ex diuinis litteris liquēt: & idē clare patet in cap. Nec mirum. 26. q.5. vbi non modo hominibus per magos nocet malus dæmon, uerum etiam mortem infert. Quod vero ibi tertio dicitur, in aliam ſpeciem uel ſimilitudinem transformari, intelligere oportet de transformatione reali & eſſentiali, non de prę-ſtigioſa: hoc enim eſt contra rationem, vt libro primo oſtenſum eſt: & contra Aug.28.de ci.ca.17. & contra ſcripturas: quia angeli ſub diuerſis ſpeciebus ſe oſtendunt, & conſequenter ſub alia: dæmon autem transfigurat ſe in angelū lucis, & conſequenter & ipſe videtur, & alia oſtendit ſub ſpecie aliena: Quod etiam patet Gen.2. cum Euam ſub ſerpentina effigie decepit. Non obſtat ſecundo, quòd ſi dæmon cum locali motu poſſet etiam corporales tranſmutationes efficere, poſſet vniuerſum genus hominum perimere: dico enim ex Petro de Taran. quod utiq; eum perimeret ex magna inuidia, qua aduerſus hominem concitatur, ſi permitteret Deus. Nec tertio, ꝙ dæmon cæli motum, in quem omnis corporea mutatio reſoluitur, uariare non poteſt, ſecundū Diony. in epi.ad Policar. quippe quod ſolius Dei eſt, & conſequenter corpora alterare nequit: dico enim ꝙ utique hoc infert, ꝙ dæmon hoc immediate nequit, ſecus mediante locali admotione actiuorum naturalium, quæ tamen admotio in cæli motum nō reducitur, cum ex eius voluntate procedat, vt libro primo oſtenſum eſt, quam ſuperiorē cęli motu eſſe oportet. Nec quarto, ꝙ ſi eſſet maleficium diaboli nocens creaturę Dei, opus diaboli videretur fortius opere Dei. Dico.n.hoc eſſe rude argumentum, quia dicere opus, ideſt, effectum diaboli eſſe fortius opere, ſiue effectu Dei, eſt dicere ꝙ vna creatura præualet contra aliam per uirtutem quam habet à Deo ipſo permittente, quod non eſt incōgruum: ſi vero per opus intelligatur actio, illud non ſequitur: quia Deus ſua actione ſtatim poſſet annihilare diabolum.

Punctum quartum. Ad maleficium ſeu maleficialem effectum in eccleſia ſemper & dæmon, & maleficus concurrunt. Patet id primo ex deſcriptione maleficiorum per Iſido.etymol.lib.8.cap.9. Malefici,

inquit,

inquit,dicũtur ob facinorũ magnitudinẽ: mala ſcilicet præ cũctis maleſactoribus efficientes. Hi elementa concutiunt,opere ſcilicet dæmoniorum ad grandines & tempeſtates concitandas; mentes hominum turbant, intellige ad amentiam, odium, & amorem turpem: ac ſine vllo veneni hauſtu, violentia tantum carminis animas interimunt,intellige ad eorum uerba ſpiritu malo cooperante. Item Auguſt.de ciui. Dei, & habetur.26.q.5.Nec mirũ.Magi ſunt,inquit,qui vulgo dicũtur malefici, & ob facinorum magnitudinem ſic nuncupantur. Hi ſunt qui permiſſu Dei elementa concutiunt, hominum turbant mentes minus confidentium in Deo, ac ſine vllo veneni hauſtu uiolentia tãtum carminis interimunt homines; Vnde & Lucanus. Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni, Incantata perit: dæmonibus enim accitis audent ventilare, vt quoſcunque ſuos perimant malis artibus inimicos. Ex quibus patet propoſitum. Secundo. Nam id patet per omnia, quibus ſupra libro primo, magorum opera a mala etiam intelligentia procedere: quæ enim per diabolum ſolum fiunt mala, hominibus non dicimus maleficia, ſicut nec Iob vlceratum maleficiatum conſueuimus dicere. Similiter nec maleficia conſueuimus dicere, quæ ab homine homini iniuſte mala inferuntur: ſic vt hi maleficiati dicantur,vt vulnerati: etiã ſi fiat diabolo ſuadente, modo non fiant eo cooperante.Concurrit ergo dæmon & magus. Tertio. Nam effectus pœnales & noxii, qui a voluntate proficiſcuntur,multiplices ſunt, & in primis qui ſunt per angelum bonum, ut decem plagæ ægypti,de quibus in Exodo: Et peſtilentia dierum trium tempore Dauid,de qua primi Par. 21. Et de cæde octoginta duorum millium hominum tempore Senacherib, de qua Reg. 4. capit. 19. Deinde vero qui ſunt per angelos malos tantum, de quibus in Pſal.77. Immiſsiones per angelos malos, ſecundum quas populus Iſraeliticus crebro, vt nonnullis placet,cæſus eſt, & Iob vlceratus, & bonis ſpoliatus. Similiter & qui per homines malos tantum ſunt, vt vulnera, & rerum iacturæ: Similiter & qui per utrunque, & qui per ſortiarias,& eiuſmodi diabolicos homines. Sed horum effectuum nullum dicimus maleficiũ, ſic quod patiens homo maleficiatus dicatur,niſi vltimum:qđ ex conſuetudine noſtri idiomatis patet. Vnde nec etiam ipſi arrepticii maleficiati dicti ſunt,niſi cum dęmone concurrerit homo, vt ad pactum & preces incãtatoris diabolus hominem uexet. Vnde maleficia a Zoroaſte originem ſumpſerunt, qui primus artes magicas mundo intulit apud omnes, maxime vero Aug.de ciui. dei, qui & diabolico opere naſcendo riſit, quiq; dicitur fuiſſe Cham filius Noe. Quare autẽ dictũ ſit in eccleſia, dico qđ effectũ,quem diximus maleficialem,inter infideles circa matrimonium diabolus aliquando ſolus facit: ſicut narrat Petrus de Pal. in.4.

in 4.de iuuene quodam, qui vxorem cognoſcere non poterat, ꝙ idolum deſponſaſſet prius, & propterea diabolus in corpore aſſumpto ſe interponebat: non autem in eccleſia; cuius rationem dixerim, quia infideles diabolus quaſi ſuo iure poſsidens, non vtitur eis in eiuſmodi, vt eos peccantes lucretur, quod in fidelibus facit: in ſanctificatis enim diaboli tentamenta craſſantur, ſecũdum Remigium. Vnde nec Iudæi nunc cum iam eorum eſt certa damnatio, de idolatria tentantur ut prius. & idem ſuo modo de Gentilibus eſt. Vnde maleficis dæmones vtuntur perditionis eorũ gratia, cũ ſoli eiuſmodi poſſent efficere.

Punctum quintum. Nec tamen huiuſmodi effectus maleficiales probantur ſufficienter per ſolos dæmones, aut ſolos malos homines fieri. Primo ꝑ illud qđ Aug. dicit in lib. 83. q. Omnia ſcilicet noxia quæ viſibiliter fiunt, etiam per inferiores poteſtates aeris fieri poſſe creduntur. Non enim negamus quin noxiales effectus, qui in hominibus & iumentis ac bonis fortunæ hominum cernuntur, a dæmonibus Deo permittente poſsint inferri: dicente eodem Aug. 4. de ciui. dei, ꝙ dæmonibus ſubſunt ignis & aer quantum eis a Deo permittitur: dicẽte etiã glo. ſuper illud Pſal. 77. Immiſsiones per angelos malos, quod per malos angelos Deus punit: ſed dicimus huiuſmodi effectus non dici maleficia, niſi concurrente homine malefico. Nec probatur idem ſecundo per id, quod uirtus dæmone inferior, & grandines inducere, & morbos inferre poteſt ſine ſuperiore: dicente Alb. de rerum proprie. quod ſaluia putrefacta modo ibi tacto in fontẽ proiecta, mirabiles concitat tempeſtates, & homo per uenenum hominẽ interimit: & conſequenter uidetur diabolus iſta ſine homine poſſe. Dico enim, ꝙ utique iſta poteſt diabolus, & ſimiliter ſaluia, ſed non niſi cęlo cõfluente: verum iſta non dicuntur maleficia, niſi a dæmone effectiue, & ab homine diſpoſitiue, & precatiue fiant. Nec tertio probatur idẽ, ex eo quod mulier, & maxime vetula, magnæ malitiæ hominem ſine dęmone faſcinat, maxime puerulũ Gal. 4. O inſenſati Galatę, quis uos faſcinauit? Dico enim, quod faſcinatio non plus eſt maleficiũ, ꝙ peſtis, vel epidimia ex contagione contracta: utrunq; enim eſt effectus naturalis, vt per ea patet, quæ primo libro dicta ſunt, & quæ de baſiliſco dicuntur. Baſiliſcus enim primo uidens hominem interimit, primo viſus ab homine aliquando interimitur. Videns enim hominem, excitatur in corpore eius uenenoſa materia, quæ oculos, conſequenter autẽ & cõtiguum aerem ad hominem uſque inficit, & occidit: uiſus autem primo ab homine volente occidere, & qui ideo ſpeculis ſe muniuit, poſtquam ad ſpecula infectus aer attigerit, reflectitur ad baſiliſcum uſque, & proprio veneno baſiliſcus occumbit.

Eſſe in rerum natura ſtrigas aut lamias. CAP. III.

QVIA magos, ſeu maleficos eſſe monſtratum eſt, reliquum eſt, vt ſtrigas quoque eſſe monſtremus: quo nomine ſectam quandam intelligi volo malorum cum virorum, tum vel in primis mulierum, habentium pacta expreſſa cum diabolo, ea præcipue ratione, ut interuenientibus incubis & ſuccubis dæmonibus uoluptate uenerea fruantur, nocte maxime. Quod equidem multis punctis efficiemus.

Punctum primum. Cum non poſsimus hoc genus hominum eſſe monſtrare, niſi de operibus dęmonum per magos, & cum magis multa conſeramus, expedit ex dictis in primo libro, & dictis doctorum in 2. diſt. 5. 6. & 7. multa obiter recapitulari. Omnia igitur opera ſua per intellectum voluntatemque dæmon exequitur, quas vires & naturalia cuncta integra & perlucida poſsidet, adeo vt circa rerum creatarum notitiam non fallatur, niſi forte in ordine ad ſupernaturalia iudicet. Triplici autem ſcientiæ viget acumine, ex ſubtilitate ſcilicet naturæ, experientia temporis, & reuelatione bonorum ſpirituum, non illuminando, ſed loquendo facta: Vnde & hominum affectus corporęos, & complexiones, & ſyderum effluxus in eos pleniſsime nouit: ex quo pariter ſciũt iniqui dęmones aliquos ad maleficia eſſe aliquibus aptiores; quos etiam & præcipue ad eiuſmodi ſollicitant & infeſtant. Habent autem voluntatem ſic malo, & culpę hęrẽtem, vt inde auelli nequeant: & cum ſemper actu intelligãt, & velint, ſemper actu peccãt, aut ſuperbia, aut inuidia & furore, quo ferre nequit ſatanas, quod eo Deus contra eius voluntatem, ad ſuam gloriam ſalutemque humani generis vtatur. Ex his vero duobus intellectu, ſcilicet in ſpeculatiuis, & voluntate peſsima, miranda & poteſt, & vult efficere: adeo (vt dicitur Iob. 41.) vt non ſit ſuper terram poteſtas, quæ illi valeat comparari, qui factus eſt vt neminem timeret. Vbi gloſſa: Etſi neminem timet, meritis tamen Sanctorum ſubiacet. Qua poteſtate fit, vt cuncta inferiora corpora mouere poſsit ad nutum localiter per ſe ſolum: medio vero alio corpore, poſsit ea etiam accidẽtaliter & ſubſtantialiter de forma in formam mutare, varias ſpecies effingere, & ſub qua placuerit ſe oculis noſtris ingerere: quinimmo & ſenſus noſtros omnes ludificare, & immutare interius, & exterius poteſt: immo ipſum intellectum & voluntatem quoquo modo indirecte attingere. Sunt etiam ſpiritus nõ ex natura, ſed ex voluntate immundi: quippe quibus apud Dionyſium inſit furor irrationalis, amens cõcupiſcentia, phantaſia proterua; quæ tamen ſunt metaphorice dicta, & quantum ad eorum ſpiritualia crimina ſuperbiam, inuidiam, & iram; Conſequenter autem ſunt ma-

ximi humani generis inimici, & nocendi cupientiſsimi, ſemper in frau de noui, immutantes ſenſus, & affectum pro viribus inquinãtes, ac inflãmantes in malum: qui & vigilantes turbent, inquietent vero dormientes, morbos inferant, concitent tempeſtates, & ſub boni forma ac ſpecie deludant: verſi in ſpeciem angeli lucis, a maleficis diuinum cultum appetunt, exigunt, extorquent, magicis artibus fauent, quæ & eorum auxilio ſunt inuentæ: bonis ſemper inſidiantur, bonos infeſtant, maximeque in morte, in vitia omnia pro viribus trahunt, maximeque in luxuriam: licetq; multas habeant artes, & mille nocendi modos. 16. q. 2. Viſis, tamen (vt dicitur Iob. penul.) Fortitudo eius in lumbis eius, idest in luxuria, quæ in maſculis ex lumbis proficiſcitur, vnde ſperma deciditur, ſicut feminis ex vmbilico: per hoc enim peccatum infinitos illaqueat, maxime vero ſtrigimagas, quæ ideo ſeſe diabolo tradunt, vt cum eo luxurientur.

Punctum ſecundum. Dæmones incubos, ideſt in forma viri cum mulieribus coeuntes, & ſuccubos, ideſt viris ſe in forma ſuppoſitæ mulieris exhibentes eſſe negantes, catholice non loquuntur. Qui enim negant eos poſſe eſſe, etiam philoſophice non loquuntur: quia phyſicis rationibus libro primo oſtendimus dæmones poſſe in varijs formis apparere. Qui vero eos poſſe quidem eſſe aſtruunt, negant vero ita eſſe de facto, contra dicta Sanctorum loquuntur, & poetarum, & contra experientiam. Nam Auguſt. 3. lib. de Ciu. Dei cap. 2. in ordine ad fabulas poetarum tractans, an ex dęmone ſuccubo naſci poſsit homo, videtur indiſcuſſum relinquere, cum tamen certum ſit, quod non: quia non habet dæmon quæ neceſſaria ſunt feminæ ad procreandum: vnde dicit. Vtrum potuerit Venus ex concubitu Anchiſæ Aeneam parere, in medio relinquamus: Poſtea vero cap. 5. quantum ad progreſſum ſcripturarum ex vera muliere & dęmone incubo poſſe naſci gigantes determinat, & verum eſt: quia quod ex parte viri eſt, incubo non deeſt: cum poſsit verum ſperma ab homine, qui polluitur, ſumptum, infundere mulieri: vnde ait. Creberrima fama eſt, multiq; ſe expertos, vel ab eis qui experti erant, de quorum fide dubitandum non eſt, ſe audiſſe confirmant; ſiluanos & faunos, quos vulgus incubos vocat, improbos extitiſſe mulieribus, ac earum appetiſſe ac peregiſſe concubitum: & quoſdam dæmones, quos Duſios galli nuncupãt, aſsidue hanc immunditiam & tentare, & efficere plures, taleſque aſſeuerant, vt hoc negare impudentiæ videatur. Hæc ille: Qui deinde ibi determinat, quod illud Gen. 6. Videntes filij Dei, ideſt filij Seth, filias hominum, ideſt filias Cayn, non intelligitur de incubis ſolum. Praeterea ibidem gloſſa ait: Non eſt incredibile, non ab hominibus, ſed ab angelis, vel quibuſdam dęmonibus, qui mulieribus ſunt improbi, eiuſ-

modi

modi homines,ideſt gigantes eſſe procreatos, de quibus in littera dicitur: Gigantes autem erant ſuper terram. Et ad idem eſt gloſſa.Iſa.13. ibi:Et piloſi ibi ſaltabũt:Et Iſa.34.ſuper illo:Occurrẽt dæmonia.Et.1. Cor.11. ſuper illo, Propter angelos.Præterea Iſido. in libro 8.Etym. cap. vltimo dicit. Piloſi, qui græce,paniſci,latine incubi appellantur. Vnde & incubi dicuntur ab incubando,hoc eſt ſtuprando:ſæpe enim improbi exiſtunt mulieribus, & earum peragunt concubitum. Quos dæmones galli Duſios nuncupãt,quia aſsidue hanc peragunt immunditiam. Quem autem vulgo incubonem vocant, hunc, vt ſupra tactum eſt,Romani faunum ficarium dicũt:ad quem Horatius 3. Carm. ode 18. dixit. Faune nympharum fugientium amator. Per meos fines, & aprica rura. Lenis incedas. Ad idem eſt Beda in geſtis Anglorum, & Guil. in libro de vniuerſo, parte vltima, & communis theologorum ſchola in 2. Sentent. vbi ſupra: Et ſpecialiter doctor Sanctus prima parte. q. 51. 3. ad ſextum. & quol.7.q.10. & ſuper Iſa. & in 2. diſtin.8.art.4.q.2. reddit rationem,quare inde poſsint procreari gigantes,quia ſcilicet dæmones nouerunt virtutem ſeminis ab homine deciſi, & proportionem mulieris, cui illud inferunt: & occurrentes conſtellationes ad hoc iuuantes, ſub quibus infunditur. Nec tamen eiuſmodi fœda exercitia dæmones frequentant, quia voluptatibus eiuſmodi afficiantur: Spiritus enim carnem, & oſſa non habet; cæterum ideo vt homines animo & corpore maculentur, & pereant.

Punctum tertium. Nec his quibus aſſertum eſt per dæmones incubos poſſe homines generari, repugnat primo, quod humanæ generationis modus a Deo inſtitutus eſt, vt ſit per marem & feminam, Geneſis 1. Dico enim, quod quia Deus rationalem creaturam modo ei congruo regit & gubernat, ideſt, cum libertate arbitrij, multotiens permittit eam aduerſus ſua inſtituta operari, & hominem fornicari, & dæmonem generare hominem per modum prædictum: qui tamen non dæmonis, ſed viri, a quo ſemen, quo dæmon vtitur, deciſum eſt, filius ſit: Sicut etiam ſacramentum matrimonij a Deo inſtitutum per diabolica maleficia vitiari poteſt, vt probatum eſt. Nec tamen opus diaboli fortius eſt opere Dei: quia illud non vitiat per violentiã, ſed Deo permittente, de quo etiam ſupra dictum eſt. Non obſtat ſecundo, quod procreare hominem ſit actus viui corporis,quo vtique dæmon careat oportet, vt probatum eſt. Dico enim,quód eo caſu homo ab homine viuente procreatur,a quo ſemen deciditur: dæmon tamen ibi habet localem motũ,quo ſemen admouet mulieri, ſicut ignis cibum excoquit.quẽ tamen admouet coquus,quod vtiq; dæmon facere poteſt multipliciter. Primo,excipiendo ſemen reſolutum ab homine in ſomno, aut vigilia:ſecũdo exhibẽdo ſe ſuccubũ viro, & excepto

 ab eo

ab eo ſemine,illud ſub forma incubi exhibendo mulieri,vel alteri dæmoni,qui eidem incubus fiat,& eiuſmodi. Semen ſecundo modo reſolutum eſt vigoroſius, natura enim magis in coitu nititur ad præſentiã feminæ, quam alias: poteſt etiam per dæmonem naturalibus actiuis conſeruari,foueri, & roborari. Cum autem dæmon ſemen & excipere,& infundere inuiſibiliter poſsit,libentius hoc viſibiliter, aut ſaltem ſenſibiliter facit,vt vel ſic homines magis concitentur in libidinem,& maculentur. Dixi vero,aut ſenſibiliter: quia plerumque dæmones in tenebris exhibent ſe incubos etiam perſonis deuotis,Deo permittẽte: & hoc expertum eſt.Immo viri aut mulieres,quæ ſic tentari adeo permittuntur,vt ad latus ſentiant apparenter maſculum, aut feminam, ſi boni ſunt, non niſi optimi, & fortiſsimi eſſe queunt: neq; enim Deus militi imbecilli,tam vehementem tentationem inferri ſineret,qui tentari nos ſupra vires non permittit. Quod vero dæmon viro ſuccubus ſperma tradit alteri,qui fiat incubus, ratio reddi poteſt,vt quiſque dæmonum aliquid operetur ad malũ,& ſuo principi famuletur,dũ vnus ſuccumbit viro,mulieri vero alter incubit. Non obſtat tertio, quod ſicut anima noſtra, ita & dæmon videtur nihil poſſe mouere localiter, niſi corpus a ſe viuificatum: aridum enim digitum non mouet anima, & conſequenter cum ſemen non viuificet, illud nequit localiter admouere mulieri. Dico enim, quod ratio non ſequitur: quia iſta ideo contingunt, quod anima ſit ſpiritus intellectualis, infimus, & corpori naturaliter vnitus, & conſequenter ad illud mouendum naturaliter limitatur. Angelus vero non ſic limitatur ad vnum corpus, quia nulli naturaliter vnitur: & cum naturæ ordine anima ſit altior,habet mobile ſibi proportionatum latius,& conſequenter corpora multa,& conſequenter quodlibet eorum immediate reſpicit. Nec obſtat quarto, quod dæmones corpora ſibi propiora mouere nequeũt, ideſt cæleſtia: eſſent enim in cælo,cum mouens ſit coniunctum mobili 7.Phy.quod neq; Platonici neq; Chriſtiana fides habet: conſequenter autem nequeunt mouere remotiora,ideſt inferiora.Non obſtat,inquã,quia dico quod ſi dæmones fuerũt omnes ſub vno qui ordini terreſtri præeſſet, ſua virtus naturalis ad cæleſtẽ motũ ſe minime extendit; nec illa corpora ſunt eis propiora iſtis, aut proportione,aut ſitu: cũ iſta ſint eis ad motum proportionata,non illa,& ipſi longe a cęlo diſtent:quippe qui in abyſſo,vel in aere ſunt ad noſtrum exercitium relegati. Si vero ſupremus eorum,fuit ſupremus inter angelos ſimpliciter(vt credo) conſequenter vero de ordine quolibet ceciderunt: omnes, aut aliqui eorum cælos naturali virtute rotare poſſent altiori modo, quam eorum motores, ſicut aut omnes, aut quidã naturali ordine ſunt altiores,iuxta ſententiam hanc: ſed Deus non permittit in pœnam peccati eorum

ne ſibi

ne ſibi ſint tam nobiles cooperatores in generatione omniumq; rerum, maxime uero electorum. Et ſi quo modo ad eorum virtutem in ſuo naturali ordine pendebant cęleſtes motus: Deus ſua omnipotenti ſapientia aliunde ſuppleuit, ne diabolo mouente cælum, tot & tanta beneficia ab eo capiamus.

Punctum quartum. A prædictis autē illecebris & ſordidis actionibus poſſent mali dæmones per angelos bonos cohiberi: quod tamen crebro non faciunt. Ratio primi. Nam ſecundum Grego. in quadam Homil. poteſtates dicuntur angeli, quorum ditioni virtutes aduerſæ ſubiectæ ſunt. & Aug.lib.3.de Tri. Spiritus,inquit,uitæ deſertor, atq; peccator regitur per ſpiritum uitæ rationalem,pium,& iuſtum: & prętereà ſicut creaturæ Deo propiores, & ideo perfectiores aliis influunt, qd ſcilicet totus prælationis & regiminis ordo ſit originaliter in Deo, & ſecundum propinquitatem ad Deum participetur: ita etiam angeli boni Deo maxime propinqui, & vniti propter ipſam,qua dęmones carent,Dei fruitionem, dæmonibus principantur, & dæmones regũt. Ratio ſecundi. Nam angeli diuinæ ſapientiæ miniſtri ſunt: Oēs enim (quod ait Apoſtolus) ſunt adminiſtratorii ſpiritus: unde ſicut diuina ſapientia, ita & miniſter eius angelus bonus nonnulla mala fieri per malos angelos,aut homines permittit, vt inde bona maiora Deo operante emergant, ad promotionem bonorum, & malorum punitionē, perfectionem uniuerſi, & gloriam ſummi Dei.

Punctum quintum. Incuborũ ſuccuborumque ſpurcitias nō exercent dæmones vniuerſi, ſed quidam inferiores. Hoc enim eorum naturæ congruit, qua ab inſtanti productionis ſuę,ordinati ſubinuicem fuere, cum omnes inuicem ſpecie differāt, ut ſupra oſtenſum eſt libro primo: & eſt ſententia Diony.10.cap. cęl.hierar. qui in eodem ordine primos, medios, & infimos aſtruxit; Naturam autem peccatum non abſtulit: unde naturalia dæmones non amiſerunt, ut ſupra dictum eſt: Naturales autem rerum conditiones operationes rerum propriæ conſequuntur,eiſque proportionantur, & congruunt: unde multarum naturarum operationes ſunt multæ, & ſuperiorum ſuperiores: conſequēter autem infimæ infimarum naturarum ſint oportet. Congruit & id diuinæ, ac perinde infinitæ ſapientiæ,vt ea quæ ab ipſa ſunt, ordinata ſint, vt Apoſtolus ad Rom.13.profitetur. unde quia dæmones a Deo ſunt ordinati, ſubinuicem ſunt: & quia ad exercitium hominum ab eodem deputati ſunt, ut exercitio boni proficiant, & mali pro meritis damnati excrucientur, etiam hoc Deus ordinate fieri uoluit. Congruit etiam & diabolicæ nequitiæ: quia cum humano generi pro viribus aduerſetur, vt magis impugnet,ordinatius pugnat: Vnde apud diuinorũ tractatores ſub ſatana rege tartareo, ſunt duces,qui de luxuria,

qui

qui de gula, & eiuſmodi tentent, & ſatellitibus ſuis pro cuiuſque natura, conſequenter ingenio & nequitia ſua mandent imperia. Ex his ergo patenter concluditur, luxuriæ nefanda opera non exerceri ſtatim, & ſine medio per nobiliores dæmones: cæterum per eos potius qui in ultimo choro ſunt ultimi. Immo quibuſdam uiris, etiam peritis, uidetur, quod a toto genere dæmones Sodomiticum, & alias omne contra naturam, ideſt, extra debitum uas, coitus uitium horreant. Quod inde arguunt, tum quia nunquam in hoc legitur turpiſsimus dęmon ſe aut incubum, aut ſuccubum exhibuiſſe: Tum etiam quia in ſuis operibus ſicut natura, ita & dæmon ſuperfluum effugit: eſt autem ſuperfluum effundere ſic ſperma, ut generatio ſequi nequeat: Tum quia Archiepiſcopus Flor. 2. parte tit. 5. cap. 4. §. 2. hoc uidetur ſentire, adducens Theologiæ compendium. Sed his non obſtantibus, in contrarium eſt ueritas: quippe uniuerſaliter ſtrigimagę, quę in eiuſmodi ſpurcitiis uerſantur, aliquid turpiſsimum (quod tamen ſcribam) aſtruunt, uidelicet dæmonem incubum uti membro genitali bifurcato, ut ſimul utroque uaſe abutatur. Ad primum ergo in contrarium dico conſequentiam non ualere: non legitur, ergo non eſt uerum: quia nec omnia facta ſcribuntur, nec leguntur omnia ſcripta: unde arguitur ab authoritate negatiue, quod minime licet. Ad ſecundum dico, illud eſſe quidem ſuperfluum in ordine ad naturam, non autem in ordine ad finem, gratia cuius dæmon incubus operatur, qui eſt ut ſtrigæ ſibi deputatæ adeo ſuæ immergantur uoluptati, ut eas ſemper ſibi detineat alligatas, & pereant. Ad tertium dicitur Archiep. flor. non aſſertiue, ſed recitatiue loqui, ut magis homines terreret, & auerteret ab eiuſmodi damnandis criminibus. Non obſtat autē huic ultimo puncto, quod ſicut ad rationem boni pertinet modus, & ordo apud Aug. de Na. bo. ita ad rationem mali pertinet inordinatio, & conſequenter actiones malorum angelorū non ſunt ordinatæ, ut infimæ infimis congruant. Non obſtat inquam, dico enim, quod etſi bonum ſine malo inueniri poſsit, ut in Deo, & Beatis, non tamen econtra ſine bono malū: qđ ſemper in natura bona fundetur oportet: cū priuatio ſit, quæ ſine ſubiecto eſſe nequit. Et ideo dæmones inquantum naturā bonā nacti ſunt, ordinati ſūt, & ordine quodā malas, & perinde inordinatas actiones ſortiuntur: inquantū uero mali ſunt, actiones habēt ſine ordine ad finem debitum, ſibi a Deo præſtitutū. Vnde Iob. 10. Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat: ſic intelligitur quia in inferno (ubi tamen non ſunt dæmones, qui nos impugnant) non eſt ordo operationum bonarum moraliter, quæ ſcilicet, ſint ad debitum finem relatæ, cum damnati omnia referant ad ſuum finem ultimum, qui non creator, ſed creatura eſt: & longe minus in eis eſt ordo actionum meritoriarum

riarum æternæ felicitatis. Eſt autem ibi ordo naturæ, & conſequenter exercitiorum in puniendo malos, qui tamen eſt a Deo potius, quam a malis angelis. Nec tertio obſtat dicere, quod non omnibus eiuſmodi actibus turpiſsimis uacare, non poteſt eis conuenire a natura; quia eadem eſt quæ ante peccatum: neque a culpa uel pœna: quia cum iſta maiora ſint in maioribus, in eorum pœnam deberent huiuſmodi miſerrimis actibus addici. Non obſtat, inquam, quia dico hoc eſſe propter naturam, quæ integra quia eſt, superiori ſuperior operatio congruit. Non obſtat quarto, quod ubi non eſt ſubiectio & obedientia, ut inter dæmones (inter ſuperbos enim ſemper iurgia ſunt, Prouer. 13.) ibi eſt actionum indifferentia. Dico enim, quod in eis eſt concordia nō amicitiæ, ſed nequitiæ, ex qua & odiunt homines, & iuſtitiæ diuinæ pro uiribus repugnant. Et eiuſmodi concordia conſueuit eſſe apud impios, ut ſe ſubijciant eis, qui ad ſuam nequitiam peragendam aptiores & fortiores ſunt.

Eſſe in rerum natura ſtrigimagas, & quæ ſecta earum.
CAP. IIII.

ETSI iam ex dictis, magas & ſtrigas eſſe liquet, quippe quibus probatum eſt eſſe utrumque hominum genus: reliquum tamen eſt, ut etiam ſtrigimagas eſſe probemus: quod equidem fiat oportet, ſi eaſdem perſonas, & ſtrigas, & magas eſſe probarim; quod nonnullis punctis agendum eſt.

Punctum Primum. Per magas ad ſtrigiatum, & magica flagitia, homines tribus modis aduocat dæmon. Et in primis quidem per tædium tentationum, & aduerſæ fortunæ, quibus homo plerumque magarum præſidiā cogatur expetere. Nam profitentē diuo Greg. diabolus frequenter hominem tentat, ut ſaltem per tędium uincat: quod tamen intellige citra uires hominis, quem Deus tentari ſinit, ne propria ignāuia marceſcat. In cuius figurā Deus olim gentes nonnullas in terra Iſraelis remanere uoluit, ut in eis erudiret Iſrael, Iudicū. 2. Et in noua lege. Oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant, ut ait Apoſtolus. Igitur peruerſiſsimus dæmon quoſdā etiam innoxios, per maleficas tantis damnis afficit temporalibus, ut quaſi cogantur maleficarum remedia expetere, & conſequenter earum conſiliis niti: quibus ad ſtrigiatum primo, deinde uero ad maleficia trahantur. Huius rei experimenta & exempla adeo multa ſunt, ut non oporteat nos in hoc fatigari: de quo Inquiſitores uniuerſi interrogati, reſpondere poſſunt, quot mulieres eis officio ſuo inſiſtentibus conqueſtæ ſunt, aut etiam conquerūtur, quod propter damna illata uaccis lacte priuatis,

tis, & aliis iumentis maleficas conſuluerint, & oblata ac opportuna
remedia perceperint, ita tamen, ut ſemper uni ſpiritui promitterent ali
quid, quod modicum eſſe aſſerebant, modo illius magiſtri informatio
nibus aſſentiretur ſuper certis obſeruantiis tempore diuinorum, aut
confeſsionis, & eiuſmodi. Vbi illud aduertendum eſt, quod artifex il-
le mille habens nocendi artes. 16.q.2. Viſis. ſemper tamen inchoare a
minimis aſſueuit, ut quod ſpuatur in terram eo tempore, quo ſacramẽ
tum Euchariſtiæ eleuatur, uel claudantur oculi (quãquam hoc ſecun-
dum ex humilitate, & ne tentationes incredulitatis mentem uexent,
fieri licite poſsit) aut quod cum ſacerdos dicit; Dominus uobiſcũ: re-
ſpondeatur aliquod uerbum irriſorium, aut quod peccata mortalia
nunquam integre fateantur, & eiuſmodi: ſicque ad omnimodã fidei
negationem, & ſacrilegam profeſsionem, de qua puncto ſequenti, tã-
dem adducunt. Et hoc primo modo ad matronas honeſtas carnalibus
vitiis non infeſtatas utuntur. Ad iuuenculas autem, & alias quæ illece
bris carnalibus infeſtantur, utuntur alio per carnis uoluptates ſeducẽ-
tes, ubi illud in primis aduertere expedit, qđ apud Remigium in ſan-
ctificatis diaboli tentamenta craſſantur: unde ſicut bonos quã malos
tentare mauult, quãquam mali habiliores ſint fraudibus eius & leno-
ciniis obtẽperare: ita quoq; honeſtiores uirgines puellas magis decipe-
re conatur. Cui rei teſtimoniũ eſt experientia, & ratio, quippe qui cũ
malos iã poſsideat, anhelat ad bonos obſidendos & poſsidẽdos, inſtar
principum humanorum, qui magis contra eos qui de ſuo iure plus
obtinent, plus oppugnant. Ex malleo, qui maleficarum inſcribitur.
2.par.q.1.cap.1. In oppido Rauenſpurg. quædam balneatrix ſe a dia-
bolo multa paſſam aſtruxit, quod deuotam quandam virginem præ-
diuitis filiam ſeducens, non duxerit die feſto ad loca, vbi cum ea dæ-
mon in ſpecie iuuenculi ſua colloquia habuiſſet, quod ea uirgo ſem-
per ſigno crucis, utique inſpirante angelo bono, ſeſe tutata ſit. Quędã
etiam alia uirgo tunc (vt ibi dicitur) in diœceſi Argentina uni ex in-
quiſitoribus faſſa dixit: Dum in paterna domo aliquãdo die domini-
ca ſola conſiſterem, ex oppido uetula balneatrix uiſitandi gratia me
adiuit, & inter ſcurrilia multa verba, hæc in calce ſuæ narrationis in-
tulit. Ad locum vbi iuuenes toti oppido incogniti morantur te dedu-
cam, modo placeat: dum vero annuiſſem, vbi ad gradus ſcalæ, qua ad
eos domo quadam aſcẽderetur ventum eſt: Vide, ait, ne ſigno Crucis
te conſignes: quod vtiq; ſpopondi, clanculo tamen poſt eam me fi-
delium more ſignaui. Cum ergo ſummum ſcalæ gradum ante iuuẽ-
num cameram vetula conſcendiſſet, ſe vertens animo ſtomachato,
& toruo aſpectu in me verſa: En maledicaris, inquit, ſigno Crucis cur
te muniuiſti? hinc in nomine diaboli abſcede, ſicque ad propria il-

læſa

læſa redij. Denique præfata balneatrix incinerata tandem & ipſa in hunc modum a vetula ſeductam ſe aſtruxit. Vnde patet, quod verſute antiquus hoſtis in animas, maximeque virgineas, bacchatur. Hæc tamen vetula de conſodali quadã ſua in hæc verba retulit. Cum amaſium ſuum fornicationis gratia inuiſere perrexiſſet, dæmonem in forma humana itinere medio obuium pertulit: a quo dęmone incubo cognita, & interrogata, an illum cognoſceret; cum reſpondiſſet, minime: dæmon, inquit ille, ſum: & ſi me ad tuum beneplacitum volueris, ſemper ero pręſto: nec te in quibuſuis neceſsitatibus deſeram. Cui dũ annuiſſet, decem & octo annos cum eo in ſpurcitijs exegit, cum fidei tamen abnegatione omnimoda. Tertius vero modus eſt per modum paupertatis & triſtitię. Iuuenculę enim corruptę, & ab amatoribus ſpretę quibus nubendi gratia ad rem turpem conſenſerant, vbi ſe & infamatas, & corruptas, & relictas perſpexerint, ad quęcunque pręſidia diabolica ſe conuertunt, aut irriſorem amatorem maleficiando, aut ſe omnibus ſpurcitijs paſsim maculando. Et ſicut (proh dolor) talium iuuencularũ, ſic & magarum non eſt numerus, vt ſupra dictũ eſt.

Punctum ſecundum. Sollemniter & tacite ſtrigas profiteri diabolo ad inſtar religioſorum liquet, vt etiam ſupra vtcunq; tactum eſt. Cum enim ſuaſus vir aut femina ſectam ſtrigarum intrare voluerit, antequã admittatur, profitetur aut ſollemnitęr, aut priuate, ſicut ipſæmet reuelarunt. Sollemnis ſic fit. Maleficæ certa die in concionem veniunt, & dæmonem in hominis effigie vident, qui exhortationem habet ſeruandæ ſibi fidelitatis, vitam longam, & ſecundam fortunã ſpondens. Deinde ex eis certæ aſtantes, nouitiam ad diabolicam religionẽ ſuſcipiendam, præſentantes, diabolo commendant: qui ſi nouitiam voluntariã reperit, de fide Chriſti abneganda, & Chriſtiano cultu, & extenſa muliere (ſic enim beatam Virginem vocant) & de ſacramentis nunquã venerandis, extenſa diabolica manu, manum nouitiæ apprehendens, ſtipulantur. Illaque promittit, ac deinde dęmon ſtatim ſubiungit, iſta non ſufficere: & requirente nouitia aut nouitio, quid amplius exquiratur; homagium inquit: quod illud continet, vt quo ad animam, & quo ad corpus ſibi ęternaliter pertineat, & pro viribus quoſcũq; alios vtriuſque ſexus ſibi aſſociare curet. Alius modus profitendi priuatus, ſeorſum dæmoni, quacunque hora, & loco fieri poteſt: & varijs modis fit. Interdum enim aut viris, aut mulieribus afflictione quacunque detentis, adeſt dæmon: interdum viſibiliter, interdũ per medias perſonas alloquens: & ſi ſecundum eius conſilia operari velint, ac ſpondeant, omnia ſecunda pollicetur ad nutum: a paruis tamen, vt ſupra dictum eſt, inchoando, vt ad maiora ducat. Hanc autem profeſsionẽ vel tacitam, vel ſollemnem non aliter, quã infinitis proceſsibus inqui-

ſitorum probare oporteret, quorum nullus eſt, qui ante omnia nõ cõtineat, quod negarint fidem, cõculcarint crucem, diabolũ adorarint, & ſeſe ei dederint: au&ores tamen Mallei Maleſi. 2. par. q. 1. cap. 2. de hoc pleniſsime ſe doctos aſſerũt per iuuenculã maleficam, ſed conuerſam in agro Briſiaco a ſua matertera incinerata edoctam ſic. Cum, inquit, die quadam ſcanderem gradus, & iuſſu eius cameram intratura eſſem, cum iuuenes quindecim viridi colore veſtitos conſpexiſſem: elige, inquit, ex his vnum in ſponſum, quem malueris, eumq; tibi tradã. Cum autem me nullum velle reſpondiſſem, grauiter cæſa tandem acquieui præmiſſo modo, ac ab inde ſæpius cũ ea intempeſta nocte multa ſpacia terrarum tranſiuimus, etiam ab Argentina Coloniam vſque. Interrogata vero, an imaginarie, an realiter portarentur, reſpondit, quod vtroque modo, prout etiã ſuperius dictũ eſt. Confirmatur etiã hic modus profitendi per ea, quæ in ſuo Formicario Io. Nider aſtruxit, qui ſe hunc accepiſſe ſcripſit ex relatu Inquiſitoris Eduen. qui quod quidam magi in Lauſanẽſi Ducatu proprios filios excoctos mãducarant, aſtruxit. addens quod modus talem artem perdiſcendi fuit, vt maleficis in concionem vocatis, dæmonem in forma hominis viderent, cui diſcipulus futurus fidem neceſſario præſtat, de negando Chriſtiano cultu, & calcanda cruce, vbi latenter fieri poſſet, & Euchariſtia nunquam adoranda. Refert quoq; fuiſſe famam, referente Petro quodam, iudice in Boltigen. quod in terra Bernenſiũ tredecim infantes magi voraſſent: vnde & publica iuſtitia ſatis dure ob hoc exercebatur, & animaduertebat in eiuſmodi ſceleſtiſsimos homines. Cumque a detenta quadam malefica quonam pacto infantes comederent Petrus exquiſiuiſſet, reſpondit: Modus iſte eſt: infantibus nondum baptizatis præcipue inſidiamur, ne ſcilicet ſaluentur, maxime ſi crucis ſigno & orationibus nõ muniantur: hos, inquit, in cunis, aut ad parentum latera noſtris cæremonijs enecamus: de tumulo deinde clanculo eos excipientes, in caldario decoquimus, quouſque euulſis oſsibus, tota caro efficitur pene potabilis, & de groſsiore quidem materia vnguentũ conficimus noſtris voluntatibus & artibus ac ſubuexionibus accommodum: de materia vero liquidiore vas replemus; de quo qui potarit, additis paucis cæremonijs, ſtatim conſcius & magiſter fit ſectę noſtrę. Ad idẽ in Bernenſium iudicio iuuenis cum vxore malefica captus, & ſeorſum carceri intruſus, dixit. Si meorum facinorum veniam cõſequi poſſem, libẽtius in lucem efferrem cuncta, quæ de maleficijs ſcio.: mori enim me, vt video, oportebit. Cumque eum aſtantes litterati cõfortarent, & veniam ac miſericordiã eum conſequi poſſe, modo vere pæniteret, aſtruxiſſent; tũc lętus ſe morti obtulit: & ſic exorſus eſt. Ordo, inquit, &c. vt ſupra cap. 2. puncto ſecundo. Iuuenis hic præconfeſſus in magna

contri-

contritione mori viſus eſt: vxor vero teſtibus conuicta, quicquã veritatis etiã in quæſtionibus ipſis faſſa non eſt: ſed neq; in morte, quin immo parato incendio, verbis peſsimis lictori maledicens, in cineres redacta eſt. Sic ergo patet modus profitendi, qui vbique in ſubſtantia idem; & ſi quoquomodo ſit varius, in accidentibus eſt varius.

Punctum tertium. Quare, & quam multipliciter dæmon homagiũ expetat. Homagium, quantum ex ſtrigimagis colligi potuit, hac ratione a profeſsione ſecernitur, quod profeſsio quidem eſſentialiter in totali aut partiali fidei negatione conſiſtit: totali quidem, vt cum ex integro fides negatur: partiali vero, vt cum ex pacto inito cũ morte, aliqua contra eccleſię ritum ſeruantur, puta, quod diebus dominicis ieiunetur, quod ſexta feria carnes edantur, aut certa crimina in cõfeſsione taceantur, & eiuſmodi. Homagium vero in animæ & corporis traditione conſiſtit. Illud ergo dæmon expetit ea ratione vel imprimis, vt ad irreuerentiam & offenſam maiorem diuinę maieſtatis, creaturã traducat; & vt certior ſit, quod illam in æternam damnationem ſecũ adducat. Expertos tamen ſe dicunt multi ex præcipuis inquiſitoribus, quod homagium interdum dæmon vna cum profeſsione acceperit; interdum vero profeſsione ſola in præſenti contẽtus, ad certos annos homagium differt. Quare autem ſic practicetur, ex parte quidem peruerſi dæmonis multę cauſæ deprehenduntur. Prima. Cum enim niſi ex ſignis & coniecturis cogitationes non norit, ſi quidem nouitiam ad conſenſum difficilem præſenſerit, blande aggreditur, vt paulatim ad maiora deducat. Secunda. Cum inter eos qui fidem negant, diuerſitas ſit, quibuſdam ore ſolo, quibuſdam ore & corde negãtibus: an corde profiteantur experiri volens ille dominus abbas inferorum, tempus quaſi probationis inſtituit, vt interim ex operibus & conuerſatione mentes experiatur. Tertia. Nam vbi ex longo tempore nouerit aliquã minus voluntariã, ſibiq; ore magis adhęrere, quã corde, præſumitq; diuinã miſericordiã ex angelica cuſtodia illi affuturã, eã inde abijcere, & aduerſa fortuna fatigare conatur, vt vel ſic eã ex deſperatione lucretur. hæc, & ſimilia nõ niſi inquirentiũ practica, & exquiſitis cõiecturis poſſunt agnoſci. Vnde enim hoc, quod in tormẽtis quædã ſtrigimagarũ nullo modo, quædã vero facile veritatẽ fateantur? Itẽ, vnde quod ipſę poſtquã verũ faſſę ſunt, ſibi ipſis mortẽ laqueo, aut quouis modo poſſunt, aſciſcunt? Neque enim a bono ſpiritu, aut ad ſilentium, aut ad confeſſionem coguntur: ſed aſtuti dæmonis opera eiuſmodi eſſe deprẽhẽſa ſunt, qui eas quas toto corde & profeſsionem, & homagium emiſiſſe, conſequenter autẽ & pertinaces nouit, iuuat præbendo taciturnitatis beneficium, aut uerius maleficium, de quo infra libro tertio: alias uero derelinquit, nec tuetur, quod eas ſibi minus proficuas putet. Hoc

dicunt inquiſitores ſe experientia didiciſſe:quippe qui omnes quas incinerarunt, per earum confeſsiones circa maleficia inuolūtarias fuiſſe norunt:quod tamen ſub ſpe euadēdi nequaquam dicebant. cuius etiā rei argumento erat plerumque facies tumida, & liuens, ex dæmonum verberibus,quibus nō ad beneplacitum inſeruiſſent. Quod vero poſt confeſsionem ſibi mortem pro viribus inferant, experientia teſtis eſt: quod malus dæmon efficit,ne ſacramentali confeſsione ſaluentur.

Punctum quartum. Strigimagas eſſe iam liquet. Si enim ſunt magi & magæ,ſtrigij ac ſtrigię,& illi ijdem qui magi ſtrigij,& quæ magæ ſtrigiæ ſunt,iā ſtrigimagæ ſint oportet. Ita vero eſſe ex profeſsione ac homagio ſtrigiarū liquet,quippe quę ad meleficia ſe obligāt,vt patuit.

Punctum vltimum.Quomodo autem ſtrigimagę ad ludum,aut maleficia localiter ferantur a diabolo,quantum experiētia docuit, & inquiſitores retulere,dico,quod multis modis. Quandoq; enim cū perſonæ ſunt viles,& locus vicinus,ſuis pedibus incedūt: quod equidē in agro Cumano ex proceſsibus factis in terra Muſci liquet, vbi omnes ſic adire ludum planū eſt: Interdum vero equis,aut hircis,aut alijs effictis beſtijs feruntur:quæ ſunt quidē apparenter beſtię,dęmones autē vere,vt ſupra de eo dictū eſt,qui forte etiā nūc monachus viuit. Interdum vero,& vſitatius practicatur, vt confecto vnguento ex membris puerorum,pręcipue nō baptizatorum,baculū aut ſedile inungant,aut etiam ſe inter manum & brachium ſub certo charactere,& ſtatim ſublatæ in aera feruntur:quod infinitę earum confeſsiones aſſeuerant.Interdum etiam feruntur nullo adhibito corporeo inſtrumento,ſed ſola dęmonis virtute aſsiſtente,veluti ſupra de ſcholari patuit, qui ceruiſiā erat allaturus. Ferūtur autem die & noctu,vt libet, & inuiſibiliter diabolo interponente,aut circunuoluente corpus aliquod: ſicut de Aenea dicit Virgilius,cū Cartaginē adiret:quia licet finxerit,dixit tamē poſſibile: & ſimiliter interdū viſibiliter. Henri.Inſti. & ſocius in hęc fere verba teſtātur.In oppido Valzhut ſuper Reno,Conſtan.diœceſis,malefica oppidanis & inuiſa,& ſuſpecta, quod ad nuptias nō fuit inuitata,ad quas pene totum oppidum fluxerat,aduocato dęmone,vt grandine ingentē ſuper choreas,& reliquos inuitatos dūtaxat inferret,precabatur.Ab eo vero ſuper monticulū prope oppidū ſine vllo corporeo inſtrumento,videntibus paſtoribus quibuſdā,delata,facta parua foſſula,cum ei deeſſet aqua,quam inferret(quod ex more faciunt concitaturę tempeſtates,vt dicetur) imminxit,& vrinam digito mouens,ſublato in aera virtute dęmonis humore, ingens grando cunctis mirātibus ſuper iā dictos cecidit: & de hac malefica ſuſpicātibus, eo magis quod ſtatim poſt ingreſſa eſt oppidū, & paulo poſt paſtores uiſa retulerūt. Vnde capta faſſa eſt hęc, & alia, ac dęmū in cineres igne ſoluta.

Strigima-

Strigimagarum genus cum incubis & ſuccubis reſpectiue illecebris flagitioſe domeſticeque uerſari. C A P. V.

QVIA iam abunde, an, & quid ſint ſtrigimagæ deductum eſt, deque ſecta ipſa dictum: iam de earum operibus tractãdum eſt, & inprimis de eo, gratia cuius in talia feruntur, ideſt, turpiſsima uita, uam cum incubis & ſuccubis reſpectiue ducunt. Quod equidem multis punctis abſoluemus.

Punctum primum. Strigimagarum genus, & ſi etiam ex uiris conſtat, amplius tamen ex mulierculis: unde & feminco genere uti in eiuſ modi conſueuimus. Primo. Prouerbium eſt, tria eſſe quæ in bono uel malo mediocritatem non obſeruant; lingua, perſona eccleſiaſtica, & femina. Et de lingua docet experientia, unde & Aeſopus iuſſus emere carnes optimas, linguas emit: & itidem iuſſus emere peſsimas, linguas denuo emit; & iraſcenti domino, quod non perfeciſſet iuſſa: immo, inquit, quia lingua bona nihil melius, nec peius mala. De eccleſiaſticis uero, quo ad regulares Aug. ad Vincen. Dona. paucis uerbis multa complexus: Simpliciter, inquit, fateor charitati ueſtræ coram domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam, ex quo Deo ſeruire cœpi, quoniam difficile expertus ſum peiores, ſicut & nõ meliores, quam qui in monaſteriis defecerũt, aut profecerunt. Hæc ille. Ratio uero eſt, quia cũ aſsidue uerſentur in diuinis, oportet quod diuinis inſpirationibus aut iugiter aſſentiant, & fiant optimi: aut iugiter diſſentiant, & fiant peſsimi. In clericis autem ſæcularibus eadem ratio militat, tantummodo differens per magis & minus: unde ut Cryſo. dicit in Homil. ſuper illud, Eiecit de tẽplo &c. Sicut, inquit, omne bonum a ſacerdotio, ita & ab eo egreditur omne malum. De femina uero præter experientiam idem diuinis litteris liquet, Nam Eccle. 25. Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris: commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cũ muliere nequã. Et infra: Breuis eſt, inquit, omnis malitia, ſuper malitiam mulieris, ſcilicet, malæ. De bona uero idem cap. 26. Mulieris bonæ beatus uir: Vnde & de bonis pręclara in litteris diuinis & humanis leguntur. Eligit ergo dęmon magis mulieres, quam uiros, & mauult quaſi in omnia facinora proniores, & ad quædam etiam aptiores, ut ad ea quæ obſtetricum miniſterio patrantur. Secundo. Nam mulieres ad credendum ſunt proniores, unde quia fidem euertere dæmon uel imprimis quærit, feminas potius adoritur. Tertio. Quia propter complexionis fluxibilitatem facilius impreſsiones patiuntur, conſequẽter

autem

autem ad reuelationes ſpiritibus ſeparatis imprimentibus, habiliores ſunt. Quarto. Quia propter lubricitatem ſuæ linguæ malarum artiũ doctrices, & auidæ, & pene coactæ fiunt, dum neſciunt tacere quæ norunt. Accedit vero quòd ob animi puſillanimitatem, cum aliud nequeant, ad maleficia pro uindicta facile cõuolant. Sunt quamplu res eiuſce rei aliæ rationes.

Punctum ſecundum. Corpus, quo incubus, aut ſuccubus dæmon hominibus eiuſmodi turpibus actibus miſcetur, in ſubſtantia aereum eſt, ſic tamen groſsis vaporibus & terreis compreſſum, & condenſatum, ut ad terrę proprietates accedat: quod ſic elucidatur. Aereum enim ſimpliciter eſſe nequit, quod ſit infigurabilis aer, niſi figura aliena: cuius rei ſignũ eſt, nunquam ſuis, ſemper autẽ alienis terminis clauditur: & in ſua ſphæra, ubi ad concauum ignis, & mar.a, ac terras finitur: & extra ſuam ſphæram: quippe qui ne vacuum detur, angulos omnes rei qua ambitur, occupat. Quia uero maximę trãnſmutabilis eſt aer, & in quodcũq; vertibilis, ideo in ſe eſt competens talis corporis materia, ut ex eius ſubſtantia ſibi corpus dæmon aſſumat: cuius etiam rei ſignum eſt, ut libro primo dictum eſt, quod corpus illud annixi trũ care, aut confodere nequiuerunt, quod ſcilicet ſtatim coeant diuiſi aeris partes: quia tamẽ figurari nequit, niſi terreſtre aliquid miſceatur, aerem illũ inſpiſſari quoquomodo, & ad proprietatẽ terræ propinqua re oportet: aeris tamen natura ſeruata, qđ dæmones utique motu locali, quo partes aeris cõprimantur, & vapores terrei groſsi eleuati miſceã tur, facere põſſunt. Quod vbi faciunt dæmones ad alicuius rei proprie tates ſignandas ſiue angeli, ſiue hominis, ſiue equi, uel eiuſmodi, dicuntur illa corpora ab eis aſſumpta, in quibus ſunt, non vt animæ uegetantes & viuificantes, ſed vt motores, inſtar ſcilicet nautæ in naui: alias vero ubi talia corpora non ipſi effingunt ad aliquid ſignandum, ſed effincta, vt a Deo vel à natura, mouent, veluti linguam aſinæ Balaam, & arreptitiorum membra malus angelus mouerit, nõ aſſumpta eiuſmodi corpora, ſed occupata dici conſueuere.

Punctum tertium. In aſſumptis vero corporibus cum ſtrigimagis dæmones loquuntur, vident, manducant, coeunt, & generant: quæ quonam pacto faciant, detegamus. Sonus eſt percuſsio aeris ad corpus ſolidum, puta, campanam vel lignum, qui ſi ab animali fiat, per eos uox dicitur: animal enim ad cordis refrigerium aerem inſpirans, & attrahens per pulmonem, & illum ad uocalem arteriam in gutturis extremo expirando percutiens uocat, quãquam & ſine pulmone & attractione aeris poſsit uocem emittere animal, quod Halec facit, cum extra aquam ſtatim eſt moriturus, vocem enim edit. Si uero ſonus ab ore animalis emiſſus per linguam, dentes, & labia ſic dearti-

culetur,

culetur, ut aliud quam naturales paſsiones deſignet, dictio eſt: & ſi dictio dictioni ſic iungatur, ut enuncietur quid complexe, locutio eſt: Sciendum enim, quod bruta uoce ſua, ſuas paſsiones uel affectiones quidem deſignant, & aliud nihil, ſcilicet timorem, lætitiam, dolorē, famem, ſitim, & cætera: unde non loquuntur, immo nec homines eo caſu loquuntur, niſi dicamus infantem loqui dum plorat, aut hominem dum ridet. Homo vero mentis conceptum locutione promit, per locutionem aerem motum, & ſonorum diſtinguens, ac dearticulans proxime in ore: deinde vero ſucceſsiue extra quidem, ſed tamen prope os: & ſic conſequenter ad aures uſque, eius, qui eſt per aures, alterius conceptum percepturus. Dæmones ergo, quia nec pulmonem, nec dentes, nec linguam, aut labia habent vera ſeu naturalia, ſed apparentia tantum, proprie non loquuntur: quia tamen mente concipiunt, & conceptum quibuſdam ſonis motu locali aeris inſtar dictionum dearticulantes exprimunt, loqui per ſimilitudinem dicuntur, non attracto vel reſpirato aere, ſed in ipſo aſſumpti corporis ſimulato ore proxime moto, & percuſſo, deinde ad contiguum uſque ad aures magorum. Et non modo loquuntur, verum etiam cantant. Quidam in ciuitate Bononia ſatis religioſus ſacerdos, mihi amicus, cui Hieronymo a Viola, ſeu Lyra nomē erat, quod eiuſce inſtrumentum peroptime tangeret, mihi ad annum Domini circiter 1500. in hāc ſententiam retulit. Ex necromanticis quidam mihi, inquit, cognitus, interdum etiam domeſticus, dum me lyram tangere crebro uideret: oſtēdam, aiebat, aliquando tibi meos pulſatores, & quam nihil ſcias, uidebis. Cumque feſto quopiam ad tempus Quadrageſimale poſt cibum, ſanctū Michaelem in Boſco declinata ſemita, per uineas, anguſto calle conſcenderemus, medio itinere laſsi quieuimus. Cui ego: Quando illos, de quibus toties, pulſatores auditurus ſum? Qui ſtatim quibuſdam in terra formatis: reſpice, ait, ſurſum: vidique in aere quoddam perniſſiarum agmen, vt videbatur, alis ludentium & deſcendentium, ac deſcendendo creſcentium: quæ cum in terra ſteterūt, quindecim iuuenes pulcherrimi, quindecim inſtrumenta muſicalia tangentes fuere. Tota vero intentione ferebar in eum, qui lyram tenebat; quo diu audito, viſum mihi eſt, quod in ea arte ſcirem penitus nihil. His uero iuſſu, necromantis diſparentibus, & eo rurſus characteres effingēte, denuo ſimilia vt prius, ſed plura apparuere, quæ dum in terra conſiſterent, fuerunt qui prius quindecim iuuenes pulſantes, & puellæ totidem cantātes: quibus (parcat mihi, inquit, Deus ſi in hoc pecco) aut pulchriores, aut in pulchritudine pares uidi nunquā. Hęc ille. Qui etiā deinde retulit, ꝙ eodē necromante authore, Bononię in platea mercati, noctu prę ſentibus duobus nobiliſsimis principibus, Ioanne Bentiuolo, & Roberto

berto Sanſeuerinenſi haſtiludum horrendum per dæmones actum ui derit. Cumque tubarum ac tympanorum ſtrepitu omnia uiderentur reſonare, ac perſtrepere, & ne tota Bononia conflueret extimuiſſem: ne timeas, inquit, extra plateam hanc, quam cernis, nihil ſentitur. Et ſi interroget quis, quonam pacto id fieri poſsit, vt ingens ſonus non audiatur eminus, dico quod cum duobus modis illud haſtiludum fieri potuerit, uel præſtigio ſcilicet, uel corporum aereorum dicto modo formatorum locali motu: ſi præſtigioſe res acta eſt, nihil difficile emer git, cum omnia eſſent in ſenſibus eorum, quos diabolus participes hu ius eſſe uoluiſſet: ſi uero locali motu corporum, iam illi ſoni veri ſoni eſſe potuerunt, & tamen ibi tantum audiri. Vel primo impeditis ſen ſibus eorum, quos diabolus audire noluiſſet per ſoporem, aut ludifica tionem, iuxta dicta in primo libro. Aut ſecundo per fixionem aeris, ne ſuo motu ſonum deferret: (ſine quo aerem contiguum ſonus non immutat, niſi forte in mutatione ſpirituali, quæ eſt demiſsiua) ſicut enim mouere corpora, ita & fingere poteſt: quippe ſicut eadem diſci lina, ita eadem virtus contrariorum eſt: vt ars ſanatiua ſani & ægri, Aut tertio per interpoſitionem impedientis, puta, denſiſsimarum nubium, aut ferri uel plumbi: quibus ſtatim locali motu intercedente, vallare poſſet dæmon loca magna. Aut ultimo omnibus, uel pluribus modis prędictis. Et de his ſatis. In hominibus vero energumenis & arreptitiis, dæmones per vera naturalia inſtrumenta locutionis mẽ tem ſuam referunt, quãquam nunquam æque bene eis utantur, ut na turalis motor. Quidam uir ſanctus (author eſt S. Vincentius) in arreptitio a dęmone reſponſum habuit uerbis latinis barbaricum. De quo cum diabolum eruditiſsimum increparet: non eſt (inquit dæmon in illo) mea culpa, ſed lingua huius ruſtici tam groſſa, quod per ora eius uertere nequeo. Quantum vero ad uiſum & auditum attinet, cum viſio audituſque ſint viuentis corporis actiones, hæc ſimilitudinarie & improprie habeant oportet, ſicut & corpora, quibus eliciuntur. Vi dent tamen altiori modo, & longe clariori: qui nec corporea quidem diſtantia impediri poſsit, id eſt, ſpirituali ſeu mentali uiſione: ſimiliter autem & audiunt, dum ea virtute, qua intuentur, etiam percipiũt mentales hominum conceptus uoce, aut ſignis expreſſos. Comeſtio vero completa & uera inprimis cibi in ore diuiſionem, traiectionẽ in corpus, vim digeſtiuam, uimque egeſtiuam exquirit: quæ duo prima angeli cum boni, tum mali in corporibus aſſumptis exercere & poſſunt, & efficiunt, quod id totum locali motu agatur: reliqua duo nõ faciunt modo, uerum etiam nec poſſunt: quãquam illarum virtutum uice reſolutiuã cibi in præiacentẽ materiam nacti ſint; Chriſtus uero poſt ſuam reſurrectionem duo prima perfecit, duo vltima nõ perfecit, quod

quod iam immortale corpus enutriri nequeat: virtutes tamen, quibus ea fieri ſolent, quia vere habuit, vere etiam comedit. Neque enim vere comedens neceſſario aut digerit, aut egerit: alioquin ſtatim ſumpto cibo euomens, minime comediſſet.

Punctum quartum. Quomodo vero coire poſsint incubi ſuccubiq; manes, & quando id efficere cœperint, & quã multi & crebro homines his ſpurcitijs vacent, ſic liquet. Quomodo enim iſta nefanda, quæ bonis mentibus euoluere graue eſt, admittere poſsint, iam ex dictis liquet. Motu enim locali effinctis virorum, aut mulierum formis, & ad opus nefarium admotis, id vere quidem ex parte hominum, apparẽter autem ex parte dæmonum fieri poſſe, viſis quę ſupra ſcripta ſunt, dubitarit nullus. Quãdo vero eiuſcemodi quo ad ſtrigimagas cœperint, ante annos Domini. 1404. incertum quidẽ eſt, quod nec ſacræ litterę, nec hiſtoriæ, aut viri graues id tractauerunt: nihilominus maleficos lõge ante fuiſſe ex Canonibus, & doctoribus liquet, & ex libro Tho. Brabantini De apibus. Nũc vero etiam voluntarie ſeſe eis mulierculę ſtrigimagæ ſternunt: quinimmo vt ſternantur, Chriſtum negant, infantes enecant, diabolum adorant, æterna ſupplicia pati, quam iſtis miſerijs carere malentes. Et tam crebri ſunt, qui id efficiant, vt teſte Henri. Inſti. ac Socio inquiſitoribus, quotquot ex ſtrigimagis, quas ſæculari brachio puniendas reliquerunt, in diœceſi præcipue Conſtantienſi, & in oppido Rauenſpurg. (quæ exceptis ſecrete pænitentibus. 48. fuere ignibus aduſtæ) omnes cum incubo ab eo tempore, quo ſeſe diabolo tradidere, vſque ad ſuam incarcerationem in his ſpurcitijs vitam duxerint, vt per earum confeſsiones, earum vel præcipue, quæ ad fidem rediere, liquet. Itidem quoque aſſerẽtes de quadraginta & vna ad Burinam vltimo ſupplicio confectis. Immo nunc in Apennino tantum excreuerunt, vt dicãt ſe breui plures fidelibus futuras, & ſe propalandas in publicum: & erit ſicut de Valdenſibus in Valle lucerna. Talis autem regulariter in his ordo ſeruatur, quantum ex horum confeſsionibus credi poteſt, vt ſuccubus homini ſtrimago dæmon, ſemen ab eo deciſum excipiat, qui ſi quaſi illi homini a principe ſuo deputatus mulieri ſe incubum exhibere recuſarit, ſemen illud incubo maleficæ deputato tradit, qui ſub certa conſtellatione ſibi ad id ſeruiente, in muliebre genitale tradit, ſe incubum faciẽs, vt inde genitus; aut genita ad maleficia peragẽda idoneus ſit. Nec obſtat, quod hi de quibus in Gen. gigantes tantum & viri potentes ac famoſi, & non malefici fuere. Dicitur enim primo, quod tempore legis naturæ propter creationis mundi recentem memoriam, apud graues viros & eruditos maleficia non fuere: vnde nec idolatria locum habere ſtatim potuit. iam vero hominum malitia excreſcẽte, etiam diabolus ipſe hoc genus pecudum op-

portunius generare, & educare potuit. Vlterius dici poſſet, quod nec verba illa Moſi virtutis bonum redolēt, Potētes in ſæculo viri famoſi, quod in flagitijs ſubaudiri poſsit. Ex his ergo nefandiſsimis actibus, ſtrigimagarum genus maxima ſuſcipit incrementa; tum quod eiuſmodi voluptates multos in captiuitatem trahunt: tum vero, quod inde tales generentur, quos in vitia hæc promptiſsimos dicas.

Punctum quintum. An vero dæmon quemadmodum ſemper cum ſeminis reſolutione homini ſuccumbit, quantum ex parte hominis attinet: itidem quoque ſemper mulieri cum ſeminis intruſione incumbat, id imprimis noſſe oportet, quod cum habeat mille nocendi modos hoſtis iſte vt 16.q.2. Viſis. circa eiuſmodi generalis regula dari non poteſt: probabile tamen videtur multis, quod inhabilem conceptui, vt annoſam vel ſterilem, abſque ſemine ſupponat, quod ſcilicet ſicut natura, ita & dæmon ſuperflua in ſua actione pro viribus euitet: vnde eo caſu illa obſeruat, quæ delectationem, non quæ conceptum pariant: quamquam id agere poſsit vt ſemper & interuenire credatur, & non interueniat: cum eas effingat corporum formas, quæ illi conducunt, niſi obſtiterit Deus, vt dictum eſt. At vero ſi conceptui habilis eſt ſtrigimaga, ſemen humanum & affert, & infert: modo illud habere queat, quo inde proles ſibi obſequens gignatur: & idem ſi prægnans ſit, facit vt conceptum inficiat.

Punctum ſextum. An vero in prædictis tempus quam tempus, aut locum quam locum alium malit, illud imprimis aduertatur oportet, quod præter ea tempora, quæ ſydereos influxus concernūt, de quibus crebro dictum eſt, certa tempora obſeruat, quibus ſtrigimagas re venerea oblectet: quę & omniū ſanctiſsima ſunt, vt feſti dies, prçcipueq; Natiuitatis Seruatoris, Paſchæ, & Pentecoſtes. Et id quidem ratione multiplici. Et imprimis, vt ſtrigimagæ peccati culpa magis obuoluantur: quippe, quæ poſt apoſtaſiam a fide, & Veneris ſpurcitias, etiam ſacrilegij quaſi crimen admittant: atque inde honori diuino iactura maior inferatur, quamquam nulla inferri poſsit, quod Deus ex omnibus talibus, per iuſtitiam gloriam ſibi pariat. Deinde vero, vt ex eo quod grauius offenditur pater omnium Deus, maiorem debacchandi in homines licentiam nanciſcatur Deo per dæmonem animaduertente in malos, non obſtante eo, quod dicitur, Filius non portaturus iniquitatē patris: quia illud in ordine ad æternam mortem intelligendū eſt, alias quomodo verum dixeris illud; Viſitans iniquitatem patrum in filijs vſque ad tertiam generationem? Demum vero vt maiori opportunitate plures ruere faciat, præſertim vero adoleſcentulas, quæ feſtis diebus otio & curioſitatibus magis operam nauāt: ſicut vt ſupra de quadam iuuentula dictum eſt, quæ ducta ad locum, vbi dæmones in forma iuue-

ma iuuenum prǽſtolabantur, monita ne ſe ſignaret, quæ vbi locum attigit, nullus fuit, quod ſcilicet ſe ſignaſſet, & illi præſentiam ſuam iuuentulæ oſtendere nequiuiſſet. Vnde anus irata dixit; vade in nomine omnium diabolorum: Te enim ſignaſti. Quantum vero ad locum attinet, ex ſtrigimagarũ factionibus, conſtat in locis Deo ſacratis ſpurcitias illas omnino exerceri non poſſe; ex qua re efficacia angelicæ cuſtodiæ deprehendi poteſt: & quod longe mirabilius eſt, quod pacem nunquam habeant, niſi in eccleſia tempore diuinorum, aſtruunt: vnde eã alijs citius ingrediuntur, egrediũtur vero tardius: licet ibi ex dæmonum cæremonijs & mandatis aliqua nefanda obſeruent. Quam vero ob cauſam illa in tempore quidem poſsint, in loco vero nõ poſsint: puto conſecrationes in cauſa eſſe, & ſacra repoſita. Tempus enim nõ niſi humana voluntate per ſtatutum attingitur, quo diuino cultui mãcipatur: ſed loca etiam actione ipſa tranſeunte per ſacrationem, & ſacrorum repoſitionem continguntur.

Punctum ſeptimum. An vero expletio ipſa nefandiſsimi operis viſibiliter ex parte ſuccubi vel incubi, ſicut ex parte hominis peragatur, quantum attinet ad aſtantes, illud præmittere oportet, quod quantum experientia inquiſitores docuiſſe potuit, quantum ad aſtãtes illud aut nunquam, aut non ſemper eſt verum. Nam Henri. Inſtitoris cum ſocio in hanc ſententiam retulere. 2. par. q. 1. cap. 4. Mallei malefi. In oppido Rauenſpurg. necnon in dominio nobilium Ropelſteyn, ac locis alijs quampluribus in campis aut in ſyluis viſę ſtrigimagę ſunt, ſupinę ad vmbilicum vſque, & eo amplius nudatę, diſpoſitis tibijs & cruribus prout nefanda venus exigebat ſe agitantes, incubo nullatenus apparente, quamquam in calce talis exercitij, a malefica ad ſtaturam hominis ſurſum fumus teterrimus leuaretur. Sed & hoc contigiſſe planum eſt, maritos, incubos cum vxoribus ſe turpiter coagitantes, & vidiſſe, & homines putaſſe, quos dum gladijs peterent, illi ſoluebãtur in auras.

Punctum octauum. Sed & illud haud dubio verum eſt, dæmones incubos, nõ modo mulieribus ex ſuo incubatu generatis, aut eis, quas obſtetrices dæmonibus obtuliſſent, importunos fore, uerum ad quaſcunq; ſanctiores uirgines ſtuprãdas per ſeductrices ſtrigimagas anhelare. Nam in Rauenſpurg. id ante ſententiam vltimam nonnullæ incinerandæ faſſæ ſunt, ſibi a ſuis magiſtris dæmonibus iniunctum, omni conatu in ſanctarum uirginũ uiduarũq; ſubuerſionẽ debere laborare.

Punctum ultimum. Nulli uero dubium eſſe debet, perfidum illum Dei aduerſarium, quanta poteſt uoluptate in tali nefario coitu homines ac fęminas afficere, quod ſcilicet id ſuo peruerſo fini ſit cõmodũ, quo ſcilicet ad ſe quoſq; elicere pro uiribus cupit: quanta tamen eiuſcemodi delectatio ſit, illud aduertendum putarim, quod & ſi natura-

lis ordo ſit, ut maiorem habeat uir ad conſimilem ſibi uxorem, uel generaliter feminam, & cōtra, quam uir ad ſuccubum, aut mulier ad incubum dæmonem: nihilominus ille tam potens, tam doctus, tam uerſutus, tā malignus hoſtis, ubi debita actiua debitis paſsiuis admouerit, & ſuis artibus fouerit ac tēperauerit in calore & teneritudine, ubi etiā phantaſmata mouerit, & ſenſus in libidinem concitauerit, non minorem uoluptatem afferre putatur. Vnde quidam in agro Comenſi mox arſurus, ridens diu, interrogatus de cauſa, dixit: ſe recordari de lenocinijs & blanditijs ſuæ Catherinæ e dęmonis ſuccubi, & cum iam flammora occupabit, idem inquit, faciam.

Mirandos effectus maleficiales circa uenerea. CAP. VI.

VT uero ad ea quæ ſtatim diximus de uenereis dicenda cohęreāt, iam de ipſis ſtrigimagarum mirandis particulariter dicturi, a uenereis exordiamur expedit, quo nam pacto ſcilicet eiuſmodi efficiant: quod multis punctis explebimus.

Punctum primum. Naturali ſua uirtute ad amorē carnis (ut aiunt) & ſanguinis: ſimiliter autem & ad oppoſitū odium, homines dęmon uehementiſsime flectere poteſt. Nā illud imprimis quiſque norit, quod a diabolo directe quidem, ideſt ex intentione hic & nunc operando, non ſunt peccata omnia ſuffragante ratione, quod etiam nullo diabolo extante adhuc & cibi, & uenereorū nos appetitus fatigaret, & poſſibiliter inordinate: Indirecte tamen omnium peccatorum cauſa eſt, dum perſuaſo primo homine, originalem iuſtitiam eliminauit, peccata omnia cohibentem. Si tamē non de eſſe, ſed de poſſe nobis ſermo ſit: etſi dæmon illius inordinati amoris, hominis uoluntatem directe inclinando, cauſa non ſit (Cor enim regis in manu domini ſcilicet ſolius) id tamen poteſt ad inſtar ſuadentis: quod dupliciter agitur. Et primo quidem uiſibiliter, ueluti cum homini in ſpecie ſenſibili uiſibiliter & apparet, & loquitur: ſicut & Euam ſpecie ſerpentis, & Chriſtum in quauis ſpecie ſenſibili tentauit: ad quem etiam modum & illud reduci poteſt, quod exterius in facinora pellit hominem, non ſuadendo, ſed alliciendo, ueluti ſi ſe in forma ſpecioſę iuuenculę oſtentet, nihil ſuadens, aut dicens, ſicut monialem ſub ſpecie lactucę traxit in guloſitatem apud Greg. in Dial. Secundo uero etiam inuiſibiliter: non enim id putandum eſt, quod uiſibiliter ſolum hominem aggrediatur, alioquin diabolico ſuaſu ea tantum peccata admitterentur, ad quę uiſibiliter, & exterius apparens ſuaderet. Inuiſibiliter ergo interdum res agitur: & id dupliciter, & imprimis quidem diſponentis ad inſtar, ſicut exſufflantem in prunas, ignem accendere dicimus: quippe, qui cum

poſsit

poſsit corpora mouere localiter, per ſpirituum & humorum motiones ad iram, aut uenerem, aut eiuſmodi nos diſpoſitiores facit: corpore enim aliqualiter affecto, homines ad quędã fore diſpoſitiores confeſſum eſt, cõſequẽter autẽ ad his aſſentiendũ procliuiores. Deinde uero res etiã agitur ſuaſionis modo, ſeu ſuadentis ad inſtar, ueluti cũ uirtuti cognitiuę noſtrę apparet aliquid ſub ſpecie boni, & a nobis agendi: quod tripliciter accidit quantum ſcilicet ad intellectum, & quantũ ad interiorẽ, ac exteriorẽ ſenſum. Et quantum ad intellectum quidẽ, qui etſi a diabolo non illuminetur, ut ſupra lib. 1. dictum eſt: quia tamen ſpiritus in quibus phantaſmata quieſcunt, localiter mouere poteſt, eos intellectui obicit: Nã ſicut Philoſophus de Som. & uigi. teſtatur, ubi apparitionũ & ſomniũ cauſas deſignat, cũ dormit animal, deſcẽdẽte plurimo ſanguine ad principium ſenſitiuum, ideſt ſenſum communem, ſimul deſcendunt motus, ſiue impreſsiones relictæ ex ſenſibilium motionibus, cõſeruatę in virtutibus ſenſibilibus interioribus, ideſt in phantaſia, quo ad ſenſata vel phantaſmata; & in cogitatiua quo ad non ſenſata, ſicut inimicitiam, quam ouis in lupo non ſenſu, ſed cogitatiua nouit: & ſic res videntur in ſomno ac ſi præſentes forent: quod autem fit locali motu animali, longe magis dæmon poſſet efficere. Quantũ ad ſenſus vero interiores, eadẽ eſt ratio: quia nõ poteſt intellectui quicquam oſtendere, niſi phantaſiæ quoq;, cõſequẽter autẽ & æſtimatiuę oſtendatur, cũ intellectus nihil in via, niſi in phãtaſmatibus intelligat, vt experimur, & 3. lib. de Anima Philoſophus aſtruit. Quantũ ad ſenſum vero exteriorẽ attinet, id liquet: quia dæmon dictã motionẽ & viſionẽ phantaſmatũ nõ modo in dormiẽtibus (vt etiã natura ipſa) verumetiã & in vigilãtibus poteſt efficere: & hoc ſua naturali uirtute, cũ etiã ipſe homo vigilãs hoc poſsit, ut ex uiſis & ſenſatis prius ſibi phantaſmatũ idola formet ad placitũ, & phãtaſtica ui ſibi effingat quod lubet, & tanta tamque uehemens eiuſce motio & impreſsio eſſe poteſt, ut ad ſenſus uſq; exteriores eiuſmodi idola pertingere uideantur, quẽadmodum in phreneticis uidere licet. Igitur amorem ſenſualem dęmones inducere efficaciſsime poſſunt: Primo interius cõcupiſcẽtiã inflammãdo, eo modo qui in lib. primo dictus eſt. Secũdo uiſibiliter ſuadẽdo, vel oſtẽſa ſpecie formoſa alliciendo. Tertio etiam inuiſibiliter & ſuadendo, & alliciendo per oſtenſionem phantaſmatum: quod quidẽ aliquando ſine ademptione naturalis luminis, vel vſus rationis faciunt, vt in ſponte amantibus, immo quid ament eligẽtibus. Quandoque vero rationis lumine penitus ligato, quod vinum, & humores etiam faciunt, vt in ebrijs & phreneticis, & longe magis dæmon: & eo caſu tales dicuntur arreptitij, quod ſcilicet ab altiori natura corripiantur. Et quidem hoc interdum ſine maleficio facit. ut enim philoſophus vbi

iam

iam profitetur,qui in paſsione eſt a modica ſimilitudine vel amati,vel oditi mouetur. Vnde perfidus dæmon, cui hominum paſsiones notæ ſunt,quod corporeæ ſunt,& ex actibus probantur, paſsiones aut concitans,aut concitatis abutens,tunc hominem oſtendendo,& ſuadẽdo, & alliciendo pro viribus in amorem pellit. Cum maleficio vero,quando eiuſmodi ad maleficarum preces, & carminæ pacto explicito, vel implicito molitur: quod quam crebro fiat,experientia docuerit, qua teſte mariti pulcherrimis & nobilibus coniugibus poſtergatis, turpiſsimas, & viliſsimas inſequuntur, & impetunt. Authores Mal. male. in hæc referunt. Vetulam tres ſucceſsiue abbates dementaſſe,fama publica apud omnes monachos teſte,nouimus, licet contra eam procedere non vacarit: & quartum iam ſimiliter dementaſſe,quod & ipſa publice fatetur,nec dicere veretur; Feci, facio,& olim faciã,nec a meo amore deſiſtere poterunt: quippe qui tantum de meis ſtercoribus (protẽſo brachio quantitatem oſtentans) comederunt. Sed & de monacho necromantico peregrino in Dia.Greg.refert,quod virginem ſanctimonialem adeo in ſui amorem arte diabolica concitarit, vt ſe morituram pene clamaret,niſi dicti monachi viſitationẽ meruiſſet:quem ideo etiã de monaſterio fratrum exploſerunt. Nec tamen prędictis aliquatenus obſtare poteſt, quod ſi diabolus ad amorem malum poſſet inducere, poſſet ipſas malas cogitationes agnoſcere: cum omne agens a propoſito,effectum ſuum norit. Dico enim,quod agens a propoſito cognoſcit effectum ſuum,cuius eſt cauſa ſufficiens, etiam certa notitia: non autem cuius eſt cauſa accedente libero arbitrio alterius,ſed coniectaliter tantum,& ita eſt in propoſito:vnde & ſi diabolus certe nouit amorem inſpiratum ſenſibus, nõ tamen inſpiratum voluntati ſuaſione vel alio ſimili modo,niſi ipſe amor ſeipſum aliter prodat.

Punctum ſecundũ. Virtutis generatiuæ opus ſicut prouocare dæmonis auxilio,ita & impedire haud dubio ſtrigimagę poſſunt.Neq; enim in hoc dubium eſſe poteſt,cũ probarimus maleficiũ circa vſum matrimonij eſſe in rerũ natura,ut patet per omnia iura de fri.& male.& 33. q.8.Si per ſortiarias: quibus ratio ſuffragatur; quia cũ id homines herbis & uenenis poſsint, hoc negare a dæmone,cuius poteſtas maior eſt, inſanire eſt.De modo tamẽ quo tale maleficium procurari poteſt,aduertere neceſſe eſt. Impedit ergo & ex parte potentiarum animæ, & itidem ex parte corporis: de quo non minus obiter, quam ſapienter Petrus de Pal.in hanc ſententiam loquitur. Cum dæmon ex eo ꝙ ſpiritus eſt,ſuper corporea natura quantũ ad localem motũ, aut explendum,aut uetandũ dominetur. Primo quidẽ corpora maſculi & feminæ ne inuicẽ propinquent efficere poteſt directe,vel ẽt indirecte ſe in aſſumpto corpore interponẽdo:ſicut de eo iuuene dictũ eſt,qui & ido

lum

lum, & iuuentulam deſponſarat, quam ideo cognoſcere nequibat, ſe in eiuſmodi corpore dæmone interponente. Secundo quoque hominem ad actum venereum aut inflammare, aut infrigidare, naturalibus actiuis admotis. Tertio imaginationem & æſtimationem turbare, ac perinde mulierem, aut dilectam, aut ingratam reddere. Quarto membri rigorem & impedire, & abolere, ſpiritibus localiter motis, aut etiam remotis. Et quinto locali eodem ſpirituum aut aliorum corporum motu ſpermatum vias intercludere, ne excidantur uel emittãtur. Plura autem, inquit, ſuper eo actu quo primum peccatum traducitur, quam ſuper aliis Deus permittit: quod & doctores omnes firmarunt. Quæ autem de viro dicta ſunt, de muliere quoque reſpectiue, ideſt modo ſibi conuenienti, intelligantur oportet. Cur vero plures viri maleficiis ſubiaceant, quam mulieres; ideo eſt, vel quia id, quãtum ad talem actum, facilius fit in uiro, cuius meatus facilius obturantur, & qui membri rigore poſito, nihil poteſt, & eiuſmodi: uel ideo eſt, quia plures maleficæ ſunt mulieres, & plus conantur uiros inficere, quam mulieres, ut adulterandi occaſio utrinque præſtetur. Et hæc quidem de modo quo iſta interius efficiunt ſtrigimagæ. Exterius vero id per imagines uel characteres, aut ſerpentes interdum efficiunt, aut herbarum comeſtu, aut teſticulorum galli: his tamen ſemper accedente dæmonum cooperatione, qua & eiuſmodi ſtrigimagæ colludant, dum aut coitum, aut partum euacuare nituntur. Nider in Form. Quidam maleficus, cui nomen fuit Stadhin, in dioeceſi Lauſanenſi captus, faſſus eſt, ſe in domo quapiam in vxoris domini ventre ſeptem filios per aborſum enecaſſe, & in omnibus eius pecoribus ac iumentis ſimile perpetraſſe, quorum nullum in annis eiſdem partum viuum ediderit; & per quæſtiones de modo interrogatus, reſpondit, ſe ſub limine oſtii domus locaſſe ſerpentem, qui ſi amoueretur, rediret ex templo fœcunditas. Sublatis ergo pulueribus, iam enim aberat ſerpens in eos reſolutus, eodem anno & vxori, & iumentis fœcũditas reddita eſt. Quid ſimile meo tempore in agro Bononienſi (villam taceam expedit) circa annum ſalutis Milleſimum quingenteſimũ quartum, actum eſt. Religioſus quiſpiam, ſed magus, ex his ſcilicet quibus nullus eſt peior: quippe qui in monaſterio defecerat (religionem tacebo) æſtiuis caloribus hoſpitium in via ad Mutinam intrarat, hoſpite obeſo valde, & prægrandi corpore, refocillandus. Qui oblatis crudis oleribus, vt bene condirentur orauit, dicens Italico vulgari idiomate. Vnzela ben, che ti pagherò. Et refocillatus, ſub limine loci cedulam recondens, abiit: Cumque hoſpitis filia virgo paruula locum, ut menſam reponeret, intraſſet, repente furere cœpit, & nudata penitus ſaltare crebro dicens. Vnzela ben, che ti pagherò: quod mater aduer-

tens

tens affectu materno & ipſa incaute, & celeriter intrans, ſtatim ſimiliter nudata ſaltare, & eadem uerba cantare cœpit. Quæ ad horas ſic alienatæ manſerunt, tota villa ſpectante, donec miſer ille obuio cuipiam in itinere eodem, rem propalauit, & vt cedulam, cum illuc ueniſſet, amoueret, orauit. Qua remota, cum ad camiſias ambæ rediuiſſent, filia vt erat velocior, camiſiam matris caſu præoccupans, fugit: mater vero ſequens eam, quæ filię paruulæ erat, ſubſtulit, in eamq; caput & humeros tulit, ſed ut arctam ad pudenda uſque tegenda immittere corpori nequiuit, uerum ſic ex ſuperiori parte tecta, ex inferiori nuda velut amēs aufugit. Quod autem medio dęmone circa nudationem publicam mulierum actum eſt, etiam circa venerea agi potuit. Adducerem infinita ad inſtitutum præſens quæ modo ſuccurrunt, & libros complent, niſi ſuperfluum id putaſſem. Præter inſtitutum vero, pro inſtituto tamen, quædam altius repetuntur. Si interroget quis, cur dictus actus reſpectu vnius, & non reſpectu alterius mulieris interdum præpediatur: diuus Bona. reſpondet, ideo eſſe, aut quia maleficus reſpectu determinatæ perſonæ diabolum aſciuit, aut quia Deus reſpectu perſonæ cuiuſlibet impedire vetauit, cuius occultum iudicium hic latet, vt liquet de vxore Tobiæ. Et ſi de modo quæratur, reſpondet quod generatiuam impedit, non quidem interius lędendo organū, ſed exterius vetando vſum: vnde quia artificiale, & non naturale, impedimentum eſt, impedire ad vnam poteſt, minime impediendo ad alias, vel tollendo excitationem concupiſcentię ad vnam, nō ad alias: & hoc quidem aut propria virtute, aut herba, aut lapide, vel per occultam aliquam naturam. Quod vero ex naturali frigiditate & maleficio eiuſmodi impedimenta proueniunt apud Hoſtien. in Sum. ſignum quod ex natura ſit, virga eſt, ſi nunquam erigitur: quod veró ex maleficio, ſi erigitur quidem, verum proficere nequit.

Punctum tertium. Circa virilia membra ſtrigimagas miranda quædam operari, debet dubium eſſe nulli, vt ex viſis & dictis plurimorum liquet, ac perinde fama publica, adeo vt quidam aut præſtigioſe, aut veraciter genitali membro priuati cernantur. Nam authoribus magiſtro Henri. Inſtit. & ſocio. ſecunda par. q. 1. cap. 7. Mal. male. In oppido Rauenſpurg. iuuenis qui iuuenculę hęſerat, volens eam relinquere, membrum virile, vt videbatur omnino perdidit. Cum vero triſtis cellarium, vinum empturus, adiuiſſet, ſuperuenienti cuidam mulieri cauſam triſtitiæ apperuit, & effectum ipſi requirenti monſtrauit, necnon quod talem maleficam ſuſpectā in negocio haberet. Cui mulier: Aut per beneuolentiam, aut per violentiam eam ad te ſanandum inducas oportet. Qui obſeruato tempore in noctis crepuſculo, opportuno loco eam comprehendens, vbi non valuere preces, iniecto ad col

lum

lum panniculo lineo nõ valentem clamare, pene ad mortem ſtrinxit, donec ea ſpondente, ſanitatem alleuiauit, quæ tactu manus inter femora ſanauit: quod & ille quodam, vt ita dicam naturæ ſenſu, ante quam aut viſu, aut tactu cognouit. Authoribus vero eiſdem, pater quidam religione & doctrina venerandus in Conuentu noſtro Spirenſi in hanc ſententiam ſæpe retulit. Iuuenis quidam inter confeſsionis ſacrę verba, virile membrum lamentabiliter verbis & opere ſe perdidiſſe monſtrauit. Cui cum ſtrigimagam quandam, etſi diſtantem: tamen in hoc ſuſpectam adire iuſsiſſet, & blande rogare vt ſe ſanaret, ſanus & membro integer rediјt, gratias agens & verbis, & re ipſa quod verum erat, aſtruxit. Cum ergo iſta eſſe dubium minime ſit, an in ſenſibus hominum, vel in re ipſa ita ſit & dubium, & perſcrutandum eſt. Et quidem quibuſdam videri poſſet, quod per dæmonis poteſtatem ita vere & non illuſorie ſit: Tum quia maiora poſſunt dæmones, vt homines occidere, vt patet de filijs Iob, & ſeptem viris vxoris Tobiæ: Tum quia poteſt alias infirmitates immittere, vt primo libro oſtẽſum eſt, & oſtendetur in poſterum: ergo & eam, quæ circa genitalia ſit, circa quæ plura Deus permittit, quam circa alia membra: Tum quia Gen. 19. potuit maius, vxorem ſcilicet Lot ſecundum gloſſam, ſodomitico vitio infectam, vertere in ſtatuam ſalis ueram, quippe quæ etiã hodie cernitur: Tum quia poteſt naturales formas inducere, vt in magis patuit Pharaonis: ergo etiam eas auferre poteſt. Verum ſi quid iſta probant, de poſſe vtiq;, non de facto probant. In facto vero nequaquã ita eſſe, vel ex hoc liquet, quod eiuſmodi membra maleficæ reſtituere nequirent quacunq; diabolica poteſtate: alioquin non eſſet diuinum miraculũ, conſequenter nec reſtitutio nedum viſus, verumetiã oculorum, ſicut nec reſtituere genitale: quod eſt inſanire. Pręſtigioſe ergo iſta faciunt: quod qualiter eſſe poſsit, efferamus. Præſtigium igitur ſecundum Iſid. 8. Etym. c. 9. aliud eſt nihil, quã ſenſuum deluſio quædã, & oculorũ præſertim: vnde & a perſtringo dicitur, quod aciẽ oculorũ perſtringit adeo, vt res videãtur aliter eſſe, quã ſint: Et vt Alexã. de Al. parte 2. addit Præſtigiũ proprie ſumptum, dęmonis illuſio eſt, quę ex parte mutationis rei cauſam nõ habet, verũ ſolũ ex parte cognoſcẽtis, qui illuditur, ſiue quantum ad interiores ſenſus, ſiue rurſus etiam quãtum ad exteriores: adde tamen, quod etiam præſente re exteriore aliter tamen uiſa, quam ſit, præſtigium eſt. Igitur ſi non dæmonis modo, verum etiam hominis artem præſtigioſam noſtro ſermone claudamus, tribus modis illuſio præſtigioſa conficitur: & imprimis quidem manuum, cum velocitate, tum etiam dexteritate, nulla dæmonis arte iuuante: ſicut in traiectionibus ioculatores faciunt, oſtendendo & occultando quædam: ſicut ex ore hominis educunt interdum vnũ, quod

intruſerant, puta, magnum pomum: cum tamen putent homines eos intruſiſſe paruam fabellam, quam nō intruſerant, ſed eius loco pomū ſuppoſuerant clanculo. Deinde quoque etiam ſine diabolica virtute per naturalia actiua, veluti apud diuum Thomam. 1. q. 114. artic. 4. & apud multos alios: herba quædam ſuccenſa, ac fumigans, ut trabes ſerpentes videantur, facit. Demum vero fit dæmonis arte per motum localem corporum vel ſpirituum corporalium, in quibus ſpecies ſenſatæ continentur, quod eum poſſe libro primo oſtenſum eſt. Igitur multipliciter dæmon homini poteſt illudere, ut res uideatur aliter eſſe, quam ſit. Primo quidem artificiali traiectione longe melius quā homo. Secundo per rerum naturalium admotionem, etiam longe melius quam homo. Tertio exterius in aſſumpto corpore oſtendendo eſſe, quod non eſt: ſicut moniali apud Gregorium in Dial. ſe in lactucæ forma præſtitit: & Antonio in ſpecie maſſæ auri, & crebro etiam verum hominem aſſumpto aliquo corpore tegit, vt videatur equus, aut brutum quodcunque, ut capitulo ſequenti deducetur. Quarto turbato organo viſus, ut res clara, nubiloſa videatur, aut econtra: & vetula, iuuenis uideatur, & econtra: nam & poſt fletum oculo turbato, aliter lumen uidetur quam antea videri poſſet, quod & in organis aliorum ſenſuum accidit: ueluti infecta colera lingua, dulcia, amara videntur: & poſt eſum ſucchari dulce vinum, mordax & acutum uidetur. Vltimo per localem motum ſpirituum & phantaſmatum ad imaginatiuam ſenſumque communem: quo fit vt etiam ſenſibus exterioribus videatur nobis, quod noua percipiamus. Sicut etiam phreneticis, melancholicis, maniacis, & quibuſdam ebriis ſolet accidere, qui nequeunt diſcernere & diiudicare. Sic ergo pateat facile eſſe dæmoni uirile membrum occultare, modo velit, multis ex dictis modis, præſertim formata ſpecie humani ventris ſine priapo, eamq; priapo ipſi ſupraponendo. Cæterum, pro completiore doctrina & dictorum explanatione clariore, multa dicenda uideo. Primum. An dæmones hominū ſenſus eludere indiſcrete poſſint: Quibuſdam videtur quod non, ſed eorum tantum qui ſine Dei gratia uiuunt. Nam ex uerbis beati Antonii liquet, mentem aut animam alicuius, dæmonem inuadere non poſſe per pœnam, niſi primo ſit deſtituta ſanctis cogitationibus, & ſpirituali contemplatione vacuata. Vnde & Iob. 6. dicitur, quod qui libidini deſeruiūt, in eos diabolus accipit poteſtatē. Inde etiā eſt, quod dæmon, in vitis Patrū, ludificās homines circa puellam, quę equa videbatur, & ipſam puellā, quod ſacramēta rite non ſuſcipiebat (vt ibi dicitur) ſanctū tamē Machariū ludificare nequiuit, quin puellā, nō equā videret. Igitur in rebus fortunæ exterioribus, & corporis ſanitate dęmon hominē poteſt malis afficere, vt patuit in Iob: tamē ſicut in

cut in peccata,ita & in eiuſmodi illuſiones homines Deo gratos impel lere nõ poteſt, quaſi eorũ ſenſus dęmones illudãt,vt habeant ſua mẽbra,quæ tamen videre nequeant, vel eiuſmodi. Secundum. Etſi dæmon id nequeat in ſenſibus ſanctorum circa ſanctorum membra, hoc tamen poſſe a multis creditur in eis circa membra aliena: non enim in hoc tam grande malum eſt ſanctorum,ſicut in caſu priore: vbi priuarentur uere uel apparenter ſuo membro,quod libidini non ſeruit. Circa hoc tamen nihil certi ego compertum habeo. Tertium. Ex ſtrigimagis quaſdam,experientia teſte,compertum eſt,copioſo interdũ numero ad viginti ſcilicet, & triginta huiuſmodi genitalia membra ad ſcrinium,aut nidos auium arte dæmonum congeſsiſſe: vbi & quaſi viuentia membra ſe mouerent. Mal.male.2.par.q.1.cap.7.authore magiſtro Henri.Inſti.& ſocio,quidam in hanc ſententiã retulit. Dum genitale membrum perdidiſſem, & maleficam inſtantius pro mea ſanitate rogarem: illam, inquit,arborem ad nidum illum conſcende, & ex plurimis,quæ ibi ſunt,illud quod maius accipe. Cum magnum vnum ſubripere molirer,illud mitte,inquit,malefica:attinet enim vni ex plebanis. Quid ergo de his ſentiendum dicemus, niſi quod a dæmonibus aliquo ex dictis modis præſtigioſe fiunt. Non tamen credendum puto,quod id eo modo agant,quaſi formatis talibus corporibus,ea dęmones aſſumant,eo modo, quo ſumpto humano corpore cũ maleficis & colloquuntur,& coutuntur: facilius enim illud poſſunt deductis phãtaſmatibus ad ſenſus. Quare autem eo modo non vtitur, cum maleficas alloquitur,id dicẽdum eſt,quod eodem vteretur,ſi aliud vellet nihil,niſi maleficę ſe oſtẽdere in ſpecie humana,ſicut in dicto caſu aliud vult nihil,quam oſtendere illa membra: modo vero quia altiora inten dit vt loqui,conueſci,ſaltare,coire, & eiuſmodi: ideo in aſſumpto corpore operari oportet, ſicut & eſſe præſentem: quippe qui ubi operatur, ibi eſt: quamquam & iſta in ſenſibus tantum perfici poſſent ſine exteriori corpore; ſed eo caſu non eſſet aut incubus,aut ſuccubus vere,contra determinata,ſed apparenter dumtaxat. Quartum. Si per ſeipſum dæmon virile membrum demat (quod vtique poteſt,ſi permittatur) & non per maleficam,plurimum inter hanc & illam ademptionem interſit oportet: Tum quia hic veraciter auferretur, & veraciter redderetur,ſi redderetur: Tum quia id hic cum dolore eſſet,non ibi: ſicut hic eſt læſio diſcontinuatiua, non ibi: Tum etiam, quia hic nunquam niſi inuito dæmone fieret, alioquin quomodo ipſe ſpõte ſibi tantum lucrum, quod per illud membrum conquirit, amputaret. Quintum. Qua vero ratione ſciri poteſt, quod apparenter per maleficam dæmonis arte,aut ueraciter per dæmonem ſolum adimatur virile membrum,Deo volente,id uidetur dicendum imprimis, quod cũ

eiuſmodi mutilati, ſint viri lubrici,cōiectaliter id deprehendet,ſi amaſiam voluit deſerere:quia eiuſmodi feminæ in vindictam talia per maleficas inferre conſueuerunt: quod ſi nihil irritamenti apud illam inuenerit,cōiectura eſt,quod Deus peccatis eius viam præcludere voluit. Deinde vero ſi aliquando redierit, ſignum eſt id ex maleficio fuiſſe: quamquam non ſit natura maleficij eſſe temporale, vt experientia & canoniſtæ ac theologi docent; ſed quædam poſſunt eſſe perpetua.

Punctum quartum.Dæmonis per ſtrigimagas maleficium circa venerea non modo ad illud extenditur vt impediatur coitus; uerumetiā apud canoniſtas,ut impediatur conceptio fœtus, quæ ſi non impeditur, per aborſum natiuitas impediatur, quę ſi impediri nequeat, in natiuitate per ſtrigimagas obſtetrices uoretur, aut extinguatur, aut ſaltem dæmoni natus offeratur. Et quidem de impedimento conceptus,aut abortione non eſt dubium: quippe cum etiam per actiua naturalia id plerumque etiam modo maleficæ faciāt, herbis aromatibus, ac alijs actiuis naturalibus. Quod vero contra naturæ humanæ conſuetudinem,immo cōtra omnium beſtiarum morem, lupis dumtaxat exceptis,infantes uorēt, & comedant:authore Henri.Inſti.Mal.male. 1.par.q. 11. quidam ex ordine noſtro eius ſocius Cumanus inquiſitor, teſtis eſt:quippe qui hac de cauſa ſe ab incolis commitatus Burbiæ aduocatum aſtruxit inquirendi gratia; quod quidam qui ex cunis puerum perdidiſſet, explorando conuenticulum mulierum tempore nocturno, infantem occidi, & liquore ebibito uorari deprehendit: vnde & anno vno,ut etiam ſupra dictum eſt, quadraginta & unam ex ſtrigimagarum genere ignibus aſſumpſit: nonnullis alijs ad terras Sigiſmūdi Ducis Auſtriæ commigrantibus.Accedunt pro firmitate horū quædam ſcripta Nider in ſuo Form. quibus eiuſmodi credibilia reddūtur. Accedunt & ſtrigimagarum pænitentium teſtimonia,quod ſcilicet fidei catholicæ nemo ex ſuo genere magis, quam obſtetrices officiant, quæ vbi pueros non interimunt, quaſi aliquid acturæ extra cameram puerum ferunt, & eleuatum in aere dæmoni ſacrificium offerunt. Pro iam dictis tamen multa uel obiter dicere placet,quo plenius quoquomodo interimant pueros, & offerendo execrent, noſſe liceat.

Primum. Authore Henrico Inſtito.& Socio; Mal.male.2.par. q.1. cap.13.in diœceſi Argētina oppido Zabernio, honeſta & beatę Virgini plurimū deuota mulier hoſpita publica ſub aquilæ nigræ ſigno, ad ſe crebro aduentantibus in hanc ſententiam retulit.Vbi a viro meo imprægnatę mihi tempus partus pene aduenit,infamem mulierem ſeſe mihi obſtetricem ſpondentem,bonis verbis a me dimiſi, aliamque mihi ad id muneris tempore partus aſciui.Euolutis vix diebus octo,illa repulſa,indignata,noctu marito in alia camera dormiente,meam ca

meram

meram duabus hincinde comitata mulieribus ingreſſa (diabolus enim portas ad libitum referat) ad lectum ſtetit, volentiq; mihi clamoribus excitare, & aduocare coniugem, ita vires ex omnibus membris defecere, vt ne loqui vel ſubmiſſe potuiſſem, auditu tantum & viſu vigebã. Tum illa in medio duarum ſtans; ecce, inquit, hæc mulierum omnium peſsima, quia me in obſtetricem recipere noluit, luet pœnas, nec immunis euadet. Supplicantibus vero comitibus eius pro me, dicendo quod nulli vnquã ſui generis nocuiſſem, ſubintulit illa: inteſtinis eius aliqua immittere ſtatui, veſtri tamen gratia, ante elapſum annum medium non excruciabitur. Cum ergo ventrem meum manu palpaſſet, mihi videbatur quod inteſtinis ſublatis immitteret quædam, quæ tamen videre nequiui. Cum autem abeuntibus illis, viribus receptis, maritus clamoribus excitus aduenißet, & vna filius, archidiaconus tunc ruralis, verbis meis fidem minime habuerunt, aſcribentes omnia puerperio, quod ex eo feminæ phantaſijs crucientur. Quibus de ſpacio ſex menſium futurum veritatis ſignum dedi, quo euoluto ſtatim adeo cruciari cœpi, vt a clamoribus nocte aut die cum omnium inquietudine abſtinere nequirem. Credidit tamen ſe beatæ Virginis auxilio, cui ſingulis ſabbathis ieiuniũ panis & aquæ ſoluebat, liberandam. Quadam igitur die opus naturæ cum expleret, omnẽ ſimul ſtrigimagæ immunditiam egeſsit, & aduocato marito ac filio, an illa eſſent puerperij phãtaſmata oſtendit, roſarum ſcilicet ſpinas, oſſa, & uarij generis ligna.

Secundum. Authoribus eiſdem, In Baſilienſi diœceſi, in oppido Damni; quædam incineranda profeſſa eſt ultra quadraginta pueros ſe hoc modo necaſſe, quod cum vterum exibant, acum in caput per uerticem uſque ad cerebrum infixerat. Alia uero in diœceſi Argentinenſi, ſe pueros adeo multos necaſſe faſſa eſt, quod numerum ſcire nequiret: hac uero occaſione deprehenſa eſt. Cum enim ex quodã oppido, quo obſtetricandi gratia ſe contulerat, rediret, ad portam caſu lapſa eſt: & ex eius panniculo brachium pueruli lapſum apparuit: itaq; detenta, & conſtito quod puer ante baptiſmum interijſſent, & ſine altero brachio eſſet, quæſtionibus expoſita, omnia cantauit: & ignibus ſuffragantibus interijt. Tertium. Hoc quoque horrendum facinus in deteſtationem criminis ſtrigimagarum minime tacendum eſt: ubi enim iſta monſtra pueros naſcentes non interimunt, in ſacrificiũ ſatanæ & eius angelis eleuatos ſuper ignem curant immolare. Authoribus qui ſupra in loco præalleg. quidam ſic retulit. Vxorem ſuam partus tempore, cũ præter omnem puerperarum morem animaduertiſſet, nullius mulieris ingreſſum permittere, niſi filię ſolius obſtetricis officium gerentis: eiuſce rei cauſam experiri uolens, opportuno tempore & loco latitauit, uiditque dicti ſacrificij ritum, quod ſcilicet ad inuocationem dæmonũ

per

per uerba horrenda infans nullo humano auxilio fultus per appendiculũ,quo ad ignẽ ollæ ſuſpenduntur,diabolo ferente,eleuabatur. Qui territus,puerulum ſtatim baptizari iuſsit,& in ponte fluuij,quo ad baptiſma ibatur, obuians filiæ,quæ puerum in medio duarum feminarũ duobus uiris rei conſcijs comitantibus,portabat,exempto enſe in eam irruit in hæc uerba. Nolo infantem per pontem deferas: Aut enim per ſe pontem euadet,aut tu immergeris in fluuium. Territa illa a comitãtibus mulieribus rem ignorantibus,quæſiuit, an pater compos mentis eſſet. At ille: Peſsima feminarum,inquit, quæ tua arte magica puerũ ſcandere appendiculum feciſti,ut etiam nullo deferente pontem tranſeat,facito,aut ſubmergeris. Coacta,poſito puero,& dæmone arte ſua inuocato,ſubito vltra pontem cernitur infans. O miſeram,quæ dæmonem deferentem puerum habere potuit, deferẽtem vero ſe habere aut non potuit,aut neſciuit. Baptizato puero, cum iam pater maleficium hoc filiæ per duos viros probare poſſet,ſacrificium vero diabolo factũ probare non poſſet,per iudicem peracto tempore purgationis, filiam vna cum matre delatam, ignibus adiecit. Quartum. Illa vero ſacrilega ſacrificij oblatio,quid operetur in puero, vnde gaudere poſsit impius dæmon? dico e multis pauca, quod ſcilicet diabolus diuino honore tunc in ſacrificij oblatione lætetur: & quod talis proles,experientia teſte, magis diabolicis infeſtationibus ſubiaceat, & in maleficia pronior ſit, maxime ſi a parentibus offeratur, qui in prole puniuntur.

Morbos omnes per ſtrigimagas a dæmonibus hominibus, ac iumentis, & terræ naſcentibus læſiones ueraciter inferri.

CAP. VII.

QVIA uero iam liquet ex his, quonam modo dæmones per ſtrigimagas hominibus in generationis actu importuni inſidietur; cõſequẽs etiam eſt, ut quonam etiam modo cęteros morbos inferre poſſint & inferant,& hominibus & iumentis,necnon arboribus,& generaliter plantis læſionem, detegamus: quod equidem multis punctis abſoluemus.

Punctum primum. Omne morborum genus dęmones per ſtrigimagas hominibus permittente Deo inferre poſſunt: unde & leproſos interdum & epilenticos homines reddidiſſe legũtur. Quicquid enim per actiua naturalia inferiora in eſſe adduci poteſt,hoc totũ dęmones poſſe, iam ex his quę lib. primo ſcripta ſunt,liquet; cum locali motu omnia eiuſmodi ſuis paſsiuis ad effectus educendos admouere poſsint: ſed omne genus infirmitatis per aliquod actiuum naturale inferius inducitur, & non modo induci poteſt: non enim ex influxu ſyderum ſolo, imme-

immediate morbos homines patiuntur:cum omne agens naturale,experientia teſte, prius in vicinum agat,quam in diſtans: & conſequenter prius in medium, quam in extremum, niſi effectum ſuum inducat in inſtanti: ſicut ſol ad certam diſtantiam ſimul illuminat propinquã & remotam partem. Omne ergo infirmitatis genus homini dæmon inferre poteſt ſe ſolo, & conſequenter per maleficas: quia ille eiuſmodi effectus non efficiunt ſemper,ſed diabolus ab eis inuocatus propter explicitum, vel implicitum pactum. Præterea,idem per Iſidorũ patet maleficarum opera deſcribentem.8.Etym.ca.9. Malefici dicuntur,inquit,ob facinorum magnitudinem. Hi enim elementa cõcutiũt, ſcilicet opere dæmonum ad tempeſtates concitandas, mentes hominũ turbant,modis videlicet ſupra tactis: vſum rationis vel omnino impediendo,vel grauiter offuſcando. Et ſubdit.Et abſque vllo veneni hauſtu violentia tantum carminis animas interimunt: intellige nõ per carmina, ſed per dæmones, dum ille carminant,cooperantes. Præterea, idem tenuit S. Tho. 2. diſt. 5. 6. 7. & 8. & communiter theologi omnes ibi ſcribẽtes: & id indubie ſentientes,quod hominibus obeſſe poſſit in corpore,prole,iumentis, & reliquis bonis: quæ omnia in Iob recepta licentia ſe poſſe facere, diabolus probauit, & in ſeptem maritis Sarræ vxoris Tobiæ. Immo & in fama, ſicut teſte Io. An.in Hieronymiano. Diabolus in forma ſancti Siluani epiſcopi Nazareth,turpiter nobilem matronam ſollicitauit. De priuatione quoque vſus rationis, arreptitij teſtantur.Auctor eſt Sigibertus,& Vincen.in Spe.lib.27. Tempore Ludouici II. Imperatoris;in agro Maguntino,dæmon quidam imprimis quidem domos ſaxis quaſi malleis percuſsit,dehinc publice loquendo & oſtendendo furta,& perinde ferẽdo diſcordias,plures turbauit: tandem omnes contra vnum irritans, eiuſque hoſpitium vbicunque maneret incendens, eum pro hoſpitio agros habere cõpulit, ac presbyterorum hac de cauſa letanias celebrantium,multos lapidibus cruentauit. nec ante triennium elapſum iſta quieuere. Cæterũ ad prædicta dubiolum ſupereſt. Cur enim maleficium aſcribetur ſtrigimagæ, ſi dæmon ſolus efficit illud? Dico effectum ipſi ſoli dæmoni aſcribi: non enim ſi ſtrigimaga ſcopa aquam ad aera ſpargat, hoc ad ſequentem inde pluuiam aliquid efficeret, aut ſi imagini cereæ infixa acu crucietur maleficiatus,illa infixio acus quicquam ad cruciatũ operatur,cum vtrumq; ſtrigimagæ vires exuperet: ſed vtrumque dæmon efficit propter explicitum, aut implicitum cum ſtrigimaga pactum; Culpa tamen, & reatus ex hoc effectu vtique vtrique aſcribitur, dæmoni ſcilicet,& ſtrigimagæ: quia vtriuſque voluntas in illud coit, illius operando, iſtius conſentiendo, & obſecrando.

Punctum ſecundum. Quia vero quid circa morbos dæmon impius

poſsit,

poſsit,iam ſatis ex dictis in primo lib.& hic cōſtat: iam quid circa hoc practicet hiſtorialiter libet reſerare,authore Henr. Inſti.2.par.q.1.c.12. Mal. male. qui,quod inquireret contra ſtrigimagas,multa iuridice deprehendit. Eo tempore quo (inquit) in oppido Iſpruck,contra maleficas inquirebatur,honeſta quędam matrona tabellione aſtante,ſub ſuo iureiurando in hęc uerba depoſuit. Cum in ſtatu uirginali cuidam dominę inſeruirem,cuius capitis dolorem malefica quędam mitigare conabatur, uidi aquam ſcutellę infuſam, contra naturam inde in ollam aſcēdere, & maleficę indignata dixi, me nō intelligere quid faceret,cū nihil,niſi ſuperſtitioſa, & quę ad mitigationem doloris nihil attinerēt, uiderem. At illa;tertia, inquit, die ſenties an ſuperſtitioſa ſint. Igitur die tertia,cum mane fuſum apprehendiſſem, tantus me dolor ſubito corripuit,primo in omni interiori parte corporis,deinde in capite,adeo ut mihi uiderentur iugiter igniti carbones imponi, demum in corporis cute tota: ſic ut nec ſpacium ad inſtar puncti acus eſſet, in quo puſtula alba ſanie plena non cerneretur,adeo ut diebus quattuor his doloribus agitata,eiulando, & mortem in remedium aduocando, omnes uicinos perturbarim. Tandem me dominę maritus (qui ut fama erat, maleficam adulterio procabat) a malefica (ut creditur) habito conſilio,me ſtabulum quoddam intrare iuſsit,ac in ipſo introitu petram albam iacentem & tollere, & enodare: quod ut potui,cum feciſſem, in ea quędam grana,quę nec edere,nec uidere poſſe conſueueram,& ſerpentum ac brutorum oſſa,nec non grana quędam ad inſtar puſtularū mearum alba intuita ſum:quę omnia,ut domini mei iuſſu ignibus abſumpſi, non quidem poſt horę aut quartę partis horę ſpaciolum, ſed repente & ſtatim ſanitatem priſtinam nacta ſum. In eodem quoque oppido,alia honeſta matrona iuridice in hanc formam depoſuit. Cum in hortum meum ex vicino horto talis vicinæ meæ tranſitum cū damno meo fieri conſpexiſſem,& de hoc apud me ſubmurmurarem, repē te vicina illa aſtitit,& an illam ſuſpectam haberem,requiſiuit. Territa ego,quod malæ famæ eſſet,hoc tantum reſpondi,quod greſſus per gramina iacturam indicabant,illaque indignata,forte quod ad vota eius, iurgijs cum ea me miſcere nolebam,ſubmurmurans,& neſcio quid infrendens,abſceſsit. Poſt paucos dies me, dirus internorum dolor arripuit, & in lateribus hincinde punctiones duæ contrapugnantes, adeo vt die noctuque vicinis forem clamoribus moleſtiſsima.Cumque multi viſitationis & condolendi gratia iugiter confluerent, figulus quidā, qui dicta vicina malefica adulterans abutebatur,poſt cōſolatoria verba diſcedens, die ſequenti feſtiuus regreſſus, quod noſſet an mihi ex maleficio infirmitas eueniſſet, conſequenter autem quid remedij eſſet,indicauit, atque ubi in aquam ſupra corpus meum plumbū liquefactum

factum infudiſſet: inſpectis quæ reſultabant imaginibus, ex maleficio (inquit) morbus eſt, cuius pars ſub limine domus latitat. Cumque ibi reperta eſſet imago cerea tota confoſſa cum duabus acubus ad latera hincinde ad inſtar earum, quas ferebam punctionum, & nõnulla panniculis inuoluta, & omnia in ignem conie cta eſſent, repente abeuntibus doloribus, conualui; licet non plene, quod ſcilicet totum maleficiũ veſtigare nequiuimus. In eodem quoque oppido coquus quidam Archiducis, cum ſpreta amaſia honeſtam & exteram iuuenculam in matrimonium conduxiſſet, amaſia malefica in publica via multis honeſtis perſonis & ſpectantibus, & audientibus prædictæ iuuenculæ maleficium mortemque prædixit, extenſa manu dicens: Non diu de tuo marito gaudebis. Sequenti die iuuencula lecto decubuit, & poſt paucos dies mortem obiuit, ſemper conteſtans: en ſic morior, quod illa Deo permittente, me ſuis maleficijs interemit. Et ſimile ibi multis accidit, & cum alijs domicello cuidam: qui cum per famulum amaſię eũ nocte expetenti, excuſationem feciſſet, quod ea nocte ei complacere nequiret; reſpondit amaſia: Dic domicello, me diu non vexabit. Igitur ille ſequenti die infirmatus, non multo poſt interijt. Si, quæ in eo ſolo oppido acta per ſtrigimagas ſunt, quis referre voluerit, volumen conficiat oportet.

Punctum tertium. Quid vero iumentis, quæ proximum nobis locum in nobilitate tenent, officiant ſtrigimagæ, ex his quiſque norit. Si enim homines morbis afficiunt, qui ſpecialius diuinæ prouidentiæ, quã bruta ſubduntur, dicente Paulo: Nunquid de bobus cura eſt Deo? quãto magis bruta, quæ aliquid ſunt hominis? Vnde & oues Iob ignibus dęmon, cuius ſuffragijs ſtrigimagæ nituntur, abſumpſit. Sic etiam per villas, vbi ſtrigimagæ vigent, ſibijnuicem vaccas lacte ex inuidia priuant; interdum etiam interimunt. Cum enim lac ex menſtruo ſit, veluti menſtruum exiccari poteſt, vel a natura, vel ab infirmitate, aut arte malefica, quæ infirmitatem inducere nouit. Practicam vero quomodo ſtrigimagæ conficiant, referre non expedit: quamquam ſi referrem, non ſtrigimagæ prædicta attentare volentes, peccare quidem ex mala voluntate poſſent, effectum tamen habere non poſſent per nudam dæmonum aduocationem, quod ſcilicet eo careant fundamento, quod homagium diabolo non præſtiterint, & Chriſtianam fidem non abnegarint verbis, aut opere, aliqua leuia & ſuperſtitioſa admittẽtes: verum de hoc latius diſputemus ex facto, quopiam themate ſumpto. Quidam in quadam ſocietate iucunda poſiti (author eſt Henri. Inſti.) in prato iuxta torrentẽ, tempore Maij butyrum Maicum, quod ibi non erat, cupiuerũt, ex quibus vnus; Procurabo, inquit, vobis illud, & quidem optimum. Et ſtatim nudus torrẽtem intrãs, ac ſedens dorſo

aduerſus impetum aquę verſo certa verba dicens, & aquam manibus poſttergum, cęteris ſpectantibus, mouens, butyrum eius temporis copioſum ad inſtar, quo eo tempore ad forum ruſticę ferunt, apportauit: quod ſocij veluti optimū probarunt. Hic ergo haud dubio in ſua practica fuit certus, & nō aliter, niſi quia aut per pactum expreſſum, quaſi maleficus auxilio dęmonis vſus eſt, aut per pactum tacitum ex his, quę expertus erat, diabolum ſibi non defuturum norat. Neque enim ſine virtute humana altiore id factum eſt; ſed neque diuina haud dubium factum: alioquin quonam pacto Deus nuditatem & leuem in aqua ſectionem exegiſſet, vnde diabolica factum ſit oportet. Si ergo diaboli ſuffragio, quaſi maleficus, expreſſo pacto vſus eſt, iam diſcuſſione opus non eſt: talibus enim diabolus ſuffragari, Deo permittente conſueuit. Si vero expreſſum pactum nō interuenit, implicitum interuenerit oportet: vel quia a matre, vel obſtetrice diabolo oblatus, & perinde execratus fuit: vel quia ipſe aut verbo, aut opere, aliqua ſcilicet ſuperſtitioſa admittendo, apoſtatauit. Pro quo & illud ſcire oportet, quod diuus Tho. 2. di. 7. q. 3. ar. 2. quęrens vtrum auxilio dęmonum vti in effectibus corporalibus, qui per eos inducuntur, ſit malum, reſpōdet, quod quę ſupra hominis & naturę facultatē ſunt, a ſolo Deo exquirenda ſunt: vnde ſicut grauiter peccat, qui quod dei eſt, per idolatriam exhibet creaturę, ſcilicet cultum; ita & qui ea, quę a Deo expetēda ſunt, auxilio dęmonum implorant, cuiuſmodi eſt uaticinatio de futuro, Iſa. 8. Nunquid non populus a Deo ſuo requiret viſionem? & ſimiliter in alijs operibus magicis, in quibus complementum operis ex dęmonū virtute quis pręſtolatur. In his enim omnibus eſt apoſtaſia a fide per pactū initū cū dęmone, aut uerbotenus, ſi interſit inuocatio; aut facto aliquo, etiā ſi ſacrificia deſint. Nō enim poteſt homo duobus dominis ſeruire, Matt. 7. hęc ille. Alber. quoq; idē affirmās, quod ſcilicet in talibus ſemper intercedat apoſtaſia verbo vel opere, magis explicat, dicens. Si enim inquit inuocationes, cōiurationes, fumigationes, & adorationes fiāt; tūc apertū pactum initur cū malo dęmone, abſq; hoc uidelicet, quod quis diabolo corpus & animā tradat, cū fidei abnegatione in toto uel in parte: quia per hoc quod ipſum inuocat, iā cōmittit apoſtaſiā verborū apertā: Si uero uerborū inuocatio aperta nō fiat, uerū ſolū opere ſimplici, quia ſcilicet tale opus facit, quod nō niſi dęmonis auxilio perfici poteſt: tūc ſiue illud faciat inchoando in nomine diaboli, ſiue per alia uerba ignota, ſiue abſq; omni uerbo; illa tamē intētione ut dictū eſt, ſcilicet vt dęmon perficiat, tūc, inquit, eſt apoſtaſia operis: quia illud opus expectatur a dęmone: aliquid autē a dęmone expectare, uel ꝑ dęmonē percipere, ſemꝑ eſt fidei cōtumelia, ideoq; apoſtaſia. Hęc ex illo: Ex quo elicere licet, quod inuocatio dęmonis,

& con-

& conſequenter pactum expreſſum, dupliciter fit: primo per expreſſa verba, ſcilicet inuocando, aut coniurando: ſecundo per facta quæ talia ſunt, vt expreſſe in dæmonis honorem cedant, vt ponere eis thura, aut eos adorare: quibus patenter annexa eſt intentio expreſſa dæmones inuocandi. Pactum vero implicitum, ſiue inuocatio implicita eſt, cum opus aliquod ad aliquid aſſequendum fit, quod virtute illius operis fieri nequit: ſed expectatur a dæmone, vel a fortuna, aut quocunq; modo, dummodo non expectetur a Deo ſolo. Ex quo etiã patet, quod qui ex ſimplicitate ſuperſtitioſis rebus vtuntur, putantes tamen quod effectus a Deo aliquo modo emergat, non ſunt proprie apoſtatæ a fide. Colligitur etiam ex eodem facto, aut etiã quocũq; conſimili, quod quia diabolus nouas rerũ ſpecies cõdere nequit, niſi infimas & naturalibus actiuis adhibitis, vbi tã ſubito butyrũ optimũ ex aqua proſiliuit, hoc dæmon nõ effecerit aquã mutãdo in lac, aut butyrũ: ſed vel butyrũ ex loco alio deferẽdo, vel ex naturali boue naturale lac ſumẽs, illud in butyrũ ea arte qua & mulieres, celerius tamẽ cõuertendo. Ad quod etiã & illud reducitur, quod ſuperſtitioſorũ quidã, vino aut eiuſmodi nocturno tẽpore indigẽtes, ſumpto vaſe, per vicũ excurrẽdo, illud plenũ excipiũt: dæmon enim aliunde vero vino allato, vaſculũ cõplet. Sic Laude, tẽpore noſtro, quidã Siluano ſpiritui inuiſibili pecunias ſignatas dederũt aromata allaturo, quę nõ niſi in vna eiuſce generis apotheca habebãtur, & ab aromatario quendã illuc gallico ſeruili habitu acceſsiſſe, & dictas pecunias exoluiſſe didicerunt. Igitur iſtæ beſtiales & infernales furiæ, ſicut hominibus, ita & iumentis, aut tactu & viſu, aut uiſu ſolo, cooperãte dæmone, aut aliquo inſtrumẽto maleficij ſub limine portæ occultato, in nomine diaboli & omniũ dæmoniorũ inficiũt: immo & cõficiunt. Sic enim in Rauenſpurg. faſſæ ſunt incinerãdæ, addẽtes quod inſtãtibus dæmonibus meliores equos, & pinguiora iumẽta ſemper aggrediebãtur. Deniq; cũ ex eis quædam, cui Annæ nomen erat, vni ex uectoribus viginti & tres equos maleficijs interemiſſet, & illæ vigeſimum quartum in extrema paupertate coemiſſet, in ſtabuli ſui oſtio ſtãs, maleficæ in oſtio ſuæ domus itidẽ ſtanti dixit. Deo & ſuę matri ſpõdeo, quod ſi equus hic moriatur, te manibus proprijs iugulabo: ſicq; terror maleficæ equũ ſaluauit. Capta deinde, & interrogata quonã modo talia feciſſet, aliud, inquit, niſi foueã feci nihil: in quã diabolus certas res ſibi incognitas immiſiſſet. Ex qua re colligitur, quod aut manũ ſolã, aut ſolũ viſum ſtrigimagæ neceſſario exhibent, cætera perficit dæmon, vt vel in aliquo cooperentur ad maiorem diuinæ maieſtatis offenſam, conſequenter autem & maiorem licentiam ſæuiẽdi.

Punctum quartum. Strigimagas per dæmones, dæmoneſque per ſtrigimagas fulmina, grandines, pluuias, ventos & eiuſmodi ſuper

terræ naſcentia Deo permittente poſſe concitare, litterę diuinę teſtantur in Iob: quippe quę aſſeuerant, quod accepta licentia a Deo, impius dęmon Sabęos in quingenta iuga boum aſinaſque quingentas rapiendas & pueros gladio abſumendos armarit, & impulerit, ignemque e cęlo deduxit, qui tria ouium millia, & pueros cuſtodes abſumeret: necnon Chaldęos in tria millia camelorum ſubripienda & pueros necandos armarit: ventum quoque e regione deſerti flare compulit, qui euerſa domo, filios filiaſque necarit: inſuper, vt etiam ſuperius tactum eſt, carnem eius, Iob ſcilicet, graui ulcere vulnerauit: & quod quibuſdam omnium grauiſsimum videri potuit, vxorem, & tres amicos in eũ oppugnandum excitauit, vt liquet Iob.1.cap. & ſequentibus, vbi & diuus Thomas ſic loquitur. Quod Deo permittẽte dęmones aeris perturbationem, ventos & ignis e cęlo caſum inducere poſsint, confiteri neceſſe eſt. Quamuis angelis aut bonis, aut malis ad formarum ſuſceptionem ad nutum non obediat natura corporea, verum ſoli Deo creatori: cęterum tamen ſecus quantum ad motum localem; cuius rei argumentũ in homine videre licet, quippe ad voluntatis imperiũ membra ad opus volitum mouentur. Quæcunque igitur locali corporum motu effici poſſunt, hęc quiſque angelus etiam malus naturali virtute poteſt efficere, modo ei non interdicatur a Deo. Ventos autem, & pluuias, & eiuſce alias aeris turbationes, ſolo vaporum motu a terra & aqua reſolutorum fieri poſſe planum eſt, vnde ad eiuſmodi dæmonis virtus naturaque ſufficiunt. Hæc ex diuo Thoma. Gloſ. quoque in illud Pſal.104. Vocauit famem ſuper terram. Hæc mala, inquit, permittit Deus per angelos malos, qui talibus præpoſiti ſunt. Author eſt Nider in Formi. Quidam maleficus detentus, & ſuper eiuſmodi a iudice interrogatus; Facile, inquit, grandines procuramus: cæterum tamen omnes lædere non valemus, puta, ſigno crucis munitos: ſed eos tantũ, qui ſunt auxilio diuino deſtituti. Modus autem, inquit, noſter hic eſt. Imprimis enim in agro dęmonum principem certis verbis inuocamus, petentes nobis e ſuis dæmonem vnum dirigat, qui nobis auxilio ſit, & deſignatum maleficio vel damno afficiat. Cui iam præſenti in biuio pullum nigrum immolamus, iactantes in aera: quo ab eo ſuſcepto, ſtatim obedit; & ſtatim irruit aut pluuia, aut grãdo, & fulmina, & eiuſmodi: non tamen ſemper ad loca per nos deſtinata, ſed prout Deus viuens voluerit permittere. Hæc ibi. Et in Mall.male.2.par.q.1.cap.15. Sed intellige, quod de ſubſtantia eiuſmodi eſt inuocatio dæmonis, cætera vero cęremonialia ſunt, & de bene eſſe: vnde interdum pluuias & grandines adducunt facta foſſula, & aqua repleta, quam manu in nomine diaboli mouent. Ibidem quoque de mago, qui Status dicebatur in agro Bernenſium, qui de ea re ſe iactabat, quod e medio inimicorũ

ſuorum

ſuorum in ſpecie muris per eorum manus dilaberetur, quod & ſæpe fecit; aliquando tamen facere nequiuit temporis caritate deceptus: vnde repente gladijs & haſtis interijt. Hic ſuperſtitem, quem ex diſcipulo magiſtrum fecerat, reliquit, qui Inhopo dictus eſt. Sciuerunt hi duo pro voto tertiam partem fimi, fœni, vel frumenti, aut rei cuiuſque ad proprium agrum de agro vicino nullo vidente transferre: ſub oculis parentum pueros in aquam, nullo eos vidente, ſubmergere: grãdines, auras, & fulmina iaculari: ſterilitatem & hominibus, & iumentis inferre: ictu fulminis quem vellent interimere, & alia multa peſtifera abſoluere. Author etiam expertus eſt Henri. Inſtito. & Socius. In diœceſi Conſtañ. ab oppido Rauenſpurg. verſus Satzburgam, ad duo de triginta milliaria Teutonica, grando ſæuiſsima, non fructus modo, verumetiam vineas, & plantas in latitudine vnius milliaris adeo triuerat, quod in vineis tertius annus frugifer minime iudicabatur. Tanta autem infamia de maleficio ſuper duas, Agnetem ſcilicet quandam, & Annam extitit, quod dicti inquiſitores ad inquirendum clamante populo coacti ſunt. Ambæ captę, & ſeorſum diſtinctis ergaſtulis detentę, factum vno modo narrarunt, & facile, quod hora meridiana iuſſæ a dæmone in agrum prodire, eum ſub certa arbore offenderunt; & iuſſu eius facta foſſula iniectam aquam digito in nomine diaboli & omnium dæmoniorum mouerunt: quę in aerem a diabolo eleuata eſt, & vbi ambæ oſtio ſuæ domus propinquarunt, grando ruit. Infinita eiuſmodi adduci poterant, niſi hæc etiam ſuperflua forent.

Quod ſe, & ſtrigimagas dæmon per uarias ſpecies formaſque demonſtret. CAP. VIII.

QVIA iam quonam pacto dæmon veraciter noceat, monſtratum eſt; quonam etiam modo apparenter operetur monſtremus oportet: quod multis punctis abſoluendum eſt.

Punctum primum. Dæmonem ſpecies varias rerum, quæ non ſunt in rerum exiſtentia homini poſſe monſtrare, etſi ex dictis libro primo patuerit; nunc tamen breui ratione & authoritate monſtratur. Ratione ſic. Quæcunque locali motu corporum inferiorum effici poſſunt, vtique dæmon efficere poſsit oportet, qui eiuſmodi corpora pro libito mouet de loco in locum, vt oſtenſum eſt. Sed eiuſmodi phantaſticas & vanas apparitiones locali motu ſpirituum & humorum poſſe fieri nedum quantum ad phantaſiam, uerumetiam quantũ ad ſenſum exteriorem, oſtendunt: Quantum ad phãtaſiam quidem ſomniantes: vnde, vt etiam teſtatur Ariſt. lib. de Som. & vigil. id fit per motum ſanguinis, & ſpirituum: Quantum vero ad exteriorẽ ſenſum, oſtẽdunt phrenetici,

netici, qui interdum vigilantes oſtendunt ſe videre quod nõ eſt: quinetiam quod alij idem non videant, eis miraculo eſt. Poteſt igitur hoc dæmon. Præterea, quod poſſunt actiua naturalia, poteſt & dæmon: quippe qui ea ad ſuos effectus locali motu admouere poteſt, vt lubet. Sed eiuſmodi illuſorias apparitiones naturalia corpora poſſunt: nam herba quædam, teſte diuo Thoma, fumigans, trabes in ſerpentum forma oculis oſtentat; & ignis in ciato maluatici ad carbones bulliẽtis tactu accenſæ, candelæ ſuccenſus, aſtantes ſub forma tam liuida repræſentat, vt Acherontini ſpiritus in humana ſpecie videantur. Igitur id poſsit etiam dæmon oportet. Authoritate vero liquet per canonẽ.25. q.6. Epiſcopi, vt ſupra ca.1. huius ſecundi lib. citatum eſt; & per Aug. ibidem in ca. Nec mirum. & in vitis Patrum legitur de iuuencula, quę omnibus, excepto beato Machario, equa videbatur. Poſſumus & ad id litteras diuinas adducere, de Nabuchodonoſor rege, Dan 4. vbi habetur in hęc verba: In aula Babylonis rex deambulabat. Reſpõditq; & ait, ſcilicet ex magna ſuperbia. Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meę, & in gloria decoris mei? Cumq; ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex, Regnum tuũ tranſibit a te, & ab hominibus eijcient te, & cũ beſtijs, & feris erit habitatio tua, fœnum quaſi bos comedes, & ſeptẽ tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quod dominetur excelſus in regno hominũ, & cuicũq; voluerit, det illud. Eadẽ hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex omnibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cęli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarũ creſcerent, & vngues eius quaſi vngues auium. Igitur poſt finẽ dierũ, ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cęlũ leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & altiſsimo benedixi, & uiuẽtẽ in ſempiternũ laudaui, & glorificaui: quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna, & regnũ eius in generatione & generationẽ, & omnes habitatores terræ apud eũ in nihilũ reputati ſunt. Iuxta voluntatẽ enim ſuam facit tam in virtutibus cæli, quã in habitatoribus terræ, & nõ eſt qui reſiſtat manui eius, & dicat ei: quare feciſti? In ipſo tẽpore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorẽ regni mei, decorẽq; perueni; & figura mea reuerſa eſt ad me, & optimates mei, & magiſtratus mei requiſierũt me, & in regno meo reſtitutus ſum, & magnificẽtia amplior addita eſt mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico regẽ cæli: quia omnia opera eius vera, & omnes vię eius iudicia: & gradiẽtes in ſuperbia poteſt humiliare. Hęc ibi. Ex hoc autem textu patet, quod iſte rex percuſſus fuit amẽtia: quia dicitur quod ſit ei ſuus ſenſus reſtitutus; itẽ ſibi videbatur quod nõ haberet formam hominis: vnde dicitur figura

mea

mea reuerſa eſt ad me, videbatur enim ſibi quod in parte anteriori eſſet bos, in poſteriori leo: quod ſcilicet principes in iuuentute laſciui, in ſenecta rapaces ſunt. Fuit autē percuſſus per angelū: quia iſta corporalia per ſpiritus angelicos Deus adminiſtrat apud omnes ſanctos. Vnde paulo ſupra eodē ca. Vigili, deſt angelus dicitur annūciaſſe iſtā regis punitionē: cōtinētur autē cū naturalia in dæmonibus integra manſerint apud Diony. etiā dæmon eiuſmodi phātaſię apparitiones poteſt efficere; niſi dicatur quod iſta furia & amētia regis fuerit miraculoſa, quod ſomniauit doctorū nemo. Duobus autē modis apud diuū Tho. vt etiā ſupra dictū eſt, hoc per dæmonē fieri poteſt. Primo, ut ſpecies, quę in theſauro interiori ſeruātur, cū tāta vehemētia ad phantaſiā & ſenſum cōmunē deducantur, vt etiā ſenſus exteriores, quorū organa phātaſię & cōmuni ſenſui contigua ſunt, quoquo modo immutētur. Secundo, per alterationem organorū, eo modo quo propter colerā dulcia videtur amara. Adde tertio, per formationē alicuius corporis illud homini circundādo, vt videatur alijs aſinus, & ſibi quoque quo ad imaginationem, & non quo ad intellectum, vt infra patebit, vbi de remedijs agetur cōtra pręſtigioſam ablationē mēbri genitalis. Nec tamē prędictis obſtat, quod nulla creatura niſi a Deo mutari poteſt in aliam ſpeciē vel ſimilitudinē. 26. q. 5. Epiſcopi. Dico enim, vt ſupra probatū eſt, quod illud intelligitur de mutatione eſſentiali, quā diabolus facere nequit, puta, quod homo ſit lupus: nō autē de pręſtigioſa, qua homo ſit quidē homo, videatur autē lupus. Nō obſtat etiā, quod iſtā formā beſtię quę videtur, alicubi eſſe oportet: nec tamē eſt in ſenſu, q uia ſenſus ſpeciē nō habet niſi a re acceptā, quę res, ideſt vera beſtia hic nō eſt: nec iterum eſſe poteſt in ea re quę videtur, puta, in puella quæ videtur equa; alioquin duæ ſubſtantiales formæ in eodem ſimul eſſent: nec in aere, tum quia non eſt ſuſceptiuus figuræ: tum quia non ſtat: tū quia omnes viderent. Nullibi ergo eſt, & conſequenter non eſt. Non obſtat, inquam, quia hoc argumentum diuus Tho. in. 2. diſt. 8. & facit, & ſoluit dicens, quod eſt in ſenſu, uel per deductionem ab interiori, vel per alterationem organorum, & ſic eſt accepta a re prius: ſi primo, vel accipitur tunc cum deceptione, ſi ſecundo modo ſit. Dicta tamen deductio ab interiori, & immutatio non ſic ſit, quaſi dæmon aſſumpto corpore ſe interius obijciat phantaſiæ, quæ etiam eſt in corporeo organo, alioquin duo corpora ſimul eſſent: neq; immediate quicquam alterando, cum id nequeat, vt oſtenſum eſt: ſed id efficit mouendo localiter, non quaſi organum phantaſticum diuidens, alioquin dolor adeſſet: ſed mouendo ſanguinem, & alios humores, conſequenter autē & ſpiritus ac phantaſmata. Sed cōtra hoc, quia nihil noui poſſet oſtēdere, cōtra Auguſtinū dicentē, quod formas, & notas, & ignotas oſtēdit.

Solutio.

Solutio. Non poteſt oſtendere aliquid nouum ex toto, quod ſcilicet nec ex toto, nec ex parte fuerit in ſenſu, vt quod albedinem videat natus cęcus: poteſt tamen oſtendere nouam ſpeciem totius, puta, montē aureum: cuius tamen partes in ſenſu fuerunt, mons ſcilicet, & aurum.

Punctum ſecundum. Pro prædictis melius enodandis multa dico. Primum. Cum dicitur in cap. Epiſcopi, nullam creaturam poſſe aliam tranſmutare in aliam formam vel ſpeciem: dicendum eſt, quod tranſmutatio duplex ſit: ſubſtantialis uidelicet, & accidentalis: quę etiam duplex eſt, ſcilicet in formam naturalem, & rei quę videtur inhęrentem, & in formam ſolum hærentem, & inexiſtentem ſenſibus videntis. Primam tranſmutationem, ſcilicet ſubſtantialem, dæmon efficere non poteſt, vt quod homo fiat bos. Secundam vero per motum localem efficere poteſt, inducendo infirmitates, & conſequenter colores malos, vt probatum eſt. Similiter & tertiam. De his non loquitur capitulum, ſed de prima: alioquin eſſet contra experientiam, & rationem, & authoritatem, vt patuit. Secundum. Quod Auguſtinus. 18. de ciui. Dei cap. 17. recitat, quod Circes Vlixis ſocios mutarit in beſtias, & quod ſtabulariæ quædam hoſpites ſuos in iumenta onera ferentia verterūt, & Diomedis ſocios mutatos in aues olim circa Diomedis templum volaſſe: quodque de ſuo patre Conſtantius retulerit, quod ipſe pater ſuus veraciter dixerit ſe & caballum fuiſſe, & annonam cum alijs iumentis baiulaſſe. Quantum ad Circem attinet, ſic intelligendum eſt. Ibi enim beſtiarum vera forma etiam accidentalis inhærens non fuit, apud aliquos: ſed illæ ſpecies in ſenſibus illorum & intuentium erant per deductionem ex theſauro: quamquam dici poſſet dæmones corpus aſſumptum in ſpecie brutali illis circumpoſuiſſe, vt ſic ibi fuerit forma accidentalis alicui corpori extra ſenſus inhęrēs. Et idem de ſtabularijs & caballo Conſtantij dixerim: ita quod dupli ci dicto modo illa eſſe potuerunt, quamquam credā modo primo fuiſſe: addens quod homo onus iumenti ferre videbatur, cum tamen vltra vires nequiret, iuuabat enim dæmon. Quantum vero attinet ad ſocios Diomedis, cum illi vna cum duce ſubmerſi aquis obuoluti ſint, fabricato duci templo, dęmones in aſſumptis corporibus circumuolarūt, quamquam & hoc per deductionem ſpecierum ad ſenſus eſſe potuit: primum tamen fuiſſe creditur. vnde & diuus Tho. 2. diſt. 8. dicit quorumdam opinionem fuiſſe, angelos cum bonos, tum malos nunquam corpora ſumpſiſſe: omnia autem quæ de apparitionibus eorum ex diuinis litteris facta leguntur in præſtigijs, aut ſecundum imaginariam viſionē extitiſſe. Hęc ex illo, qui tamē eam opinionē nō probat.

Punctum tertium. Prędicta tamen niſi in capite hominis ſint dęmones, aut in organis ſenſuum, non efficiunt: vnde quonam modo id in

capite

capite vel ſenſibus ſine læſione operentur; perſcrutari oportet, dicendo multa. Primum. Si diabolica illuſio ea ratione fiat, quod exteriores ſenſus per aſſumptum corpus, & eis obiectum fiat, ſ oſtendendo quod non eſt, vel quod eſt interpoſito corpore occultando; iam dæmonem organa ſenſuum occupare, conſequenter autem & vexare non oportet, vt liquet. Si vero fiat per ſenſus interiores tantum, aut per interiores vſque ad exteriores, deducendo humores, & ſpecies a memoria ad phantaſiam, & ſenſus etiam exteriores, vt ſupra; hoc vtique niſi caput & organa a dæmone occupentur, eſſe nequit: quia angelus vbi operatur, ibi eſt: hoc tamen ſine dolore vtique eſſe poteſt: Tum quia ex tali motione organa non diuiduntur, ſed ſpecies mouentur duntaxat: Tum quia organo nulla qualitas læſiua maxime infertur, cum omni tali qualitate careat dæmon. Nec obſtat, quia iuxta hoc duo ſpiritus eſſent in vno loco, angelus ſcilicet malus, & anima: & conſequenter confuſio operationum eſſet. Non obſtat inquam, quia operationum confuſio ea ratione ſequeretur, ſi eodem modo vel idem genus operis vterq; ſpiritus eliceret: ceu dicamus duos angelos occupare vnum lapidem, quem vterque localiter moueret: modo anima ibi operatur vt forma vegetans, non autem vt localiter mouens idem præciſe quod angelus. An autem tales ſint arreptitij, dicetur pene ſtatim.

Punctum quartum. Quid vero de his lupis ſentiendum ſit, qui pueros & homines etiam intra oppida rapientes nulla vi aut arte capi, aut lædi poſſunt, dico interdum hoc naturalem habere cauſam, interdum diabolicam. Et naturalem quidem multipliciter apud Alber. de animal. puta famem, ferocitatem, aut catulos, & eiuſmodi: diabolicā vero dæmonibus illudentibus, quando Deus propter peccata populum aliquem punit: iuxta illud Leui. 26. Si non feceritis mandata mea, mittā in vos beſtias agri: quod tunc accidit, quando vltra luporum vires, & aſtutiam de manibus inſequentium dilabuntur. Hoc autem dupliciter contingit: & in primis per dæmonem ipſum ſine magico concurſu, dū verum lupum dæmon obſidet, & in talia vrget: ſicut quadraginta & duos pueros Eliſeum ridentes, urſi duo egreſsi de ſylua interemerunt: & propter ſimile letanię minores inſtitutę ſunt ab epiſcopo Viennen. Deinde vero etiam opere malefico: ſicut Guil. narrat in li. de vniuerſo, quòd quidam certis temporibus in antris dormiens, putabat ſe uerti in lupum, & pueros vorare: cum tamen illud dæmon in obſeſſo lupo ageret. Iuxta prædicta autem poteſt dæmō multipliciter genus hominum ſic illudere. Primo obſeſſo vero lupo, ſiue arrepto, quem pro voto in mala impellit, & e manibus inſequentium eripit; vel vſu naturalis virtutis lupinæ, vel cum mouendo localiter, aut occultando, &

reddendo inuiſibilem. Secundo, aſſumendo corpus in figura lupi, & iſta perficiendo. Tertio, oſtendendo hominem, aut aliud animal in figura lupi, per quem iſta faciat. Quarto præſtigioſe, vt ſenſibus noſtris ita videatur, & nihil ſit in re: quod tamen locum minime habet, quādo in re ſunt veri effectus, puta puerorum mortes.

Punctum quintum. An ad ſtrigimagarum beneplacitum homines dæmon poſsidere queat, enodare volentes, multa dicemus. Primum. Diuus Tho. 3. quol. ar. 8. ſic habet. Diabolum hominem inhabitare, dupliciter poteſt intelligi, vel quantum ad animam ſcilicet, uel quantū ad corpus. Et quantum ad animam quidem, diabolus hominem ſubſtantialiter inhabitare non poteſt: ſolus enim Deus illabitur mēti. Sed contra hoc. Culpa enim mortalis opponitur gratiæ: Spiritus ſanctus autem cum gratia ſemper inhabitat hominem, ſecundū illud. 1. Cor. 3. Templum Dei eſtis. & Spiritus ſanctus habitat in vobis: & conſequenter cum mortali culpa videtur ſpiritus malignus hominem ſubſtātialiter inhabitare. Sol. Non ita diabolus culpam, vt Spiritus ſanctus gratiam cauſat: Spiritus ſanctus enim interius operatur, diabolus autem exterius ſuggerit, uel quantum ad ſenſum, uel quantum ad imaginationem: dicitur tamen inhabitare affectum hominis per effectum malitiæ; non ſolum quando ex eius ſuggeſtione peccatum perpetratur, ſed etiam per quodcunque peccatum mortale: quia ex quocunque tali diabolicæ ſeruituti homo addicitur. Quantum vero ad corpus, diabolus poteſt hominem ſubſtātialiter inhabitare, vt in arreptitiis patet: ſed hoc ad rationem pęnæ pertinet magis, quam culpæ: pœnæ autem corporales vitæ huius non ſemper conſequuntur culpam, ſed quandoque peccantibus non inferuntur, & inferuntur non peccātibus, ut de cęco nato dicitur Ioan. 9. quod eſt ſecundum altitudinem iudiciorum Dei. Vnde non cum qualibet culpa mortali diabolus hominem ſubſtantialiter inhabitat, etiam quantum ad corpus. Secundum. Diabolum inhabitare hominem ſubſtantialiter, eſt hominem eſſe arreptitium, ut patuit ex diuo Tho. Eſſe uero hominem arreptitium quid ſit, minime legi: ex lectis tamen puto, quod ſit hominem Dei permiſſu ita dæmoni tradi, vt eius membris pro libito vtatur ad interius & exterius: quod equidem ex quinque cauſis in genere eueniſſe lego: quāquam ex aliis innumeris maxime in ſpecie eſſe poſſet.

Aliquando enim quis poſsidetur a dæmone pro ſuo merito maiore cumulando, ſicut ex Seuero in hiſtoria diui Martini liquet, quendam tantæ ſanctitatis virum, vt & verba, & veſtes eius dæmones pellerent, petiuiſſe & obtinuiſſe ad humilitatis tutamen quinque menſibus arripi; quibus actis, liber euaſit a dęmone, & a gloria vana.

Aliquando vero pro aliena, licet leui, culpa, ſicut de abbate Eleu-

terio Greg. in Dial. narrat, quod cum puerum quendam arreptitium diu inter moniales uerſatum curaſſet, quadam die lætiore quam par erat mente, ſuis monachis dixit, quod diabolus cum illis ſanctimonialibus iocabatur: ſed vt ad ſeruos Dei ventum eſt, puerum iſtum adire non eſt auſus, & ſtatim puerum in pœnã illius elationis arripuit dæmon: licet denuo ab eodem ieiuniis & orationibus curatus ſit.

Aliquando pro ueniali peccato proprio, ſicut per Caſsia. patet, col la. abbatis Sireni prima, dicentem quod Moyſes in eremo cum ſingularis & incomparabilis vir eſſet, ob reprehenſionem vnius ſermonis, quem contra abbatem Macharium diſputans paulo durius protulit, quadam ſcilicet opinione præuentus, diro confeſtim traditus eſt dæmoni, ut humanas egeſtiones ori ſuo ab eo ſuppletus ingereret: quod flagellum purgationis gratia Dominus intuliſſe uidetur, ne ſcilicet in eo uel momentanei delicti culpa reſideret: quod ex curatione mira patuit. dæmonem enim ſtatim abbas Macharius ſua oratione fugauit. Simile huic eſt, quod apud Gre. in Dial. monialem, quod lactucã non impreſſo ſigno crucis comedit, ſtatim arripuit.

Aliquando pro graui peccato alieno, ceu apud Greg. in Dia. cũ diabolus eiectus a beato Fortunato ueſpere per vicos in ſpecie peregrini clamaret: o ſanctum virum Fortunatum Epiſcopum, ecce de hoſpitio me peregrinum proiecit, nec ubi quieſcam inuenio: quidam in ſpiritu detractionis (id eſt, ut epiſcopum reprehenſibilem redderet) cum vxore & filio ſedẽs peregrinum excepit hoſpitio, qui filium eius arripuit, & in ignem iecit, & interemit.

Aliquando vero pro magno facinore proprio, ſicut Saul inobediẽs Deo. 1. Reg. 15. arreptus eſt: ſicut etiam plerumque inſequutores martyrum ſunt arrepti. Tertium. Inſtantibus ſtrigimagis homines a diabolo arripiuntur interdum. Omni enim modo, quo per ſe homines lædere poteſt, etiam maleficis inſtantibus poteſt: non enim uim perdit inuocatus, immo cum ſtrigimaga cooperãnte Deus magis offendatur, maior etiam licentia ſæuiendi in homines datur. Vnde tempore Pij II. magiſter Henri. Inſtit. quendam arreptitium ſacerdotem & declamatorem ſecum habuit, & in itinere, & Romæ: ex cuius dictis, quæ ad doctrinam conferant, perplura eliciuntur. Mihi (inquit) malefica quædam a me obiurgata, infirmitatem hanc attulit, prius minata quod poſt dies paucos his intenderem, quæ mihi euenirent. Vſu autem rationis tunc ſolum priuor, cum aut diuinis vacare, aut pia loca inuiſere volo. Cum vero iſte inter eccleſias trãſeundo genu figeret pro diua Matre & Virgine ſalutanda, eius linguam non parum extra os protendebat: & interrogatus an huic poſſet obſiſtere, minime inquit. ſic enim membris omnibus & organis vtitur collo, lingua, pul-

mone ad loquendum, vel eiulandum, vt ei placet; quod ego quidem verba, quæ ex me format, audio, ſed reſiſtere nequeo: & quanto auidiùs orationi inſto, tanto acrius linguam meam prorogat, & protendit. et de his ſatis. Epilogando vero patet, quod ſtrigimagæ grauiſsimis & horrendis criminibus obuoluuntur: puta, conculcationis crucis, abnegationis fidei, adorationis dæmonis, profeſsionis, qua ſe eius ſeruitijs etiam cum innocentium damno animæ & corporis adijciunt, necnon homagio, quo ſe ei æternaliter quantum ad corpus & animam tradunt: inſuper additis fornicationibus, adulterijs, maxime cum incubis, damnificationibus iumentorum, & terræ naſcentium, homicidijs, maxime infantium non baptizatorum, & eorum vorationibus: quibus ſceleribus peccatum abuſus ſacramentorum adiiciunt, vt prædicta medio corpore Chriſti, chriſmate, & alijs ſacris efficiant. Hoc enim earum confeſsio & experientia docuerit, quod in omni maleficij genere eas dæmon edoceat, vt malitiæ ſuæ inſtrumenta ſacramenta, aut ſacramentalia pro viribus ſumant: ſeu quæcunque diuina, aut Deo ſacrata, ceu poſita imagine cerea ſub palla ſacri altaris, vel filum per chriſma ſacrum trahendo vel eiuſmodi. Quod equidem potiſsimum dæmon multiplici ex cauſa cupit, & curat. et in primis quidem, vt homines per eiuſmodi non ſolum perfidi fiant, verumetiam ſacrilegi, diuina quantum ad ſe attinet, contaminantes: conſequenter autem Deum plus offendant, & irritent, plures in peccata ſecum trahentes. Deinde vero, vt Deus pius ſic irritatus, magis ſæuiendi in homines dæmonis licentiam relaxet: Sicut & Greg. aſtruit Deum aliqua hominibus quibuſdam concedere iratus, quæ alijs propitius denegat. Demum, vt ſub ſpecie boni apparentis, dum ſacris vtitur, plures & facilius inuoluat ſimplices. Henr. Inſtit. & Socius Mallei male. 2. par. q. 1. cap. 5. ex experientia dum in oppido quodam, cuius nomen tacere maluerunt, inquirerent, ſic referunt. Malefica tandem incinerata, dum communionem ageret, ſumpto Chriſti corpore, illudque peplo ad os illato, inuoluens in ollam, in qua bufo, & nonnulla alia maleficijs apta, a dæmone ſic edocta, proiecit, & ſub terra in ſtabulo ſub foſſa abſcondit: quam diuina pietas, vt tam horrendum ſcelus plecteretur, ſic detexit. Sequenti enim die mercenarius ibi vocem quaſi eiulantis infantis audiuit, & tanto clarius, quanto magis loco ſuffoſſæ ollæ propinquaſſet: qui veritus infantem aliquem a muliere ibi ſubtumulatum Præſidenti inſinuauit, qui poſita cuſtodia, quæ an mulier aliqua illo ſe conferret latenter obſeruaret, maleficam deprehendit, quæ clanculo ſub pallio ollam aſportaret, quæ capta, & quæſtionibus addicta, rei veritatem faſſa eſt. Sed & illud aduertant plebani, quod vbi ſine deprehenſione queunt, ſub lingua, & non ſupra linguam

guam, dominicum corpus ſuſcipiunt ſtrigimagæ; ſiue vt illud facile ex ore recipiant, ſiue vt abnegationi fidei impedimentum non præſtet: ſiue ne peccata ſua interdum velint fateri.

Quod aduerſus ſtrigimagarum ueneficia, remedia multa præſeruatiua non deſint. CAP. IX.

QVIA vero iam quænam ſint ſtrigimagarum facinora planũ eſt; reliquum eſt vt de remedijs quoque aduerſus eiuſmodi diabolicas artes, quæ nobis diuina pietas elargitur, aliquid agamus: & in primis quidem de illis, quibus aduerſus eiuſmodi morbos, ne inferantur, tutamur: cuius rei cauſa multa puncta abſoluemus.

Punctum primum. Et quidem in primis illud noſſe debemus, quod tria ſint hominum genera, quibus illud peſsimum ſtrigimagarum genus ſuis maleficijs obeſſe non poteſt. Qui ſcilicet iuſtitia, vel officio publico contra eas inuehuntur: qui ſe remedijs eccleſiaſticis tutantur: qui denique per ſanctos multifariam proteguntur. Sed nunc de primis agamus, id ratione, & actis probaturi: Et ratione quidem. Nam quem Deus in opus aliquod mouet, ei etiã neceſſaria miniſtrat, alioquin deficeret in neceſſarijs. Omnes autem publicam iuſtitiã exercentes ſunt Dei miniſtri, in hoc ei ſeruientes, vt Apoſtolus ad Rom. 13. profitetur. Exhibet ergo Deus his quæ neceſſaria ſunt, cuiuſmodi eſt contra diabolum patrocinium. Nec tamen contra hanc rationem militat, quod Præſides interdum male tractentur: quippe qui id vel ex imprudentia, vel ex malo animo, aut alio crimine merentur. cæterum Deus regulariter miniſtrum ſuum iuuat; quia Deus & natura apud Ariſtotelem non deficiunt in neceſſarijs. Præterea, ad idem notauere doctores, quod modis multis vel penitus, vel ex parte poteſtas dæmonis eneruatur. Primo per limites diuinitus impoſitos, ceu in Iob. Dominus ſatanæ dedit poteſtatem in ſubſtantiam, modo non extenderet in perſonam; deinde etiam in perſonam, modo eum vita non priuaret: & apud Nider in Form. dæmon inuocatus, vt virum vnum extingueret, ſe non poſſe quicquam in perſonam eius reſpondit, ſed in fructuum partem vndecimam dumtaxat, quod ſcilicet ille eſſet bonæ fidei, beneque ſe crucis ſigno muniret: quod & his accidit, qui contra diabolum ſciunt ſe pugnare. Secundo autem virtute angeli boni dæmones arcentis, ſicut de Aſmodeo patet, qui viros Sarræ virginis interfecit, qui tamẽ cõtra Tobiã, Raphaele angelo tutante, non præualuit. Quod & inquiſitoribus, & iuſtitiæ mi-

niſtris

niſtris accidit, qui & cuſtode angelo ut cæteri, & rurſus alio, cui communioris boni cura ſit, muniuntur. Tertio, ex ipſa propria diaboli voluntate: quippe qui interdum lędere non vult, vt peiora ſequantur: veluti excommunicatum ſibi corpore traditum, non vult vexare cum poſsit: ſicut excommunicante Paulo uexauit Corinthium. 1. Cor. 5. & id ea ratione, vt fidem de clauium poteſtate aboleat. Et eodem modo, etſi diuina, aut angelica poteſtate non arceatur: tamen quando iuſtitia publica ſtrigimagas ſupplicio afficit, patrocinium ſuum maleficis denegat: uel quod timeat ne tandem conuertantur; vel quod earum damnationem expleri celerius cupiat. Actis quoque & geſtis idē probatur. Nam & idem doctor Nider, & experientia docet, & ipſamet fatentur, quod ad tactum iuſtitiæ publicæ omnis maleficorum poteſtas euertatur. Nam & Petrus Iudex, de quo etiam ſupra, cum iuſſu eius, ſui miniſtri maleficum detinere uellent, eorum manus tremore, & fętore tanto nares occupatæ ſunt, quod eum aggredi non audebāt, niſi ipſe dixiſſet; Securi inuadite, quia publica iuſtitia tactus vires omnes ſuæ nequitiæ perdet: quod & factum eſt. Vnde eum propter facinora in cineres redegit. Sed & Henri. Inſti. ac Socius inquiſitores famoſi, etſi occulta multa ſe tacuiſſe ſcribant, quod gloriæ vanæ notari timuere; ex his tamen, quæ homines latere nequiuerunt, multa experti narrarunt. Nam in Rauenſpurg. maleficæ incinerandæ a Conſulibus interrogatæ, cur dictis inquiſitoribus maleficia non inferrent, reſponderunt hoc ſe pluries & tentaſſe, & nequiuiſſe: & interrogatę de cauſa, reſponderunt ſe neſcire, niſi quod ſic expertæ, & ſic a dęmone doctæ eſſent.

Punctum ſecundum. Genus hominum ſecundum, cui ſtrigimagæ nequeunt obeſſe, ſunt qui remediis Eccleſiæ catholicæ ſe tutantur, ut per veram confeſsionem, & inuocationem ſanctorum, aquæ benedictæ aſperſionem, ſalis exorcizati ſumptionem, candelarum & oliuarum benedictarum licitum vſum. Nam ſi eiuſmodi contra dæmones efficaciam non haberent, deciperetur Eccleſia, quæ huius rei gratia prædicta vel multa ex eis exorcizat: unde & in ciuitate Spirenſi, authore dicto Henrico Inſti. quædam mulier deuota rixata cum malefica, veſpere infantem cunis reponens, & de malefica timens, herbas benedictas puero ſuppoſuit, aqua ſancta illum conſperſit, exorcizatum ſalem ori appoſuit, ſigno crucis muniuit. Nocte media, cum infantem vagientem audiuiſſet, extenſa manu ad cunam, eam quidem mouit, ſed infantem minime inuenit. Territa, accenſo lumine, eum ſub lectica in angulo ſanum inuenit, haud dubium protectum exorciſmis. Inſuper in Rauenſpurg. diabolus in forma muliebri quendam ad uenerem importune aſſentire nolentem, ſollicitabat, qui ſicut in prędicatione

catione didicerat, in ingreſſu ſtuphæ ſalem exorcizatum ori ſuo admouit, & ſtatim mulier conuerſa toruo aſpectu; quis,inquit, diabolus te docuit? & repente diſparuit. Prædicta ergo admodum & hominũ, & locorum, ac iumentorum, & fructuũ præſeruatiua ſunt: ſed & uerba ſacra collo appenſa,vel corpori quomodolibet admota,ſi tamẽ quę ſequenti capite dicentur, diligenter obſeruentur.

Punctum tertiũ. Qui uero tertio loco a ſtrigimagis immunes ſunt, hi ſunt qui a Deo & Angelo interius per gratiam, & exterius per cuſtodiam, & ſuffragia etiam cæleſtium corporum muniuntur. Nam licet noſtrę menti Deus per ſemet gratiam infundat,iuxta illud pſal.83. Gratiam & gloriam dabit Dominus: cum tamen Deus aliquam notabilem gratiam infundere ſtatuit, ſecundum nonnullos theologos, angelus bonus diſpoſitiue operatur: quod & Diony.4.cap.de di.no.prætendit dicens, quod hæc ſit diuinitatis lex immutabiliter ſtabilita, vt ima per media perficiantur a ſummis:ita quod quicquid boni a bonitatis fonte in nos emanat,totum illud bonorum angelorum miniſterio poſsidemus. Vnde licet ſola deitas vnionem hominis & dei in Virgineo ventre peregerit,tamen angelico miniſterio mens virginea per ſalutationem,& illuminationem,& monitionem angelicam prædiſpoſita eſt. De exteriori vero cuſtodia angelica & diuina pleni ſunt libri: ſingulariter tamẽ Dauid eam expreſsit de homine iuſto,dicẽs pſal.90. Angelis ſuis Deus mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus uiis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aſpidem &c. Ex dictis tamen generibus hominum,quidam ſunt qui beneficiantur, quantum ad omnia maleficia;& quidam quantum ad quædam tantum: de quibus, quod neceſſaria adeo non ſint, ſicco pede tranſeundum eſt.

Quod aduerſus ſtrigimagarum ueneficia, remedia uana non congruunt. C A P. X.

QVIA ergo de remediis præſeruatiuis actũ eſt, de curatiuis quoque, ſed vanis, multis punctis agatur oportet.

Punctum primum. Ante omnia illam quæſtionem enodemus oportet: An maleficia maleficus elidere liceat chriſtiano: & quidem primo,vt alias eã abſoluimus,ut abſoluunt nonnulli: pro quo multa dicam. Primum. Quemadmodum in Silueſtrina alias ſcripſimus, tribus tantum modis maleficium auferri poteſt: Primo authore Deo per ſe, uel angelum, aut hominem, ut confeſſum negat homo nullus. Secundo uirtute naturali angeli mali,qui maleficium intulit,uel alterius, modo naturæ ordine ſuperior ſit, authore maleficii angelo itidem ma-

lo: quia

lo: quia enim inter angelos etiam malos ordo eſt, cum ſpecie differat, vt probatum eſt: ideo ſuperior in inferiorem imperiū & habet, & pro voto exequitur: alligando, aut etiam alligatum ſoluendo, & de obſeſſo corpore pellendo: aut etiam eius effectus, maleficia ſcilicet abolendo. Quod Iudæi perfidi non ignorantes de Chriſto domino blaſphemando dicebant Luc. 11. quod in dæmoniorum omnium principe, ac perinde ſuperiore Belzebub eiiceret dæmonia. Tertio naturali virtute angeli boni, ſi angelo authore maleficij naturę ordine itidem ſuperior ſit: non enim eſt de eo ratio minor, & de angelo malo itidem ſuperiore: quæ tamen omnia intellige, niſi ad maleficium iuuetur malus angelus per malum naturæ ordine altiorem, qui contra maleficium naturaliter pugnat. Non enim aliter maleficia deſtrui poſſunt, cum effectus inferioris non niſi vel ab eo, vel a ſuperiori deſtrui poſsit: & præterea, ſi hoc eſſe poſſet, nullo alio modo eſſe poſſet, niſi ab homine ad ſanandum actiuis naturalibus admotis: quod inuito dæmone maleficij authore eſſe nequit: quippe cui iſta actiua in motu locali obediunt ad nutum. Secundum. Vt ſupra lib. 1. liquet, maleficium, a quo & malefici dicti ſunt, ſumi conſueuit & pro nocumento illato per dæmonem inſtante malefica: & pro ſigno fœderis dæmonem inter ac maleficum, vt imago ad cuius torturam maleficiatus quoque torquetur; & cedula, vel quicquid eſt ſub limine, vel aliter aut defoſſum, aut quolibet modo deliteſcens. Tertium. Apud diuum Tho. 1. ſec. q. 92. Superſtitio vitium religioni oppoſitum eſt, & hoc per exceſſum, & non per defectum: inquantum vtique diuinum cultum exhibet, aut cui non debet, aut nō eo modo, quo debet. Huius vitij duæ ſunt ſubalternę ſpecies, id eſt, ſpecies alias ſub ſe ordine quodam habentes: quarum prima in eo conſiſtit, quod eſt exhibere cultum Deo vero, modo tamen indebito: puta, ſecundum ritum perfidiæ Iudaicæ: ſecunda vero in exhibere diuinum cultum ei, cui nō debetur, ſicut ſpurciſsimo Machomet, vt Agarreni: uel incubo dæmoni, ut ſtrigimagæ. Hæc uero ſpecies in tres alias ſubdiuiditur. Harum prima idolatria eſt. Secunda eſt diuinatiua, quæ & ipſa in multas ſpecies ſubdiuiditur, de quibus nō eſt noſtri inſtituti modo loqui. Tertia, ac perinde ultima obſeruantia eſt, ad quam ars notoria pertinet: & obſeruationes uniuerſæ ad corporū immutationes ordinatæ, puta, ſanitatem, aut ægritudinem, id eſt omnes incantationes & ligaturæ. Quartum. Generaliter omnes diuinatores & incantatores apud iura dicuntur malefici, ut. 26. q. 5. Nec mirum. Quintum. His præmiſsis ad quæſtionem dico, maleficium rite & licite deſtrui orationibus, item & adiurationibus eccleſiaſticis & catholicis, vt confeſſum eſt. Poteſt quoque quiſque etiam author eius, maleficium, id eſt ſignū fœderis ſciens deſtruere, ſi poteſt, id eſt, ſi cōtra dia-

bolum

bolum valeat: hoc enim non eſt inniti diaboli ſuffragio, ſed ſua vi ad proximum ſubleuandum: ſicut ſi maleficialem ollam ſuffoſſam inuenio, & ignibus arſuram trado. Nulli tamen licet hoc ſignum, aut maleficium ipſum per aliud maleficium, ideſt ritum maleficialem, aut incantationem quamcunque conterere, hoc enim eſſet eſſe maleficum, & cum diabolo expreſſe, vel tacite paciſci. Similiter nulli licet alium inducere ad maleficium per maleficium ſoluendum: quia idem eſſet acſi induceret ad peccatum: nec ſimiliter licet vti parato ſoluere per maleficium, ideſt maleficialem ritum, qui ad id ſuaſione non eget, vt patebit: & multo minus per maleficium, ideſt damnum illatum alteri virtute diabolica per magum aut ſtrigimagum. Sextum. In hoc tamen vltimo, quod ſtatim dictum eſt, de parato ad eiuſmodi, ſunt inter Summiſtas opiniones. Nam Summa Roſellæ, & ſupplementum doctrinam diui Tho. obſeruantes, Petri de Pal. Alber. Mag. & quam plurium, dicunt hoc aliquo pacto non licere: Summa vero Angelica eiuſdem ordinis ſibi ſuo more fidens & audens, hoc licitũ aſtruxit, id probare nixa authoritate Petri Aureoli. et ratione, quippe quod ad noſtrum bonum alieno malo vti poſſumus; et exemplo, quia apud Aug. licitum eſt vti iuramento infidelis in nomine Dei ſui iurantis; et adiici poteſt de parato fœnerari, a quo quis licite mutuum capit. Septimũ. Sed iſta opinio nefanda eſt, & infinitarum culparum occaſio maxime conducens dilatationi diabolici regni: quod ſic eluceat. Nam legi naturali aduerſatur, quæ reuerentiam, fidem, ac obſeruantiam ad ſuum dominum exquirit: non enim ſuo domino fidelis eſt, qui ab inimico eius, & qui cum eo de regno certet, auxilium aut accipit, aut petit, etiã auxiliari parato, pacto intercedente, quo ſe eius ſeruituti adijciat: hoc enim eſt cum eo amicitiam componere, cum naturale ſit benefactorem & diligere, & amare; diabolus vero inimicus Dei eſt, & talis qui ſibi dominium mundi ambiat, & pro viribus nanciſcatur, & vt Deus cupiens adorari, etiam ab ipſo Chriſto Deo Matth. 6. & niſi ſuſcepta profeſsione, immo interdum & homagio, homini non ſuffragatur: niſi ideo ſuffragetur, ut ad homagiũ pelliciat, ut cernere liquet ex dictis. Eſt etiam contra legem Dei: nam magi maleficique ſunt idem, ut ex dictis liquet; & nihilominus dicitur Leui. 20. Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, ponam faciem meam contra illam, & interficiam illam. Si ad hos non licet acceſſus, pro conſilio uidelicet excipiendo, eorum ſuffragijs uti quomodo licebit? Eſt quoque contraria iuri Pontificio, quod nedum prohibet ſuadere alicui, ut eiuſmodi faciat, uerumetiam & ad domum taliũ accedere. Nec aliquo pacto mihi dubium eſt, quin Aug. talem determinatorem a fide apoſtatam appellaret, qui. 26. q. 7. in ca. Non obſeruetis. enumeratis multis diuina-

tionum ſpeciebus, & incantationibus, ac alligaturis concludit. Qui has (ſcilicet obſeruantias) & quaſcunq; diuinationes obſeruat, aut attendit, aut conſentit obſeruantibus &c. & paulo infra. Qui autem talibus credunt, aut ad domum eorum euntes, aut ſuis domibus introducunt, & interrogant, ſciant ſe fidem Chriſtianam & baptiſmum præuaricaſſe, & tanquam paganum & apoſtatam, ideſt retro abeuntem, & Dei inimicum, iram Dei grauiter in æternum incurriſſe. Hæc ibi. Ex quibus nota non ſolum ſuaſionem maleficij prohiberi, verum etiam conſenſum. Eſt etiam contra iura ciuilia, quæ iſtos conſuli vetarunt. Vnde iſtemet Summiſta in verbo, Mathematicus, dicit, quod diuini ad limen alterius accedere non debent, alioquin cremantur: nec eos aliquis ſuſcipere ſeu conſulere, alias deportantur, & eorum bona confiſcantur, & diuinator gladio vltore feritur. C. de male. & mathe. l. nullus. l. nemo. l. culpa. Ecce ergo, quod, quantumcunque ſint parati, non licet eos adire, vel conſulere, & longe minus eorum ſuffragijs niti. Eſt etiam hæc opinio occaſio criminum plurium, & ſine numero: aperit enim viam omnibus incantationibus, cum vtique multi ſint cum viri, tum feminæ præſto eiuſmodi exercere, & maleficia per maleficia ſoluere: & conſequēter multi ad eiuſmodi homines currerent, in qua re diabolicum regnum conſiſtit, cum adire eiuſmodi homines, ſit a diabolo, cuius ope nituntur, ſanitatis auxilium expetere. Octauum. Ad authoritatem vero, quam iſte citat: dico doctorem illum Petrum Aureoli nullius eſſe authoritatis; quippe qui multas falſas opiniones fundauit, vtpote, cuius ſtudium fuit omnium ſententias euertere, in quo multum quidem valet, in determinando autem nihil. Ad rationem dico, licere ad noſtrum bonum alieno malo vti, quãdo ipſe noſter vſus, vel actus, quo vtimur, nihil eſt de ſe illicitum, aut malum: veluti Deus omnibus peccatis ad ſui gloriam vtitur, permittendo, & bona inde eliciendo: quia ea permittere, aut inde bonum elicere, non eſt in ſe malum: ſecus autē ſi ipſe noſter vſus in ſe ſit illicitus, ſicut non licet mihi vti parato ad iniuſte interimē dum inimicum meum, quod cedit in bonũ meum: quia ipſe meus vſus eſſet in ſe illicitus, quippe qui ſit conſenſus in occiſionem hominis iniuſtam. Vnde diuus Tho. q. 13. ar. 4. Aliud eſt, inquit, conſentire alicui in malitia: aliud alicuius malitia vti ad bonum. Ille enim alicui in malitia cōſentit, cui placet vt malitiam ille exerceat, & ad hoc forte eum inducit; quod ſemper peccatum eſt: vtitur autem alterius malitia, qui illud malum, quod alius facit, intorquet ad bonũ. Hæc Tho. Et ita eſt in propoſito, ſcilicet quod talis vſus de ſe eſt illicitus, & conſenſus in malitiam: Tum quia hic vſus eſt cum acceſſu ad tales, quem nedum ius diuinum, verum & canonicum, & ciuile vetarunt: Tum quia eſt

cum directo conſenſu in aliquid, quod ſine peccato eſſe nequit, vt ſcilicet quis vtatur auxilio diaboli pacto expreſſo, vel tacito, in quo ſemper eſt apoſtaſia perfidiæ, vt patuit: & conſequenter eſt conſenſus in crimen horrendum. Ad exemplum autem dico, non ſimile, ſed longe diſsimile eſſe: nam in eiuſmodi iuramento conſenſus non eſt in id, quod per falſum Deum iuretur: ſed in id, quod talis dictum ſuum iuramento firmet: vnde conſenſus eſt in aliquid, quod ſine culpa eſſe ac fieri poteſt, id eſt, in iuramentum: licet iurans ex ſua malitia hoc faciat cum peccato, iurans per Mahometum. Et ſi dixeris, quod pari modo hic conſentitur in hoc, quod maleficium deſtruatur, non in hoc quod illicite deſtruatur. hoc nihil eſt: quia maleficus illud non niſi per maleficium deſtruere poteſt, ille autem iurare ſine peccato, id eſt, per verum Deum potuit. Et ſimile eſt, quod accipiens mutuum ſub vſuris non peccat: quia conſentit in mutuum, non autem in vſuram, quia vſurarius mutuum ſine vſura dare vtique poteſt: quod ſi non poſſet, illicite ab eo peteretur, quia eſſet conſentire in peccatum. Et ita liquet rationem diſsimilitudinis in hoc ſtare, quod in maleficio directe conſentitur in peccatum, non autem in eo iuramento: quod ex verbis Auguſtini ad Publicol. liquet; dicentis, quod qui fide vtitur per falſos deos iurantis ad bonum, non peccato illius ſe ſociat, qui per dæmonia iurauit: ſed pacto eius bono, quo fidem ſeruauit: & ſimiliter ex verbis diui Thomæ qui ſecunda ſecundæ. q. 78. art. 4. dicit, quod accipiens mutuum ſub vſuris, in crimen vſurarij minime conſentit: ſed eo vtitur, nec placet ei vſurarum acceptio, ſed mutuatio, quæ bona eſt: Vnde iſtius Summiſtæ opinionem in 4. diſt. 34. art. 3. ad tertium damnat; & idem Albertus Magnus, & Petrus de Palude. Nonum. Vtrum vero in curandis maleficijs tolerabile ſit vanis vana retundere, quod quidam aſtruxere, præcipueque Hoſtien. de frigid. & mal. in capit. Litteræ. §. Mulier. dico illicitum eſſe ſecundum iura allegata credere maleficis, quod non ea ratione dici putandum eſt, quaſi peccatum ſit credere, quod per maleficos fiant veræ ſanitates, aut etiam ægritudines: in hoc enim dubium eſſe nequit propter infinita experta, ſed potius ea ratione, quod peccatum ſit credere, quod effectus, quos cernimus morborum, ſanitatum, iacturarum, ſint virtute Dei, aut verborum malefici, aut operationum eius, aut admotione rerum, quæ ad id apud medicorum diſciplinam operentur nihil. Sunt enim hi effectus a malo ſpiritu ex pacto cum malefico, vt eo eiuſmodi proſequente, dæmon miranda, quæ cernuntur operetur, vt libro primo oſtenſum eſt. Et hæc eſt Henri. de Gan. mens, & pa tet. 26. q. 5. Nec mirum: finem capituli iungendo principio: Et ibidem. q. 2. Illud: Ad quæſtionem vero dico, illud dictum habere

poſſe ueritatem. Primo, quando iſta uana ideſt indifferentia, de ſe nec bona, nec mala, ea ratione faceret, quaſi credens aut experiri uolens, an per talia ſoluatur maleficium, non diabolo operante, ſed ab operatione ceſſante, vtpote qui illud cum malefico pactum haberet, ſiquid tale fieret. Talia enim aliquando diabolus detegit: conſequenter autē veniunt in notitiam hominū, vel etiam ex ipſa experientia: ſicut crebro expertum eſt dæmonem Siluanum ab inquietando, podicis prægrandi crepitu deſiuiſſe. Secundo, quando ea mente quis talia facit, quaſi neſciens ea illicita, aut peccata fore: tunc enim illud factum tolerari poteſt, nō quaſi omnino culpa vacet, ſed quia non eſt culpa mortalis, & forte iſta erat mens Hoſtienſis. Eſt autem illud dictum falſum, ſiquis eiuſmodi indifferentia ſuperſtitioſe operetur, credens ſcilicet talibus eo modo, quo & alijs incantationibus: omnia enim remedia de ſe ad tales effectus vana & naturaliter non conducentia, illicita & pernicioſa ſunt. 26.q.2. Illud. Et longe magis illud dictū falſum eſt, ſiquis eiuſmodi vana, vtique vana crediderit, ad talium tamen exercitium, diabolū operari putat ad maleficia diſſoluenda: immo erit culpa mortalis, quia non refert qua re dæmon aduocetur, modo aduocetur: quia in aduocando culpa eſt, nō ex re qua inuocatur, ſi de ſe iniqua nō ſit.

Punctum ſecundum. Cum ad dictam quæſtionem ex mente propria reſponſum ſit, libet quoque eam ex aliorum opinionibus tractare: pro qua re, multa dicentur. Primum. Duæ in quæſtione hac ſunt ſollemnes opiniones, quibuſdam cum canoniſtis, tum etiam theologis ſentientibus, quod etiam per opera ſuperſtitioſa & vana licite maleficia deſtruantur: quod apud quoſdam Sco. Godo. Hoſt. & pene regulariter quiſq; canoniſta verum putarit. Verum hæc opinio male Scoto aſcribitur, qui non ſenſit quod liceat ſanare maleficiatum per maleficium, ſed quod liceat deſtruere maleficium, ideſt ſignum fœderis, de quo ſupra. Vnde in.4.diſt.34. ſic egregie loquitur. Si per orationes Sanctorum virtus dęmonis impediatur, bene fit: ſi tamen Deus illas nō exaudiat, tunc ſi maleficium ſciretur, & deſtrueretur, dęmon non fatigaret maleficiatum amplius: quia ex pacto non adeſt, niſi dum durat aliquod ſignum. Et ex hoc patet quod truſatica eſt illa quæſtio, an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatū: non enim ſolum licet, ſed eſt meritorium deſtruere opera diaboli: nec eſt in hoc infidelitas aliqua, quia deſtruens non acquieſcit operibus malignis, ſed credit dęmonem poſſe & velle fatigare, dum tale ſignum durat, & deſtructio talis ſigni imponit finem tali vexationi. Hæc Scotus, valde bene. Cui addo, quod ipſamet malefica rogari poteſt, vt illud deſtruat: quia id facere ſine dæmonis auxilio pro ſua volūtate poteſt. Hoſt. autē in Sum. de frigi. & mal. & tit. de impo. coeun. ſuper ca. Litteræ. §. Mulierem,

lierem, dicit quod in hoc defectu recurrendum eſt ad remedia medicorum : & licet quædam remedia contra hæc ſcripta vana, ſeu ſuperſtitioſa videantur: tamen cuilibet authori in ſua arte credendum eſt, ſed & ſatis tolerare poteſt eccleſia retundere vana vanis. Hæc ex illo, qui etiam bene loquitur ad ſenſum puncto priori datum : quamuis aliud dicere videatur nihil, quam quod remedijs per medicos admotis (quãquam nihil in eis virtutis intelligamus) acquieſcendum ſit, quaſi quæ ſint peritorum: quod verum eſt, niſi de contrario eſſet vel ſcientia, vel ſuſpicio, puta, quia creditur necromanticus. Sed & illud verbum, tolerare, ponderandum eſt: quod longe aliud eſt quam efficere. Hubertinus quoque in ſuo. 4. diſt. 34. dicit, quod maleficia aut per ſanctorum preces, aut per artem qua facta ſunt, tolli poſſunt: quod etiam bene dicitur, ſi ſermo ſit de poſſe facti, & non iuris, niſi iuxta prædicta. Et breuiter omnes opiniones gloſſari poſſunt, & ad verum ſenſum deduci : nec videtur vnquam aliquis catholicus ſcripſiſſe, quod liceat dæmonis auxilio vti pacto tacito vel expreſſo, & ſiqua poſſint tolerari, cum etiam lupanaria tolerentur. Vnde alia opinio, ſi tamen eſt alia, dicitur Tho. Bonauen. Alber. Mag. Petri de Pal. & aliorũ quampluriũ eſt, quod nullo modo facienda ſint mala vt veniant bona: & quod magis debet homo eo caſu mori, quã ſuperſtitioſo, aut vano remedio ope dęmonis liberari: quæ proculdubio vera eſt, vt probatum eſt. Diſtinguũt ergo quidam. Nam maleficium aut per aliud maleficium, ideſt iniuſtũ damnum a diabolo illatum inſtante malefico, aut ſine maleficio, ſed tamen per maleficum, ſeu maleficiales ritus tolli poteſt: & hoc dupliciter, ſcilicet per ritus maleficiales vanos & illicitos, aut vanos tantum. Primum, illicitum eſt penitus ex parte authoris, & ex parte ipſius remedij. Secundum etiam, ſcilicet ſine maleficio quidem, ſed tamen per maleficiales ritus, ſiue per maleficum, ſiue alias per honeſtam perſonã, etiam illicitum dicunt. Tertium eſt tolerabile. Dicunt ergo illi, quod multipliciter maleficium ſoluitur. Primo, per maleficum & maleficiũ aliud. Exemplum. Tempore Nicolai V. quidam ex Germania Epiſcopus, cuius nomen charitatiue ſubticetur, Romam venit Pontifici prædilectus, qui cum amore detentus iuuenculam ad diœceſim miſiſſet cũ duobus famulis, & nonnullis precioſis: illa vt furto eiuſmodi ſubriperet, in mortem Epiſcopi, cũ malefica eſſet, machinata eſt, vt ea iter carpente, antiſtes occumberet. Igitur nocte ſequente Epiſcopo inæſtimabili pectoris calore pene periclitante, cum de veneno ſuſpicaretur, ſine ſpe vitæ, die tertia adeſt altera malefica, dicens eum maleficio laborare, nec aliter, quam ad eam, quæ eũ infecerat, delato morbo ſanari poſſe. Cui Epiſcopus aſſenſit, & media nocte ſanũ ſe penitus ſentiens per internuncium, quod ea hora puella periclitari cœpiſſet agnouit. Cum

ergo

ergo gratia impiæ pietatis Epiſcopus eam viſitare tentaſſet, horribilibus maledictionibus exceptus eſt, ea dicente: maledicaris in æternum cum tua, quæ te docuit. Cumque eam Epiſcopus emollire tentaret, & vt omnem offenſam remitteret hortaretur, illa vultu auerſo clamabat: exeas maledicte, hic nulla ſpes veniæ: animam meam dæmonibus cunctis recommendo, & ſic vt merita erat, expirauit. Simile aliquid Nider in Form. narrat. Læſus, inquit, maleficam adijt, petens de malefico vindicari: malefica facta opere dæmonis imagine ex plumbo in aquam fuſo; vbi vis, inquit, lædi eum qui te læſit: at ille in humero, inquit, exempli gratia: qua ibi configente, acum, aut gladium, quod ſimilibus locis ille torqueretur, inuentum eſt. Et eiuſmodi remedia illicita fore non eſt dubium. Secundo, diſſoluuntur maleficia per maleficos abſq; nocumento perſonæ, inito tamen cum dæmone pacto expreſſo, vel tacito: ſic enim multæ ſunt maleficæ ſanantes, & non lædentes, & infirmitatum cauſas indicantes: quod dæmon cupit, vt vel ſic etiam homines in crimina pellat. Hac enim ratione quædam malefica in quodam oppido Germaniæ Richoffen adeo crebro pro rehabēda ſanitate ab infectis maleficio viſebatur, quod Princeps inde pedagium ſibi redimere voluit, quolibet viſitantium pro ſe certum quid exoluente: vnde & plurimum ſe lucratum gloriatus eſt. Et in diœceſi Conſtantienſi & alibi eiuſmodi comparuere. Tertio ſoluuntur non quidem per aperte maleficos, ſed tamen ſuperſtitioſis cæremonijs: veluti quidam maleficiatus pedem, liberatus eſt per quendam, Dei adiutorio, vt dicebat, qui primo ex fuſione plumbi in aquam nouit morbū illum ex maleficio eſſe: & interrogatus de modo ſciendi, dicit, quod ſeptem cum ſint genera metallorum, & Saturnus ſuper plumbum dominetur, proprium eius dixit eſſe vt maleficium plumbo detegat: denique ſanauit infirmū aliquotiens viſitando, id eſt tot diebus quot ſub infirmitate detentus erat: inſpiciendo pedem, & tangendo, & aliqua verba ſubmiſſe proferendo. Hic tamen videtur interueniſſe pactum implicitum, non tamen explicitum cum dæmone. vnde etiam eiuſmodi non licent. Quarto vero ſoluuntur vanis nullo pacto etiam tacito cum dæmone, ſaltem ex intentione practicantis: ſicut alicubi ruſticæ vbi vaccas lacte ſiccas viderint, ad maleficam deprehendendam, impoſito viri ſaraballo, aut alio immundo vaſe, eam de domo baculis trudunt: quæ recto calle domum maleficæ petens, magno mugitu oſtium cornibus impetit. Eiuſmodi ſunt quæ Canoniſtæ dicunt tolleranda. Multa eiuſmodi practicantur leuia. Ego tamen omnia iſta dico ſuperſtitioſa, & tolerabilia quidem, non tamen facienda, iuxta ſupradicta.

Quanam aduerſus ſtrigimagas uera remedia congruant. CAP. XI.

IAM vero huic ſecundo volumini manum vltimam allaturi, de veris maleficiorum remedijs agendum eſt, punctis quamplurimis.

Punctum primum. Sunt quidam dæmones incubi ac ſuccubi, non modo ſtrigimagarum genus agitantes, verũ qui cum mulieres, tum etiã interdum viros in Venerem, etiam inuitos, ſollicitent, ſiue interueniente malefico, ſiue etiam non: maxime vero mulieres, quod minorem habeant vigorem rationis, & eis facilius fit in Venere inferre violentiã. Nam Henricus Inſtitoris & Socius in hanc ſententiam referunt. In ciuitate Confluentiæ pauper eſt ſic maleficiatus, vt etiam præſente & eiulante vxore, ſe ad inſtar coeuntis cum muliere agitet, nullo apparente ſuccubo, tantummodo auditis vocibus eius: quibus duobus vel tribus actibus expletis, dicit: volumus incipere de nouo, vnde tandem viribus remanet deſtitutus. Extra caſum iſtum ſepoſitus, & de his interrogatus, dicit ſe nihil videre ſibi ſuccumbens, ſe tamen ita dementari, vt abſtinere omnino non poſsit. Dicit autem ſe in hoc ſuſpectam habere maleficam, quæ illi comminata ſit. Tho. etiam Brabantinus in libro de Apibus, in hæc refert verba. Quandam ſub religioſo habitu virginem cum lacrymis cõfitendo audiui a dæmone incubo primo volentem ſubagitatam, quæ tamen inde dolens, quotidie lacrymabiliter confitebatur: nec ingenio, arte, vel ſtudio ab eo liberari poterat: ſed nec ſigno crucis, vel aquæ benedictæ aſperſione munita, nec ſacramento corporis Chriſti. Creditur tamen quod ille concubitus, poſtea quam dolens cõfitebatur, ei fuerit potius pœna quã culpa. Hæc eadem cum apud Chriſtinam virginem Deo & deuotam, & dicatam monachali habitu in valle Duciſſæ Brabantiæ lamentaretur, quod non auderet ſequẽti die Pentecoſtes communicare propter dæmonis uexationem importunam, compatiens ei Chriſtina: uade inquit ſecura, & communicatura in craſtinum: in me tuã pẽnã excipio. Abijt, quieuit, cõmunicauit: uerum Chriſtina pęnas luit. Nã diu noctu exercitata, & territa, tandẽ intellexit dæmonis præſentiã, de qua iã nõ cogitabat: unde poſtea quã pluries e lecto diſsiluerat, tandẽ eo ex toto poſtergato, noctẽ inſomnẽ ducebat; & orare uolens, dæmonis cruciabatur inſultibus. Facto uero mane: renuncio uobis, ait, pœnã ueſtram: Tandẽ orationibus & ieiunijs pie curata eſt. Aduerſus ergo eiuſmodi incubos, etiã maleficio intercedente, uexantes eiuſmodi remedia ſunt. Primo per confeſsionẽ ſacramentalẽ. Secundo per iugẽ & ſanctiſsimã aliquã exercitationem, orando, flectendo genua, imprimendo crucem, ſalutãdo Virginem, cõmunicando crebro, & eiuſmodi. Tertio per eccleſiaſticos exorciſmos. Quarto per cautã dæmonũ excõmunicationẽ,

Et de

Et de prędictis omnibus modis exempla legũtur per Cæſariũ in Dial. nec abijcienda ſunt prima, propterea quod dictæ moniali non profuerint. Quod enim vni eſt remediũ, non ſtatim ideo erit alteri: nec quod non eſt, non erit: unde omnia ſunt probanda, exercendum uero crebrius quod melius eſt. De excommunicatione tamẽ, longa diſputatio deduci poſſet: experientia tamen docet, quod eam timeant dæmones, & per eam diuus Bernar. mulierem ab incubo liberaſſe dicitur. Nec hoc ideo eſt, quia dæmones cõmunicent, & conſequenter excommunicabiles ſint: ſed quia Deus uult claues eſſe in reuerentia. Vnde & alicubi locuſtæ excommunicatæ intereunt, & dæmones id in magnũ deſpectum accipiunt, cum hoc ſit ultimum Eccleſiæ flagellũ: unde ſi uexare propter podicis crepitum deſinit, nil mirum, ſi etiam propter excommunicationem deſiſtat.

Punctum ſecundum. Pro maleficio circa uim generatiuam, antidota remedia. Nam 33.q.8. in capitulo Super ſortiarias. iſta remedia ponuntur: ubi dicitur. Si per ſortiarias atque maleficas artes nonnunquã occulto Dei iudicio permittente, & diabolo præparante, cõcubitus nõ ſequitur, hortandi ſunt quibus iſta eueniunt, ut corde contrito. & ſpiritu humiliato Deo & ſacerdoti de omnibus ſuis peccatis puram cõfeſſionem faciant, & profuſis lacrymis, & largioribus eleemoſynis, & orationibus atque ieiunijs Domino ſatisfaciant. Hæc ibi: ubi & innuitur quod ſuperius dictum eſt probabile eſſe, quod exiſtẽtibus in matrimonio, non eueniant eiuſmodi, niſi aut alter, aut uterque ſit in culpa mortali. Obiter ergo his hæc remedia congruunt. Peregrinatio ad ſancta, & ibi deuota confeſsio, ſigni crucis & orationis continuatio, maleficij combuſtio, uel deſtructio, & exorcizatio, de qua infra.

Punctum tertium. Contra maleficium amoris uel odij inordinati remedia. Ex capite multiplici inordinatus & laſciuus amor oboriri ſolet: & in primis ex incauta circumſpectione oculorũ Iacobi. 1. Vnuſquiſq; tentatur a concupiſcentia ſua: Vnde & hac ratione Sichen Dinam filiam Iacob adamauit Gen. 34. Deinde uero ex hoſtis tentamentis, ueluti patet de Amnone qui ſororem ſuam Thamar ita adamauit, ut deperiret in eam. 2. Reg. 13. neque enim in facinus adeo horrẽdum & indecorum ſine zabuli inſufflatione deſcendiſſet. Poſtremo uero ex arte malefica, ut ſupra prolixe deductum eſt. Vbi uero quanam ex cauſa hic iuuenilis ardor oboriatur, ignotum eſt, an ex maleficio ſit ex cõiectatis accipiendum eſt: ſi uidelicet quis adeo inflammatur, ut uerbis, plagis, confuſione nulla diuerti queat: ſi pulchra uxore poſtergata, ſordidam inſequitur: ſi tẽpore nocturno quieſcere nequit, ſed adeo dementatur, ut per deuia quæque incedere ad dilectã cogatur. Et quidem eiuſmodi amori, quando ex maleficio minime eſt, & tamen adeo

infeſtat,

inſeſtat, vt etiam valetudinem inducat. Auicen. lib. 3. ſeptenario numero remedia docuit, vt ſcilicet ſi lex ſuſtinet, matrimonio copula fiat, aut admoueantur medicinalia, de quibus ibi: aut licite æger animum ad alium diligendum vertat, & præſentiam dilecti fugiat: aut ſi corrigibilis eſt, æger tribuletur, hortetur, oſtẽſa amoris miſeria: aut ſubmittantur, qui quãtum cum Deo valent, corpus dilecti vituperent: vel in rebus arduis & diſtractiuis occupetur. Sed quia eiuſmodi inſtituto noſtro minime, aut parum conducunt, miſſa ſint. Si vero ex maleficio quis eiuſmodi amoris morbo laboret, iam quæ proxime puncto ſecundo remedia data ſunt, etiam hic congruunt: præcipueque licita exorcizatio, quam ſibi maleficiatus admouere poteſt, tum legẽdo, tum etiã portando ad collum, vt infra: & Angeli cuſtodis crebra inuocatio.

Punctum quartum. Contra præſtigioſam membri virilis ablationẽ, aut in beſtiarum formas verſionem, remedia. Nam cum tales, vt ſupra dictum eſt, ſint diuina gratia deſtituti (vt probabile eſt, & de Nabuchodonoſor patet) quæ deſtitutio eiuſmodi maleficij fundamentum eſt, nec vulnus curam recipiat, immanente ferro: ideo contra eiuſmodi præter priora remedium primum, vera confeſsio eſt, qua Deo anima concilietur: deinde vero quia eiuſmodi membra non vere, ſed præſtigioſe ſubtrahuntur, ſecundum remedium & proprium eſt, bonis verbis maleficam ad id ducere, vt maleficium ſoluat: quod non eſt vti auxilio dæmonis, ſed maleficę, non inquantum malefica, ſed inquantum poteſt ſua virtute ſignum diabolici fœderis abolere, aut aliqua naturalia actiua docta per dæmonem ad id efficacia admouere. Quantum vero attinet ad transformationes, quantum ad ipſas quidem ſtrigimagas in regnis Occidẽtis vſitatum eſt, vt ſub aliena ſpecie maleficia plerũq; adeant: puta, lupi, catti, & eiuſmodi: vnde & crebro leguntur vulneratæ ab his, qui ſe cattum vulneraſſe putabant: & ita factum in diœceſi Argentinenſi in oppido, cuius nomen ſubticetur, Henr. Inſtit. Malle malefi. 2. par. q. 1. cap. 9. aſtruxit. Quod vero alias perſonas transformẽt vſitatius in Oriẽtalibus euenit, vnde ex militaribus fratribus ſancti Io. Hieroſolymitani Rhodum incolentibus, factum mirum pulchrũ & verum, idem Inquiſitor cum Socio in hanc ſententiam ſcribit lib. eo. 2. par. q. 2. cap. 4. Cum ad portum Salaminæ in Cypri regno nauis applicuiſſet, cunctis gratia commeatuum exeuntibus, quidam iuuenis robuſtus, & fortis exiens, vbi ad domum cuiuſdam maleficæ ad littus maris venit, venalia oua requiſiuit: reſponſum bonum, & oua ſuſcepit, & adiunxit malefica, ſi nauim intrare nequiueris, regrediare. Igitur apud nauim dum reliquos præſtolatur, oua comedit: & poſt horulam, mutus factus, & pene mente deſtitutus eſt. Cumque nauis tentaret ingreſſum, eum nautæ verbis & baculis riſu magno quaſi aſinum abege-

runt, & idem etiam ſecundo fecerunt: vnde abeunte naui, coactus eſt non abire: & huc illucque diſcurrens aſinus ab omnibus habebatur, intellexitque tandem ſe maleficio affectum, & ſeipſum quoque quan tum ad imaginationem & ſenſum aſinum videbat, licet mēte, qua nō erat ex toto deſtitutus, ſe hominem noſſet. Coactus igitur maleficam adijt, & pro ſua vita ei triennio ſeruiuit omnia aſinorum officia peragens: hoc tamen habens ſolatij, quod ab ipſis maleficis coniunctim, & diuiſim vt homo habebatur, & tractabatur. Si quæratur quomodo illa onera portare quibat: dico vt ſupra, quod dæmon iuuabat, vbi iuueni vires non ſuppetebāt. Simile huic narrat Auguſt. 18. de ci. Dei. cap. 17. vt ſupra citatum eſt. Peracto triennio, dum die quadam ante meridiē ciuitatem Salaminam intraret, malefica ſequente cū virga a longe (vt forte cum aliquo locutura moram traxerat). & nolam pro eleuatione corporis Chriſti pulſantem, audiens (ibi enim latino, non græco more celebratur) ad eccleſiam hic rationalis aſinus ſe vertit: verum verberum metu intrare non audens, foris ſtās flexit genua, pedes ſcilicet poſteriores aſini, vt videbatur: & manus erexit, ideſt pedes anteriores, & aſinino vt putabatur capite, ſacramentum intuebatur, & ſe Deo commendabat. Quod prodigium nonnullos mercatores Genuenſes in ſtuporem & in circulum circa aſinum vertit, & ecce malefica aſinum tun dens, vrgebat. Quia vero in eis partibus huiuſmodi maleficia plurimū in vſu ſunt, ad Genuenſium inſtantiam, & malefica, & aſinus per Iudicem detinetur, & malefica per quæſtiones interrogata, crimen faſſa eſt: & iuuenem ſuæ formæ reſtituere ſpopondit, ſi domum rediret. Redijt, reſtituit, & denuo capta pro demeritis interijt. In eiuſmodi ergo miſerandis caſibus remediū eſt oratio, vt patuit, & exorciſmi: quibus interdum dæmon contra ſuum maleficium obedire cogitur, ab eo deſiſtendo ſecundum poteſtatem a Chriſto traditam nobis ſuper dæmonia: ſicut & obediuit tempore Macharij, oratione iuuencula ex forma equæ ad humanam reducta: & tertio concordare maleficam, iuxta dicta ſuperius.

Punctum quintum. Contra arreptitios intercedente maleficio remedia. Nam ſi id dubitatur ex peccato obſeſſi, aut perſonę coniunctę, quæ in eo puniatur eueniſſe, remedium primum vera confeſsio eſt: deinde exorciſmi eccleſiaſtici, quibus & Deus me præſente nobilem matronam in ciuitate Bononia liberauit, quæ ad inſtantiam cuiuſdam famoſæ ſtrigimagæ annis tredecim arreptitia fuit: quæ ſtrigimaga Cimera dicta eſt, quam tandem inquiſitor magiſter Io. de Tabia, author Tabienæ Summæ, qui etiam modo viuit, in cineres redegit. Sunt præter hæc & alia remedia, & Euchariſtia in primis: vnde & Caſsianus dicit, ſi poſsibile foret, eam eis quotidie exhibendam, cum ſit quaſi ignis

ſpiritus

ſpiritus malos exurens. Quod intellige etiam ſi ſunt mente capti, modo prius illud ſana mente appetiuerint ſacramētum. 26. q. 6. Is qui. Intellige etiam niſi adſit periculum vomitus, aut irreuerentiæ ad ſacramē tum. Et hoc remedio Caſsianus curatum ſcripſit abbatem Andromicum. Et eſt oratio propria, ac aliorum.

Punctum ſextum. Aduerſus grandines, quæ victum nobis auferūt, remedia: cuius rei gratia multa dicantur oportet. Primum. In verbis ex eo quod verba ſunt, nulla virtus eſt, niſi mouendi auditum, vt probat Guil. gloſſ. Ray. Siqua vero, ſi, pro quia, in aliquibus verbis eſt virtus, vt in ſacramentalibus, & benedictionibus, & quibuſdam licitis carminibus, de quibus capite ſequenti: non ideo eſt, quia verba ſunt, verum ex inſtitutione & ordinatione Dei potius, vt hoc quod ad formas quibus eccleſia in ſacramentis & ſacramentalibus vtitur, applicantur, quibus Deus ſpiritualem intentionalem virtutem largitur: & idē eſt de verbis multis diuinæ ſcripturæ, vt de euangelio S. Ioannis creditur, & forte de omnibus. Interdum tamen, etſi in verbis non ſit virtus, nihil tamen prohibet eam diuinitus adeſſe, vt ſi adiuratur dæmon in virtute Dei, vel ſanguinis Chriſti, & eiuſmodi. Secundum. Contra grandines, quidam ſic practicant. Tria grana grandinis in nomine ſanctæ Trinitatis in ignem iaciuntur, in ſignū deſtructionis diabolici operis, & ignis perpetui diabolo & angelis eius præparati, & ad diabolum moleſtandum, adiunctis ter dominica oratione, & ſalutatione angelica, necnon & euangelio ſancti Ioan. In principio erat verbum, ſemel cum ſigno crucis contra tempeſtatem vndique ante, & retro, & ex parte omni. & illud: Verbum caro factum eſt, ter replicatur: & deinde ter dicitur per euangelica dicta deleatur, & fugiat tēpeſtas iſta. Et quidem ſi tēpeſtas ex maleficio eſt, ſubito ceſſat. Hæc ſunt veriſsima experimenta, & catholica. Secundum. Quædam malefica interrogata per Iudicem an modo aliquo tempeſtates a maleficis concitatæ ſedari queant: reſpondit quod ſic, modo iſto. Adiuro vos grandines, & ventos per quinque vulnera Chriſti, & tres clauos, qui manus eius ac pedes perforarunt, & per quatuor euangeliſtas ſanctos Matthæū, Marcum, Lucam, & Ioannem, vt in aquam reſoluti deſcendatis. Hic nihil ſuperſtitionis eſt, aut illicitum: quia a Chriſto poteſtatem accepimus imperandi dæmonibus, ne aut nobis, aut proximo noceant: imperare autem effectui dæmonis, ideſt grandini, eſt imperare diabolo concitanti, cum irrationalia præcepti capacia non ſint. Ad idem eſt, quod intra vineas, aut fruges quidam ſignum crucis erigūt cum floribus, aut frondibus benedictis in die. Palmarum, qui & id afferunt, quod frugibus grandine vndique læſis, illeſæ in eorum campis durant: quod totum licitum videtur. Tertium. Fatentur etiam maleficæ quædam quidem

 ſponte,

ſponte,quædam vero per tormenta,& difficulter:quod quædam ſunt, quibus multum impediuntur ex toto, vel in parte, & ne in perſonam vel amicos fiant, & ſunt: integra fides cum obſeruatione mandatorũ Dei,& ſigno ſanctæ Crucis,ac oratione. Item ſunt cultus,eccleſiaſtici ritus,& eccleſiaſticarum cæremoniarum,bona executio iuſtitiæ publicæ,ruminatio Paſsionis Chriſti verbo, aut mente. Quartum. Dicit quoque Nider, quod eadem cauſa generaliter campanæ contra aera pulſantur, vt recedant dæmones a ſtrepitu conſecratarum Deo tubarum: tum etiam,vt populus excitatus contra tempeſtates Deum aduocet. Adde etiam,quod ex naturali virtute omne, quod aerem mouet, vt magnus ſonus campanarum,& machinarum, aduerſatur grandini. Quintum. Eadem cauſa cum ſacramento altaris & ſacris verbis ad auram proceditur,quod qui ſuperſtitioſum putant, regulas ſuperſtitioſa diſcernendi minime norunt,quæ excipiũtur ex gloſſ.col.2. ſuper illud. Quæ ſunt rationem habentia: & ſunt hæ. Prima. Cum in omnibus operibus noſtris Dei gloria noſter principalis ſcopus & finis eſſe debeat,iuxta illud: Siue manducatis,ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.1. Cor. 10. ideo in omni opere, quod ad Chriſtianam religionem attinet,attẽdatur an illud ſit ad gloriam Dei, & an homo in opere illo Deo gloriam principaliter tribuat: ita quod per ipſum opus etiam mens hominis Deo ſubijciatur. Secunda. Attendatur an opus exercitum ad exercitium corporis ſit, vel frenum cõcupiſcentiæ,aut conferens corporali abſtinentiæ ſecundum medium virtutis,aut quaſi,hoc eſt,ſecundum ritum eccleſiæ vel doctrinam moralem: quia rationabile debet eſſe obſequiũ noſtrum, Ro.12. Vnde propter hanc regulam fatua ſunt vota de non pectendo capite die Sabbathi,vel die Dominico ieiunãdo,& eiuſmodi. Tertia. Attẽdatur an opus ſit ſecundum ſtatutum vniuerſalis eccleſiæ, vel ſecundum teſtimonia ſcripturarum,vel ſaltem ſecundum ritum particularis eccleſiæ: aut generalem conſuetudinem, quæ ſecundum Aug. pro lege habenda eſt: Vnde Greg. Anglorum Epiſcopo, quod eſſent eccleſiarum cõſuetudines diuerſæ in celebratione miſſarum,quærenti reſpondit. Siue in Romana,ſiue in Galliarum, ſiue in quacunq; eccleſia aliquid inueniſti, quod plus omnipotenti Deo placere poſsit, ſollicite eligas: diuerſæ enim cõſuetudines eccleſiæ in cultu diuino in nullo veritati repugnãt, ideoque ſeruandæ, & eas præterire illicitum eſt. Quarta. Inſpiciatur, vt opus quod fit,habeat vel a Deo, vel a natura proprietatem ad effectum,qui expectatur: a Deo quidem,vt verba conſecrationis ad tranſubſtantiationem panis & vini: a natura autem, vt paleæ ad niues aſſeruandas: alias enim,ſi hæc non habuerit,ſuperſtitioſum eſt: ex qua conſideratione characteres omnes ignoti & imagines aſtronomicæ & necro-

necromanticæ & nomina ignota tanquam ſuperſtitioſa omnia refutātur. Quinta. Attendatur ne opus quod fit, occaſionē ſcandali præbeat: quia, etſi tunc ſuperſtitioſum nō eſt: propter ſcandalū tamē aut omittendū, aut differendū eſt, vel occulte peragendū. Efferre autem contra dæmonum tempeſtates corpus Chriſti, aut reliquias ſanctas ad auras: ſicut Genuæ contra impetum maris reliquiæ Præcurſoris admouētur, contra nullā eſt dictarum regularum, immo eſt ſecūdum tertiam: quia ita Galliarum eccleſiæ, & multæ in Germania antiquitus cōſueuere: ita tamen quod eo modo, quo eſt conſuetudo, feratur, ideſt in atrio ſacrarij, vel alio ſecreto loco ad aurā reuerēter, quin etſi publice ferretur iudicio diſcretorū fideliū, ſicut in die corporis Chriſti nihil ſuperſtitioſum video: niſi quod ſi effectus gr̃a cuius defertur, nō ſequat̃, ſcādalizari poſsēt imbecilles: vñ eiuſmodi celebrāda sūt, quāto ſecreti⁹ fieri pōt.

Punctum ſeptimū. Aduerſus maleficia iumētorū, remedia: cuius rei gratia multa dicuntur. Primum. In partibus Sueuiæ ſic practicatur. Prima die Maij, ante ſolis exortum, exeunt ruſticæ mulieres ex ſyluis & arboribus deferentes ſalicum, & aliarum frondium ramos, in circulorum modum ad oſtium ſtabuli ſuſpendentes, aſſerētes anno integro iumenta a maleficijs illæſa ſeruari. Quod equidem remedium nō eſt illicitum apud eos, quibus vanis vana retundere licet: ſine offenſa tamen Dei, dico quod ſi non obſeruata die prima, pluſquā ſecunda, neq; ſolis ortu, colligātur herbæ vel frōdes cū oratione Dominica, vel Symbolo, & fide bona, dicto modo ſuſpendantur, committendo iumentorum cuſtodiam Deo, non eſt reprehenſibile, vt liquet 26. q. 7. Nō obſeruetis. ex verbis Aug. Nam & ſine incantatione licet arreptitio herbas, & lapides habere. Ad idem eſt, quod quædam mulieres, ne vaccæ maleficio lacte ſiccentur, lac, quod die ſabbathi emungunt, ex integro pauperibus erogant, aſtruentes inde vaccas non modo illæſas durare, verumetiam & magis lacte exuberare. Quod totum probamus, ſi ex cauſa licita dies illa ſeruatur: puta, ob deuotionem ad beatam Virginem, vel huiuſmodi: & Deo iumentorum aſſeruatio per eiuſmodi pietatem commendetur. Secundum. Nider in ſuo Præceptorio præcepto primo dicit etiam per carmina, & verba ſacra licere, ſicut homines infirmos, ita & iumenta benedicere: etiam ſi incantationis ſpeciem habere uideantur, modo ſeruentur hæ conditiones, de quibus capite ſequenti, aſſerens ſe a deuotis perſonis & uirginibus experientiam tenuiſſe, quod adhibito ſigno Crucis in uaccam, & oratione Dominica una cū ſalutatione Angelica, ter, uel circiter, ceſſat opus diabolicum, etiam ſi maleficio intercedente fit. Qui & in ſuo Form. dicit conſtare per maleficos, quod ritibus eccleſiæ ueneratis, & ſeruatis, eorum maleficia præpediuntur, ut per aquæ benedictæ

dictæ aſperſionem, per ſalis conſecrati ſumptionem, per candelarum in die Purificationis & Oliuarum ac Palmarũ in die ſua benedictarum, vſum: quia huius rei gratia ab eccleſia exorcizantur. Non eſt vero mirum, ſi in eiuſmodi aliqui fideles ſimplices mira faciunt: quia fidei miracula conſueuerunt aſcribi. Eo tempore, quo Cardinalis ſancti Petri ad vincula, qui & deinde Iulius II. a facie Alexandri Borgię fugiebat, Saona per Gallos impugnata, ſed nõ expugnata eſt, Mauro & Venetis ſuffragantibus: ego Saonam prædicationis gratia miſſus, tempore carniſpriuij, in Fraſchea Terdonam & Serrauallem inter peditum ducem quendam Marzochæum nomine, offendi: cum quo ex Burgo, quem fornariorũ dicunt, Genuam, relictis copijs, adiui: cuius mula cum pedi pedem impoſuiſſet, ſe adeo vulnerauit, vt ſingulis paſsibus ſingulas ſanguinis guttas effunderet. Super quo cum plurimum anxiaretur, quod pulchra, & non ſua mula eſſet, rogauit an eam ſignare noſcerem: Reſpondi, me eam in nomine ſanctæ Trinitatis ſignaturum, & confidere quod ei bene eſſet. Acquieuit ſigno Dei, cum diabolicum habere nequiret. Signata per me mula ſigno crucis in nomine ſanctæ Trinitatis, ſtatim ſanguis ſtetit: & ſic iuga ſuperantes ad oppidum, qui Punctus decimus dicitur, deuenimus, illudque paululũ exceſsimus. Cumque alius dux peditum nobis obuiaſſet, vt mulam ſignaret, petiuit. qui an aliquis ſignaſſet, inquiſiuit: & audito quod ego ſignaſſem, ſuſpirans: o diabole, inquit, quaſi ſcilicet ipſe vir, vt erat diaboli, nihil poſſet, vbi Dei ſeruus manum admouiſſet. Signauit tamen, & abinde vſque Genuam ſanguis, qui ſteterat, ſemper refluxit. Ecce coram Deo quia non mentior. Tertium. Strigimagæ, quando iumenta volunt lacte priuare, modicum lactis, aut butiri ex eis iumentis coagulatum petere ſolent: inde, ſi queunt, arte ſua iumẽta maleficijs impetentes: vnde expedit mulieres cautas fore, cum eiuſmodi a ſuſpectis de ſtrigimagatu expetuntur. Quartum. Sunt mulieres, quæ vbi in coagulando butirum ſentiũt ſe nihil proficere, ſubito ex domo ſuſpectæ maleficæ modicum butiri habere conantur, illudque in tria fruſta diuiſum inuocata ſancta Trinitate in vas inferunt, & fugatur maleficium: quod eſt vanis vana retundere: Si tamen id ex quocunq; butiro indifferẽter fieret, adiuncta dominica oratione, & aqua benedicta, & effectus diuinæ voluntati committatur, iam nihil ſuperſtitionis haberet, & maleficium æque fugaretur. Quintum. Quia perſæpe omnia ſtabuli iumenta maleficijs inficiuntur, ſub limine oſtij, aut e pręſepio, vel vbi adaquantur, terra exportetur, & alia cum aquæ benedictæ aſperſione reponatur: quia ſæpe ſtrigimagæ faſſæ ſunt, ſe maleficij ſignum locis talibus occuliſſe per dæmonem, foſſula tantum per eas effecta: quod quidem ſignum res vilisſima fuit, aut lignum, aut lapis, aut

ſerpens,

ſerpens, aut eiuſmodi.

Punctum octauum. Contra quoſdã occultos dæmonũ effectus tam in frugibus, quam in perſonis remedia, gratia cuius multa dicuntur. Primum. Deo permittente,plerumque dæmones per locuſtas, & eiuſmodi non tam aues, quam volantes terræ vermiculos cuncta virentia terræ demoliuntur: & remedium eſt per adiurationes, quæ apud Sanctũ Tho.ſec.ſecũdæ.q.90.ad irrationalia fieri poſſunt ſub relatione ad rationales dæmones,ne nobis vt dæmonum & maleficarum inſtrumẽta ſint nocumẽto,vel noſtris: necnon & per excommunicationes,quę dæmonibus adiurationes ſunt:quo tamen caſu proceſsiones,orationes, & ieiunia deberent iniungi: quibus Deus placatus miſereri vellet, cũ propter adulteria, & alia eiuſmodi crimina,talia Deo permittente plerumque inferantur. Secundũ.Aliud horribile Deus permittit,quod ſubtractis interdum mulieribus filijs proprijs, alienos dæmones ſupponunt, & hi ſuppoſiti in Germanico vulgari, vt fertur, Campſores appellantur,ſeu Nechſekind: & in differentia triplici ſunt. Quidã enim maleficijs acti,ſemper macilenti eiulant, etiam quatuor mulieres lactę vberes exugentes. Quidam incuborum coitu modo ſupra expoſito permittente Deo ſunt producti,quos interdum ſupponunt. Quidam rurſus dæmones ſunt in paruulorum forma apparentes,& ſeſe nutricibus adiungentes. Huic triplici generi commune eſt, eſſe ponderoſos, macilentos,non excreſcentes,nec ſatiabiles potu lactis, & ſæpe dicuntur euanuiſſe:quod tertio generi proprium eſt. Tertium.Quantum capere poſſumus,diuina pietas ideo talia permittit, tum quod pueros nimium parentes ament,conſequenter autem ad vtilitatem animæ eorum talia permittuntur: ſecundo quia præſumitur,quod eiuſmodi mulieres,quibus accidunt talia, vt plurimum ſuperſtitioſæ ſunt, & in multis alijs, & in hoc a dæmonibus in pœnam ſeducuntur. Quartum, Remediũ vero ad hæc eſt vera confeſsio, & oratio: conſequẽter reconciliatio Dei: deinde arma ſpiritualia exorciſmi,de quibus pene ſtatim.

Aduerſus morbos omnes in genere per exorciſmos remedia, ac de modo exorcizandi. CAP. XII.

QVIA iam & ſtrigimagarum opera,ac maleficia, & ſpecialia etiã remedia,pro noſtra virili,attulimus:vltimo loco circa exorciſmos, qui cõtra omne opus diaboli valent, & modũ vtendi nos verſari oportet: quod multis punctis faciemus.

Punctum primum. Licite & illicite carminibus quis vtitur:pro quo dico multa. Primum.Diuus Tho.in.4 diſt.23.innuit,quod non modo Exorciſtæ, ſed quilibet fidelis dæmones licite adiurat, vt eius nocumenta

menta a ſe, & a proximo, ac rebus repellat; licet exorciſtæ ſoli hoc ex ſuo officio faciant. Nam & virgo quædam viſitans amicum maleficiatum pedem, medicorum iudicio rogata, vt aliquid benedictionis apponeret, oratione Dominica & Symbolo Apoſtolorum ſilenter dictis, & geminato ſigno crucis, eum ſtatim ſanauit. Qui in futurum perſpiciens, & quærens, quid remedij attuliſſet; Vos, inquit, alij ex fidei debilitate, reiectis Dei remedijs, quibus curaremini, illicita carmina morbis admouetis, ecce oratione Dominica & Symbolo ac ſigno crucis eſtis ſanatus. Secundum. Vnde vero vſus & abuſus carminum exortus ſit, ex his liquet. Nam principium horum ſanctiſsimum fuit: Apoſtoli enim, & alij viri ſancti, ſecundum illud Mar. vlt. In nomine meo dæmonia eijcient: infirmos viſitantes, ſuper eos orationes per ſacra Dei verba fundebant: immo interdum ipſa Dei verba ſcripta ſuper ægros deponebant, vt Barnabas euangeliũ diui Matthiæ. Succeſſu vero temporis ſacerdotes ſimilia peregerunt: propter quod etiam & exorciſmi, & deuotiſsimæ orationes in antiquis eccleſijs etiam hodie conſpiciuntur, ad omnia quæ homines circa dæmones, aut agere, aut pati potuiſſent, ſine omni prorſus ſuperſtitionis labe: ceu etiam hodie catholici & litterati viri infirmos viſitantes efficiunt. Diabolus vero hominum genus deludere cupiens, per ſuperſtitioſos homines multa cum vana, tum etiam illicita, inſtar prædictorum, adinuenit, quibus hodie circa infirmos, & reliqua vtuntur, adeo vt mundus his ſuperſtitionibus plenus ſit, & ſacerdotes Dei licita remedia ex deſidia poſtergarint. Dicit tamen Guil. Duran. gloſſ. Ray. quod religioſus ſacerdos, & laicus ſiue vir, ſiue mulier excellentis vitæ, & probatæ diſcretionis, præfata exercere poteſt, ſuſa licita oratione ſuper infirmum, non ſuper pomum, aut euangelium, aut eiuſmodi: iuxta illud, Super ægros manus imponent, Mar. 16. neque huiuſmodi perſonæ ſunt arcendæ a talibus, niſi timeatur quod inde alij carminationibus horum exemplo abutantur. Adde vero tu, quod cum Chriſtus hanc authoritatem contulerit Chriſtianis, & non Chriſtianis bonis tantum, adiurandi dæmones (quod etiam Iudas fecit, vt creditur) ideo quiſque poteſt adiuratione dæmonem, & a ſe, & a ſocio propellere: licet habita copia exorciſtæ, ei ſit deferendum: & licet prælati talia poſſent interdicere, ne publice ab aliquo fierent, ratione aliqua bona permoti. Tertiũ. In cultu vero Chriſtianæ religionis, ideſt in cultu Dei id licet, quod non eſt ſuperſtitioſum: ſuperſtitioſum vero id eſt, quod eſt in religione ſeruatum ſupra modum: vt liquet per gloſſ. ad Col. 2. ideſt, cum circunſtantijs malis & defectuoſis practicatum. Eſt etiam ſuperſtitioſum quicquid humana traditione abſque ſuperioris voto nomen religionis vſurpat, vt hymnum Angeli cum defunctorum Miſsis interponere,

nere, Præfationem abrumpere: Symbolum fidei breuiare: in Miſſa eum qui reſpondeat, non habere, & his ſimilia. Quartum. Qui ergo infirmos carminare licite cupit, ſeptem conditiones obſeruet, quibus extantibus, benedictio licita erit: quæ, etſi modo adiuratorio fiat per virtutem diuini nominis, aut ſanguinis Chriſti, aut alterius rei ſacræ, dicentur eiuſmodi carmina licita, & liciti exorciſmi: & qui exercent, exorciſtæ dici poterunt, & carminatores: Item & incantatores catholici, & liciti, iuxta illud Iſid. 8. Etym. Incantatores dicuntur, qui artem aliquam verbis peragunt, quamquam hoc nomen vſitatius in malum reſonet. Prima ergo conditio eſt, vt nihil, quod ad inuocationem dæmonum attineat, verba contineant. Secunda vero conditio eſt, ne carmina ignota nomina complectantur: talia enim ſecundum Chryſoſtomum metuenda ſunt, ne ibi ſuperſtitio lateat. Tertia, ne materia verborum quicquam falſitatis contineat, ſic enim effectus expectari a Deo nequiret: quippe qui nequeat teſtis eſſe falſitatis; in quo delinquunt vetulæ ſuis carminibus, fatua nedum falſa complectentes. Quarta, ne adducantur vana, & characteres inſcripti præter ſignum crucis. Quinta, ne ſpes in modo ſcribendi, ligandi, aut quauis eiuſmodi vanitate nihil ad rem aut diuinam reuerentiam faciente ponatur, alias omnino totum ſuperſtitioſum iudicatur. Sexta, vt in recitatione, & prolatione diuinorum verborum, aut ſcripturæ ſacræ, reſpectus ſolum ad ipſa ſacra verba, & eorum intellectum habeatur, & ad reuerentiam Dei, ac Dei uirtutem, a qua quis effectum præſtolatur: vel ad Sanctorum reliquias, a quibus aliquid ſecundario expectatur. Septima, vt effectus expectatus diuinæ voluntati & beneplacito relinquatur, qui ſcit quid plus, & quid minus poſtulanti conducat. His obſeruatis, licitum eſt etiam ſerpentes tollere, Mar. vlt. Collecta ſunt hæc ex medulla doctrinæ Sanctorum. Quintum. In eiuſmodi tamẽ multum aduertere debet exorciſta, & cauere, vt etiam Nider teſtatur. Primo, ne de ſuis uiribus præſumat: nam apud Greg. in Dial. hac ratione diabolus ſacerdotem, qui ſuper arreptam in oratorio diui Sebaſtiani ſindonem de altari poſuit, inuaſit. Et ſecundo, ne in ſerioſo Dei opere iocos miſceat, aut ſuperſtitioſum uel ſuſpectum: alioquin mirum ſi pœnas non luat: unde idem dicit ſe in conuentu Colonienſi ordinis Prædicatorum, fratrem nouiſſe ualde iocoſum, & ad dæmones expellendos multum uirtuoſum, qui cum infra eiuſdem conuentus terminos dæmonem in obſeſſo corpore coarctaret, iam dæmon petiuit quo recedens ſecederet: & frater lætus iocoſe in cloacam (inquit) meam uadas. Cum ergo noctu frater uentrem purgaret, pene eſt a diabolo ibi ſuffocatus, & uix euaſit. Et tertio, ne eiuſmodi carminibus aut exorciſmis aliter, quam pro neceſsitate ad repellenda nocumenta quis

utatur. Author eſt Henr. Inſtit. Mal. male. 2. par. q. 2. cap. 6. In ciuitate Saltzburgenſi, incantator ad ſpectaculum multorum ex ſpacio unius miliaris ſerpentes omnes ſe ad foſſam quandam adducturum, & in ea interempturum, & ſpondebat, & moliebatur, & perficiebat. Cumq; poſt omnes vnus ingens ac terrificus ſerpens conueniſſet, & fatalem foſſam ingredi recuſaret (quinimmo motibus corporis quaſi licentiã petere videbatur abeundi) & nihilominus incantator vrgeret: tandem ex oppoſita ripa foſſæ ſteterunt incantator, ac ſerpens, qui impetu facto foſſam tranſiliens in incantatorem irruit, ac ventrem eius circa cingulum ſtringens, ſecum in foſſam traxit, amboque interiere. Igitur non niſi pro hominum vtilitate cum timore ac reuerentia Dei ſunt talia practicanda.

Punctum ſecundum. Quomodo vero carminibus & exorciſmis vtendum ſit, aut quonam pacto ad perſonam ferantur alligata, dictis nonnullis, conſtiterit. Primum. Auguſt. in 2. de doctri. Chriſtiana dicit ad ſuperſtitionem pertinere mille magicarum artium ligaturas; & remedia, quæ medicorum quoque diſciplina condemnat. Chryſ. quoque ſuper Matth. reprehendit, quod aliqui partem euangelij ſcriptam portant ad collum, quod virtus euangelij non ſit in characteribus, ſed in ſenſu intellectuque verborum: conſequenter autem prædicta ſuperflua videntur. Sed diuus Tho. in 4. diſt. 15. dicit, quod in eiuſmodi duo cauenda ſunt. Vnum, ne in ſcriptura aliquid contineatur quod ad dæmonum inuocationem pertineat manifeſte: quia illicitum, & apoſtaſia a fide eſſet: Secundum, ne contineat ignota nomina, vel characteres, iuxta ſuperius dicta. Quibus ſtantibus, ſicut ſuper infirmos, ita ſuper propriam perſonam iſta licite & dicuntur, & ponuntur. Auguſt. autem damnat alligaturas & remedia ſuperſtitioſa: Chryſoſt. vero damnat eum qui magis ad characteres quam ad intellectum verborum attendit. Et ſi quis intellectum verborum non habet, veneretur Dei virtutem in euangelio ſcripto, quod in genere nouit euangelicam continere veritatem, ſe diuinæ voluntati committens: & non peccabit, ſed meritorie aget. Secundum. Cuiuſmodi vero res exorcizari poſsint pro dæmonibus compeſcendis, dico ex Doctoribus, maxime diuo Tho. in 4. diſt. 6. quod quia propter peccatum in hominem diabolus accipit poteſtatem, & in omnia quæ in vſum hominis veniunt in nocumentum ipſius, & Chriſti ad Belial conuentio ſit nulla: ideo quotiens aliquid in diuinum cultum ſanctificandum eſt, prius exorcizatur, vt liberum a poteſtate diaboli, qua in nocumentum hominis aſſumere potuiſſet, Deo conſecretur: quod in conſecratione templi, benedictæ aquæ, & omnibus huiuſmodi liquet. vnde cũ prima conſecratio qua homo dicatur Deo, in baptiſmo ſit, opoi

tet

tet hominem prius exorcizari, quam baptizari. Cum ergo exorciſmis diabolum compeſcere oportet, prius exorcizandus eſt homo maleficiatus, quam adiuretur dæmon vt recedat: ſicut etiam puer prius exorcizatur, deinde iubetur diabolo quatenus recedat. Item ſicut exorcizatur ſal & aqua, ita omnia quæ in vſum maleficiati conuerti poſſunt, vt cibaria, & potagia exorcizanda, & benedicenda ſunt. Tertium. Licet vero multæ cæremoniæ circa puerum baptizandum ſeruentur, vt exufflatio verſus Occidentem, abrenunciatio, & eiuſmodi: circa maleficiatum tamen exorcizandum eiuſmodi obſeruare neq; oportet, neque expedit; quod vtrobique eadem ſigna, & ſignata non congruant: cæterum ſufficit ſi ſit pure confeſſus, & communicauerit, & ſuccenſam benedictam candelam, ſi valet, teneat: & loco veſtis candidæ, quæ in baptiſmo traditur, candida & benedicta candela ſecundum longitudinem corporis Chriſti, ſi haberi poteſt, ad corporis nuda cingatur: deinde ſic dicatur: Quartum. Exorcizo te. N. infirmum, vel infirmam: ſacro tamen baptiſmate regeneratum, per Deum viuum ✠ per Deum verum ✠ per Deum ſanctum ✠ per Deum, qui te precioſo ſuo ſanguine redemit, vt fias homo exorcizatus, vt effugiat atque diſcedat a te omnis phātaſia & nequitia diabolicę fraudis, omniſque ſpiritus immundus adiuratus: per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen. Oremus. Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, quos diligis, corripis: & quos recipis, pie ad emendationem coerces: te inuocamus Domine vt famulo tuo. N. qui in corpore patitur membrorum debilitatem, gratiam tuam conferre digneris, & quicquid terrena fragilitate corruptum, quicquid diabolica fraude violatum eſt, vnitati corporis eccleſiæ membrum redemptionis annecte: Miſerere Domine gemituum, miſerere lacrymarum eius: & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia, ad tuæ reconciliationis ſacramentum admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Deinde diabolus adiuretur in hunc modum. Quintum. Ergo, maledicte diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero, da honorem domino Ieſu Chriſto, & recedas ab hoc famulo Dei. N. cum tua factura: quem dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuo pretioſo ſanguine redemit. Demum ſecundo & tertio iterum exorcizetur, & adiuretur, vt ſupra: & in ſecundo exorciſmo oratio. Deus qui facturæ tuæ ſemper pio dominaris affectu: inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulū tuum. N. aduerſa valetudine corporis laborantem, placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, & cæleſtis gratiæ ei præſta medicinam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amē. Pro tertio exorciſmo oratio. Deus infirmitatis humanæ ſingulare prę-

 ſidium,

ſidium, auxilij tui ſuper infirmum noſtrum oſtende virtutem, vt ope miſericordiæ tuæ adiutus, eccleſiæ tuæ ſanctæ incolumis repræſentari mereatur, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Et crebro aſpergatur aqua benedicta. Sextum. Et nota primo, quod non limitatur quis vt his præciſe vtatur exorciſmis, ſed vt catholicis vtatur. Nota ſecundo, quod in arreptitio diabolus ſemper in ſe eſt præſens, quando cruciatur: quia vbi operatur angelus, ibi eſt: non autem ſemper præſens eſt ſecundum ſuum eſſe in maleficiato dum torquetur. Ratio autē diuerſitatis eſt, quia arreptitium torquet per ſe, niſi ſimul etiam ſit maleficiatus, habens ſcilicet in corpore ſuo aliqua actiua naturalia, quibus crucietur: maleficiatus vero actiuis naturalibus torquetur, vnde ſufficit ſi dæmon ſit præſens in ſuo effectu. Si tamen maleficium eſſet extra, vt in olla ſuffoſſa, cum torqueretur maleficiatus, dæmon eſſet præſens ſecundum eſſe. Notandum eſt tertio, quod ſicut licet nobis vti dæmonis auxilio quaſi ſuperioribus præcipiendo, vt facturam ſuam, ſiue maleficium deſtruat, & cum eo recedat (non enim eſſet infirmus ſanus dæmone ſolum deſinente cruciare, ſi naturalia actiua intus remanerent, quia ipſa nocumentum inferrent) ita licet nobis ſuperioris dæmonis auxilio vti, iubendo vt inferiorem coerceat. Omnia enim hæc ad id tendunt, ne nobis diabolus noceat: non autem vt nobis ſuffragetur, quippe qui ope ſuperioris dæmonis nil niſi carentiam mali nanciſcamur. Septimum. Hæc ergo practica in eiuſmodi obſeruetur. Primo maleficiatus pure confiteatur, iuxta cap. Si per ſortiarias 26. q. 6. & abſoluatur ab excommunicatione, ſi opus eſt, vel ad cautelam, & communicet: deinde fiat diligens inquiſitio per domum, lectum, ac veſtes: etſi inuenitur maleficium, ſtatim ignibus abſumatur: ſi etiam commode fieri poſſet, mutentur veſtes, & lectiſternia, & domus: deinde vero pro poſſe eccleſiam intret, & genua flectat cum candelis, vt ſupra: & aſtantes orent, ac ſacerdos confiteatur, & deinde incipiat; Adiutorium noſtrum &c. & aquam ſanctam aſpergat. deinde dicat: Deus in adiutorium, & proſequatur letaniam, eo modo quo ſuper infirmos dici conſueuit: dicendo ora pro eo, libera eum, & eiuſmodi vſque ad orationes, quarum loco ſubinferat exorciſmos & adiurationes, vt ſupra, vel alio meliori modo, ſi poteſt, bis vel ter in hebdomada. Expedit etiam legere Euangelium, Miſſus eſt, & Euangelium, In principio erat verbum, & collo ſuſpendere: & Paſsionem Domini, & Pſal. 90. Qui habitat, qui mirandæ virtutis contra dæmones eſt: quod expertus, compertum habeo. Notandū quarto ex diuo Tho. 4. diſt. 6. quod tā exorciſmus, quam aqua ſancta contra dæmonum moleſtias ordinatur, verū exorciſmus congruit contra vexationē intrinſecā: vnde exorcizantur

energu-

energumeni, ideſt, intus laborantes: aqua vero benedicta contra extrinſecam.

Punctum tertiũ. Quæ vero ſuperſint remedia, ſi exorciſmi & præmiſſa ægrum non curarint, quibuſdam dictis abſoluam. Primum. Ex multis cauſis euenire ſolet, quod prædicta non liberent: quorum nonnulla colliguntur Matth. 17. & Mar. 9. vbi præſente Chriſto, & diſcipulis vnigenitus patri lunaticus curam ſuſcepit. Prima eſt circunſtantium vel offerentium fides exigua: vnde pater ille dicebat, Credo Domine, adiuua incredulitatem meam: & ad turbam circunſtantem Ieſus dixit: O generatio incredula. Secunda eſt peccata ſuſtinentis maleficium, vnde illum filium Ieſus increpauit: & ibi Hieronymus dicit, eum propter ſua peccata fuiſſe a dæmone oppreſſum. Tertia eſt negligentia exhibentium remedia: vnde ibi viri perfecti non fuere præſentes. vnde ibi dicit Chryſ. quod fidei columnæ Petrus ſcilicet, Iacobus, & Ioannes non aderant, ſicut Chriſti transfigurationi affuerant: nec aderant itidem oratio, & ieiunium, ſine quibus minime curatur genus illud. Quarta eſt aliquod exorciſtæ in fide vitium: vnde ibi Chriſtus, diſcipulis quærentibus, cur ſpiritũ nequiuiſſent eijcere, reſpondit propter incredulitatẽ veſtrã: vbi Hilarius, Crediderũt, inquit, Apoſtoli, ſed noudum erãt in fide perfecti. Quinta eſt vt notificetur virtus in alio, quam in exorciſta exiſtens: ſic enim in vitis Patrum legimus, obſeſſos, quos beatus Antonius non curarat, aliquando Paulum eius diſcipulum curaſſe. Sexta eſt purgatio eorũ qui patiuntur: ſæpe enim abolita culpa, pœna non aboletur ad expurganda priora delicta. Septima eſt ſi ritus baptiſmi nõ fuit ex toto bene obſeruatus: experientia enim docuit, nonnullos liberatos ex rebaptizatione cõditionata: quo tamẽ remedio vti non licet, niſi in dubio, prout Doctores limitarunt: quia tamen deficiẽtibus his, quæ ſunt in baptiſmo annexa, diabolus minus recedit ab homine, & ſacerdotes circa eiuſmodi multos defectus admittunt, & multo magis vetulæ non exorcizantes: omiſſa repetere bonũ eſt. Secundum. Etſi vero prædicta impedimẽta ſuper energumenos & arreptos ſonant, in maleficiatis tamen locum habent: quia vtrobique eadẽ diuina virtus exquiritur, immo maioris videtur eſſe difficultatis maleficiatum quam arreptum curare: quia arripiuntur homines interdum pro nullo proprio delicto, vt patuit ſupra: maleficia vero adultorum vt plurimum ex peccatis eorum emergunt. Tertium. Qui vero prædictis licitis remedijs curari nequeunt propter impedimenta quæ diximus, ad patientiam & tolerantiam commonendi ſunt, in remiſsionem ſuorum peccaminum: & ne ad illicita remedia contra Dei voluntatem nitantur, ne eis deteriora contingant.

DE

DE STRIGIMAGARVM DAEMONVMQVE MIRANDIS,

LIBER TERTIVS.

An in ſtrigimagas ut in hæreticum genus ſit animaduertendum.

CAP. I.

QVIA vero iam de principijs mirandorum creaturæ damnatæ in primo, & de mirandis ipſis atque antidotis eorum remedijs in ſecundo libro pertractatum eſt: reliquum & vltimum putarim, vt de remedijs contra ipſas damnatas creaturas agamus, ne mundus tanta labe confectus tabeſcat: quæ equidem remedia aduerſus dæmones nulla ſunt, quippe qui nec ad bonũ verti vt obſtinati: nec eliminari e mundo vt incorruptibiles queãt: vnde aduerſus ſtrigimagas remedia meditemur. Quæ cũ duo ſint, earũ ad Deum ſcilicet verſio, & earum e mundo exploſio, primo veluti difficillimo miſſo, de ſecũdo tractandum reſtat, quonã ſcilicet modo aduerſus eas criminaliter ad ſupplicium, aut correptionem procedatur: vt vel elimentur moribus, vel ignibus eliminẽtur. Illud autẽ ante omnia enucleandum eſt, an contra eas veluti contra hæreticos, aut apoſtaſtas per Inquiſitores inquirendum ſit: quod multis punctis facturi ſumus.

Punctum primum. In hac re duæ ſunt Inquiſitorum opiniones cõpugnantes in ordine meo: in cauſa fuit quod eorum quidam, quantũ cum Deo poterant, vt ipſimet teſtantur, voluerunt Inquiſitoribus eſſe laborũ ſubleuamento: vnde eis cõmuni iure, etſi non priuato, ſtrigimagarũ negocium ſubtraxerũt, vt Henr. Inſt. & Socius ac reliqui Germaniæ ſuperioris Inquiſitores. Alij vero zelo fidei in ſtrigimagas ardẽtes, eas Inquiſitoribus etiã cõmuni iure ſubiugarũt, vt hi qui in Hiſpanijs inquirunt. Si autẽ me nec inuidia, nec obſequio docentẽ, verum dicere oportet, eſt Hiſpanorum, vt patebit, opinio vera. Vtramq; ergo citabo, & Hiſpanorũ in primis. Hi quod ad Inquiſitores pertineãt cõmuni iure omnes malefici, ſortilegi, diuinatores, necromantici ſenſerunt: modo aliquid dicerent, aut facerent, quod hæreſim ſaperet manifeſte; ſic tamen, vt in tribus, quæ in ca. Multorum querela, notantur de hære. in Cle. nec Inquiſitor ſine Epiſcopo, nec ſine Epiſcopo Inquiſitor iure procedat: quamquã in multis alijs poſſint diuiſim & in ſolidũ procedere,

dere,de quibus ibi.His addunt blaſphemos(quod intellige de blaſphemia proprie,& ex obiecto,quæ ſcilicet Deo aut indebitum tribuit,aut debitũ aufert: & cõſequenter ſemper hæreſim ſonat) & quocũq; modo dæmones inuocãtes(quod ſcilicet hoc hæreſim ſapiat)& eos qui in cauſa fidei, ſentẽtiã excõmunicationis obſtinato animo anno integro tulerunt.Alia vero opinio (immo potius voluntas) eſt,quod Ordinarij contra maleficos ſine Inquiſitoribus procedere poſſunt, licet nõ ſine Iudice ſæculari,vbi punitio in ſanguinis vindictam tranſiuiſſet:nec ipſi Inquiſitores cõmuni iure cõtra eos procedunt . Cæterũ,vt dictũ eſt, opinionẽ hanc voluntatẽ potius dixeris,quam opinionẽ:quippe ipſimet opinãtes viderunt ſe ſuam nõ poſſe firmare ſententiã,niſi per antiqua iura,limitata per noua : vnde & de ea dubitarunt manifeſte , & faſsi ſunt Inquiſitores cõtra eiuſmodi bene facere procedẽtes, vbi Ordinarij non procedunt: quod vtique verum minime eſſet,ſi id iure nequirent : iniuria enim procederent. Procedunt ergo Epiſcopus & Inquiſitor,etiam diuiſim,iuxta cap. Multorum querela, de hære.in Cle. niſi(vt ibi patet) in tribus,ſcilicet,addictione ad pœnalẽ carcerem,addictione ad torturã, & in ſententia cõtra delatũ . Quod intelligo etiã , ſi nõ ſit contra in ordine ad ſanguinẽ, cæterũ in ordine ad purgationẽ canonicã,vel abiurationẽ: quia talis ſententia eſt cõtra,etſi etiã ſit pro delato in parte,pro quãto abſoluitur a morte: & hoc per regulã Odia, lib.6. & maxime quia per ſe ſententia eſt contra,per accidens autẽ eſt pro,ideſt,non ex cauſa Iudicis,ſed ex qualitate delati.Et ita multotiẽs per peritos concluſum eſt; & tenet Inquiſitorum Directorium.

Punctum ſecundũ . Quomodo autẽ in his ſeſe veritas habeat , olim per multa dicta,in hanc ſententiam monſtrauimus. Primum.Inquiſitor hæreticæ prauitatis,contra hæreticos, & comparticipes,ideſt,fautores,defenſores,receptatores,poſſet inquirere & procedere: extra eodem Contra , libro 6. adde & contra credentes , quippe qui veri ſunt hæretici . Secundum . In eodem etiam cap. dicitur . Contra Chriſtianos qui ad ritum tranſierunt,vel redierint Iudæorum:etiam ſi eiuſmodi redeuntes,dum erant infantes,aut metu mortis, non tamen abſolute aut præciſe coacti baptizati fuerunt, erit tanquam contra hæreticos,ſi fuerint de hoc confeſsi,aut per Chriſtianos ſiue Iudæos cõuicti : & ſicut cõtra fautores,receptatores,& defenſores hæreticorum,ſic cõtra fautores,receptatores, & defenſores talium eſt procedendum. Hæc ibi.Et addit gloſſ. quod in Iudæorum ritum hi tranſeunt , qui nunquã antea fuere Iudæi:redeũt vero qui fuerũt aliquãdo ; necnõ quod horũ bona ſicut aliorũ cõfiſcãtur, nec ad filios etiã catholicos deuoluuntur. Tertiũ . Sicuti etiã ibi gloſſ. probat, & tenet Io.An.in no.& Archie.3. parte,titulo 19.ca.2.§.pe.in fi.p litteras Clemẽtis. IIII. & Gregorij.X.

Iudæi

Iudæi Chriſtianos vtriuſque ſexus ad ritum prædictum inducentes, in Inquiſitorum officium cadunt: quippe qui, etſi non ſunt hæretici proprie, aut hæreticorum fautores: large tamen fautores, immo factores hæreticorum ſunt. Regulariter tamen contra eos pro iuſtitia ſæculares iudices adire ſolent, vt extra de Iudæis, Iudæi. & ca. Si nullus: & in Cle. Cedit eo. titulo dicitur de Sarracenis. Et quia tales Iudæi ad iudaiſmum redeuntes, ſolent ſe nouiter irriſorie baptizare, lauando, atq; radendo caput, videtur per ſæculares iudices capitis pęna imponenda C. de apoſtatis: quia ſi rebaptizanti imponitur. C. ne ſanctum baptiſma. l. 1. fortius ſe rebaptizanti, ſeu volenti baptiſmum tollere. Si tamē Inquiſitores illud punire volunt, poſſunt, vna tamē cum Epiſcopo, per Cle. primam de hære. Quartum. Contra diuinos autem vel ſortilegos, Inquiſitor procedere non poteſt: dicente Alexandro de hære. Accuſatus, libro. 6 quod de diuinationibus & ſortilegijs Inquiſitores ſe intromittere non debent, niſi hæreſim ſaperent manifeſte: vbi gloſſ. infert, quod in dubio non habent iuriſdictionem: quod nequaquam intelligendum eſt in dubio, an factum ſit patratum necne: ſed in dubio, an hæc ſapiant hæreſim, vt ex Direct. Inquiſi. & ex textu liquet. Ibi etiam gloſſ. Io. An. exemplificat de ſapientibus hæreſim: ſicut, inquit, eſt circa aras idolorum nefarias preces effundere, ſacrificia offerre, dæmones conſulere, eorumque reſponſa ſuſcipere, vt 26. q. 2. Hi qui, vel ſi aſſociant ſibi propter ſordes exercendas hæreticos, vel faciunt prædicta cum corpore & ſanguine Chriſti: vel in fontibus, vt poſsint a dæmonibus habere reſponſa, puerum baptizant: vel his ſimilia. Hæc ibi. Oldradus tamen conſilio 210. limitat inuocationem dęmonis hęreſim ſapere manifeſte, ſi fiat ad exercēda opera ei naturaliter impoſsibilia, alias ſecus: puta, ſi inuocetur vt mulierem tentet: quam quidem limitationem alias in Silueſtrina retulimus truncate. Ipſe enim non diſtinguens inter eſſe hæreſim, & hæreſim ſapere, dicit ſapere hæreſim dæmonis inuocationem, ſi ad impoſsibile ſibi inuocetur, vt ad prædicendum futura, quod Dei eſt proprium: ſi vero ad tentandum mulierem, quod eſt ei proprium, non ſapit hæreſim manifeſte, ſi fiat per modum imperij: ſapit vero, ſi dæmon adoretur. Hæc ille valde bene. Quintum. Pro his ergo ſciendum eſt, quod cum hæreſis eſſentialiter in intellectu ſit: eſt enim infidelitatis ſpecies; & infidelitas in intellectu eſt, veluti & fides, ex nullo ſortilegio probatur quis eſſe vere & proprie hæreticus: cum omnia eiuſmodi ex concupiſcentia poſsint, non ex infidelitate proficiſci: propter talia tamen interdum eſt quis hæreticus præſumptiue, ſecundum Io. An. vbi ſupra, & Oldr. ſimiliter vbi ſupra: & Direct. inquiſi. & omnes pene doctores: & ita etiam conſuetudo legum interpres obſeruat, &, ideſt quando ſapiunt hæreſim manifeſte.

Quod equidem quantum ad inuocationes dæmonum attinet, tripliciter eſt, vt probat Direct. Inquiſitionis, primo ſi eis honor latriæ defertur. ſecundo etiam ſi honor duliæ. tertio ſi nullus quidem defertur honor, inuocantur tamen ad ſibi impoſsibile, vt ad noſcendũ futura, aut cordis arcana: & hæc etiam eſt mens Oldr. vbi ſupra: apud quem hęc ſapiunt hæreſim, ſi ad impoſsibile inuocentur: vel ad poſsibile quidē, ſed non per imperium, verum per adorationem: quæ, ſupple, eſt aut latria, aut dulia. Addit tamen vnum non vſquequaque bene dictum: quia (inquit) ſi adorans hæreticum hæreticus eſt, de hære. Quicunq; & eo. ca. Accuſatus in 6. multò magis adorans diabolum: hoc enim nõ procedit niſi quando quis diabolum adorat credens adorandum: non aliter, ſicut nec hæreticus eſt adorans hæreticum propter timorem humanum, aut amicitiam, aut terrenum commodum, vel eiuſmodi, ſine hoc quod eius doctrinæ credatur. Quantum ad alia vero dicendum eſt de mente Doctorum, quod hæreſim ſapiunt manifeſte, quando ex ſua natura aliquid præſeferunt, quod manifeſte eſt hæreſis: ſicut baptizare imaginem, præ ſe fert quod eiuſce ſacramenti ipſa ſit capax, & rebaptizare puerum præ ſe fert puerum bis poſſe baptizari, & ſic de reliquis. Sextum. Nec ipſi Inquiſitores id poſſunt in dubio, an quid hæreſim ſapiat necne cognoſcere: quia non eſt eis attributa iuriſdictio, vt gloſſ. no. in d. ca. Accuſatus. Et licet alias in dubio Iudex cognoſcat an ſua ſit iuriſdictio, & eam habere dicatur in dubio, vt. ff. de iudi. l. ſiquis ex aliena: tamen ſecundum Io. An. hoc locum habet in ordinario: Inquiſitor vero niſi clare & manifeſte pateat, non ſe intromittit: quippe qui nõ ordinarius, ſed delegatus Iudex eſt. Glo. autem in ca. 1. de offi. dele. quæ videtur ſentire cõtrarium, ſecundũ Angelicam Sum. intelligenda eſt, quando certum eſt, quod aliquid ſapiat hæreſim, ſed dubitatur an ſit manifeſta necne, ideſt notoria: quaſi id velit dicere, quod Inquiſitor poteſt ſe intromittere de ſapientibus hæreſim, ſi ſint notoria, vel dubia de notorietate: non autē ſi ſint occulta, licet ſit manifeſtum quod hæreſim ſapiãt. Qui ſenſus nullo modo procedit: quia non dicit tex. de ſapientibus hæreſim manifeſtis: ſicut tex. illius gloſſ. loquens de conſeruatoribus dicit de iniurijs manifeſtis: verum tex. noſter dicit, manifeſte: quod aduerbium cum ſit, conſequenter autē verbum limitet oporteat, neceſſe eſt vt ad verbum, ſapere, referatur, cuius adiectiuum eſt: non autem ad ipſum eſſe manifeſtum. Vnde dico illam gloſſ. in iſtis iudicibus locum minime habere, ſed in alijs.

Punctum tertium. Opinio ergo prima, quod contra ſtrigimagas, & omnes quocunque modo dęmones inuocantes cum hæreſis ſapore Inquiſitores communi iure procedant, etſi iam ex dictis liquet, ſic tamen amplius probatur. Primo. Siquid enim obſtat, id maxime obſtat,

quod hi poſſunt prædicta facere, nec tamen de hæreſi conuinci: quia cum eiuſmodi facere poſsint, & ex infidelitate, & ex voluptate, concludi nequit, quod ex infidelitate: interuenit enim fallacia conſequentis in eo, quod eſt a duabus cauſis poſsibilibus ad earum vnam determinate deſcendendo concludere. Sed hoc aliquo pacto obſtare nequit, alioquin contra nullum penitus hæreticum cõcludi poterit, quod hæreticus ſit, quantumcũque dicat hæreſes, & affirmet. Poteſt enim quis hæreſim aſtruere, aut Iudæorum dogma profiteri, quia ita credit: vel etiam ſi non credit, propter alium finem: puta, propter ſchiſma tuendum. 24.q.3. Inter hæreſim: aut certe vt Iudæam dilectam vxorem ducat: vel vt fœneretur: vel vt licentius peccet, dum aliquod vitium eſſe vitium negat, & infinita eiuſmodi. Conſequenter autem cum omnis hæreſis ex infidelitate, vel alia cauſa poſsit emergere, concludi nequit determinate, quod ex infidelitate emergat, & conſequenter nullus cõuinci poteſt eſſe hæreticus proprie: & conſequenter nullus poterit hæreticus damnari, quod eſt abſurdum. Poſſunt ergo Inquiſitores contra prædictos procedere. Et obfirmatur amplius ratio: quia in cap. Contra, de hære. lib. 6. ſtatuitur, vt contra Chriſtianos, qui fiunt Iudæi, vel redeunt ad Iudaiſmum ſicut contra hæreticos procedatur: & tamen conſtat quod crebro qui ex Iudæis baptizantur, ad Iudaiſmũ redeunt plerumque non ex infidelitate, ſed ex paupertate, vt plerumque experientia docet. Secundo. Nam hæc opinio eſt determinata per canones, in ca. Accuſatus, de hære. in 6. vbi dicitur, quod Inquiſitores de diuinationibus & ſortilegijs ſe non intromittant, niſi hæreſim ſaperent manifeſte. Senſus enim horum verborum, quibus Inquiſitoribus annuitur in caſu aliquo poſſe de ſortilegijs & diuinationibus cognoſcere, aut eſt vt id poſsint, quando hæreſim ſapiunt ſortilegi & diuini: aut quando id ſapiunt diuinationes & ſortilegia, etiam ſi eiuſmodi homines non ſapiant. Senſus primus aliquo modo procedere non poteſt. Primo, quia textus non loquitur de dictis hominibus, verum de dictis operibus, quippe qui non dicit de ſortilegis & diuinatoribus, ſed de ſortilegijs & diuinationibus: vnde ad iſtum ſenſum ly, ſaperent verbum, non haberet caſum, niſi per ſuppletionem, quo modo loquendi ius Pontificium vti non conſueuit. Secundo, quia apud iſtum intellectum non diſtingueretur inter eſſe hæreſim, & ſapere hæreſim, & conſequenter nec inter eſſe hæreticum, & hæreſim redolere: quia ipſi ſortilegi, vel diuini ſecluſis ſuis operibus, non aliter ſapiunt hæreſim, niſi quia credunt: ſapere enim ad intellectũ pertinet, in quo, reſpectu ſpectantium ad fidem, non eſt niſi credere, decredere, dubitare, quod etiã ad decredere ſpectat. Oportet autem omnino diſtinguere inter eſſe, & ſapere hæreſim, alioquin nullus ſuo opere ſapere poſſet hęreſim, niſi

etiam

etiam hæreticus eſſet: quod contra omnes doctores eſt, præcipue Ioan. Anto. & Oldr. d.conſ. 210. apud quos inuocatio dæmonum ſemper eſt cum ſapore hæreſis, & clarum eſt quod non ſemper cum hæreſi. Oportet ergo ſecundum dicti capituli ſenſum procedere, quod eſt noſtrum inſtitutum, vt ſcilicet Inquiſitores de crimine ſortilegij & diuinationum eo caſu ſe intromittant, quo iſta redolent, ideſt præ ſe ferunt hæreſim: quamquam forte qui hæc exercent, hæretici non ſint. Tertio. Omnis ſenſus, qui ex littera legis non extorta aut violentata haberi poteſt, & ex conſuetudine quæ legum interpres eſt, ſeruatur, & a doctoribus omnibus vel præcipuis traditur, ſequendus ſit oportet; nihil enim obſtat. Sed quod Inquiſitores procedere, & inquirere, ac pronunciare poſsint contra diuinos & ſortilegos, etiam ſi non ſint hæretici, modo faciant prædicta quæ hæreſim præ ſe ferunt, eſt ſenſus eiuſmodi in illis verbis d. cap. Accuſatus: niſi hæreſim ſaperent manifeſte, & quantum ad litteram patet, quia de ſortilegijs & diuinationibus, non de eorum authoribus loquitur: & quantum ad conſuetudinem, quia vbique Inquiſitores ita obſeruant. Et ex doctoribus vel præcipuis, vt patuit de Ioan.Anto.& Oldr.& idem Archi. ſuper eodem cap. §. Sane: & ſuper eodem verbo, ſaperent: & Ioan. Mo. & Guil. de Mon. Laudu. & Ray. cuius dicta de omni ſimili inquantum ſimile accipienda ſunt. Is enim vbi loquitur de reuertentibus ab apoſtaſia, dicit. Reuertentes ab apoſtaſiæ perfidia, cum fuerint hæretici, tanquam reuertentes ab hæreſi ſunt recipiendi: qui vero metu mortis fidem abnegant, & erroribus non credunt, licet vere hæretici non ſint, poſtquam non habent in mente errorem, iudicio eccleſiæ, quæ habet per exteriora de interioribus iudicare, hæretici habendi ſunt. Hæc ille. Si ergo iudicio Eccleſiæ hæretici ſunt, & vt hæretici recipiuntur, & tractantur, qui metu mortis fidem negant: quid dicemus de his, qui id non cauſa vitandæ mortis, ſed aſſequendæ voluptatis patrarunt, vt ſtrigimagæ? Eſt ergo ſequendus hic ſenſus. Quarto. Qui hæretici, & pluſquam hæretici ſunt, in iudicium Inquiſitorum veniant neceſſe eſt: hos enim Inquiſitores dico, qui contra hæreticos inquirũt. Sed omnes malefici, incãtatores, diuinatores, ſtrigimagæ, & eiuſmodi monſtra, habentia cũ diabolo & morte pacta expreſſa, vel tacita: ſeu (quod in idem redit) qui faciũt erga dæmones ea quæ hæreſim redolent, ſunt hæretici, pro quanto aliquid de fide negant: & plus quam hæretici, pro quanto negant totam: ſicut ſi dicamus tetragonum trigonum eſſe, & amplius: aut quaternariũ trinariũ, & amplius: quia oẽs eiuſmodi ſunt apoſtatæ, quippe qui fidẽ aut expreſſe, vt ſtrigimagæ; aut implicite, vt reliqui negant, du in ſe inimico tradunt.

Quod vtique ſenſit diuus Thomas in 2.diſt.7. vbi quærit,an vti auxilio dæmonis ſit peccatum: vbi inter alia pertractans illud Iſa.8.Nunquid non populus a Deo ſuo requiret viſionem? dicit. In omnibus, in quibus operis complementum ex dæmonis virtute expectatur, eſt apoſtaſia a fide propter pactum initum cum dæmone: aut verbotenus,ſi inuocatio interſit: vel facto aliquo,etiam ſi ſacrificia deſint. Et idem Petrus de Taran.& Alber.Magnus ibidē,& S.Bona.& Alexan. de Al.& Guid.ord. Carmel. q omnes id vnanimiter aſtruūt, quod qui dæmones inuocant,apoſtatæ a fide ſunt,& conſequenter pluſquā hæretici ſunt.Et conſequenter iudicio Inquiſitorum veniunt condemnādi,& maxime ſtrigimagæ,quæ vltra fidei ſanctæ abnegationem,habēt crimina maxima & horrenda,vt patuit. Propter quæ apud Aug. Botan.iuris vtriuſque doctorem,poſſunt etiam non relapſæ tradi brachio ſæculari: ſed de hoc modo nihil.Sic ergo patet,quod habito quod aliqua perſona negauerit fidem, vel inuocauerit dæmones, non eſt quærendum neceſſario qua de cauſa id effecerint: quia ſiue ex infidelitate,ſiue ex voluptate,aut vtilitate id fecerint,puniuntur vt hæretici,aut vere,aut præſumptiue. Alioquin adorans hæreticum non eſſet conuictus, contra ca.Filij.& ca.Accuſatus,de hære.lib 6.& cōtra no.per Archi.ibi in ca.Quicunque,ſed oporteret interrogare de cauſa. Et prætetea expreſſe vt hæreticus damnatur, qui forte in re non eſt hæreticus, vt contumax in cauſa fidei, & propterea per annum manens excommunicatus, vt in ca. Cum contumacia, de hære.lib. 6.

Punctum quartum. Sed contra prædictam opinionem ſic declaratam,ac firmatā,argui multipliciter poteſt. Primo.Nam crimen, contra quod eiuſmodi Inquiſitores poſſunt procedere, oportet eſſe & hęreſim,& manifeſtam hæreſim,vt patet per ca.Accuſatus,in 6. eo. titu. in verbo, Niſi hæreſim ſaperent manifeſte. Sed ea quæ Canoniſtæ & Theologi dicūt ſapere hęreſim manifeſte,vt inuocatiōes dęmonū &c. non ſunt crimen hæreſis: quippe quæ ſine hæreſi committi poſſunt: puta,ex voluptate,vel commoditate,& eiuſmodi. Non ergo de his debent ſe Inquiſitores intromittere, niſi ex radice procedāt infidelitatis. Sol.Negatur maior de hæreſi proprie,quæ vera eſt de hæreſi præſumptiue,de qua loquitur capitulum adductum: negatur etiam minor de hæreſi præſumptiue,quæ tamē vera eſt de hæreſi proprie: & hoc probatio cōcludit,& aliud nihil. Secundo. Ad hoc quod aliquis ſit hæreticus,quinque requiruntur. Primum,vt ſit error in intellectu: Tum quia id omnes aſtruunt,quod duo ſunt quæ hæreticum faciunt, error in intellectu,quaſi materiale; & obſtinatio in voluntate, quaſi formale: Tum quia apud Auguſt.hæreticus is eſt,qui opiniones nouas & fal

ſas aut

ſas aut gignit,aut ſequitur: Tum quia hæreſis eſt ſpecies infidelitatis, & conſequenter ſicut & fides in intellectu eſt, in quo non eſt niſi cognitio vera, vel falſa. Nec huic obſtat, quod ſine errore Simoniacus eſt hæreticus. 1. q. 1. Quiſquis: quia ibi ſermo eſt de hæreſi improprie per quandam aſsimilationem: vel alluſiue ad nomen hæreſis, quod diuiſionem ſonat, quam Simonia facit a gratia Dei & diſcipulatu Chriſti. Secundum, vt ille error circa ea ſit, quæ fidei ſunt, vel circa determinationes eccleſiæ in ſpectantibus ad fidem, & mores: eccleſia enim eſt regula fidei 24. q. 1. Quotiens. ſecus ſi error eſſet in philoſophicis, vt quod ſol ſit minor terra. Tertium, vt is, in quo eſt error, ſit catholicā fidem profeſſus, alias eſſet Iudæus vel Paganus, non hæreticus. Vnde dicit Auguſt. in lib. de ciui. Dei, quod diabolus videns humanū genus a cultura idolorum ac dæmonum liberari, hæreticos mouit, qui ſub vocabulo Chriſtiano doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ. Quartum, vt talis errans aliquam veritatem de Chriſto confiteatur: alias ſi totum negat, apoſtata eſt, vt Iulianus, non hæreticus proprie, etſi quandoq; vnum pro reliquo ponitur. Quintum, vt errorem eiuſmodi comitetur voluntatis pertinacia: vnde non qui falſas opiniones gignit, vel ſequitur, ſed qui pertinaciter defendit apud Auguſt. hæreticus eſt cenſendus. Vnde & dicebat: Errare potero, hæreticus non ero: quia ſcilicet paratus erat corrigi, vide 24. q. 3. Dixit Apoſtolus. Sed in diuinis, ſortilegis, ſtrigimagis, & huiuſmodi, non ſunt neceſſario iſta: immo poſsibiliter deficit eis error in intellectu, vt plerumque experientia docuit, quod eiuſmodi multi de fide per omnia bene ſentientes, abuſi ſunt ſacramentis, baptizarunt imagines, Chriſti corpus & crucem conculcarunt, fidem negarunt, vt a dæmonibus aſſequerentur optata. Non ergo eiuſmodi neceſſario ſunt hæretici, & conſequēter non incidunt in iudicium Inquiſitorū: Vnde & beatus Antoninus in 2. parte. tit. 12. ca. 5. §. 1. dicit quod huiuſmodi non ſunt hæretici, quamuis Eccleſia ſtatuere poſſet quod punirentur vt hæretici. Sol. Conceditur quod concluditur, ſcilicet quod eiuſmodi in veritate non ſunt hæretici proprie, ſed præſumptiue: cum vero infertur; conſequenter autem non incidūt in iudicium Inquiſitorum, hoc vtique negatur, vt iam liquet. Beatus vero Anto. omnia bene dicit, nec oportet aliquid addere, niſi id tantū, vt quod eccleſiam dicit poſſe facere, nos dicimus eccleſiā feciſſe in d. ca. Accuſatus, vt probatum eſt. Tertio. Si ſtrigimagæ, & huiuſmodi ea ratione, quod dæmones inuocant, veniunt iudicio Inquiſitorū plectendæ, quaſi hæreticæ vel apoſtatæ: pari ratione & Salomon adorando idola cum vera fide in corde, fuiſſet apoſtata, vel hæreticus. Hoc autem eſt falſum, quia nullus hoc dixit. Ergo &c. Sol. Salomon fuit vere apoſtata in conſpectu ſynagogæ, ſicut & Hieroboam, qui vitulos

coluit: nõ quin crederet vnum verum Deum, ſed ne decem Tribus, propter acceſſum ad templum Domini in Hieruſalem regrederentur ad regnum Dauid. Coram Deo tamen, qui cor intuetur, nullus recte credens, apoſtatat a fide. Cum vero dicitur, quod nullus hoc dicit, arguitur negatiue ab authoritate, quod non licet, maxime vbi agitur de regis ignominia. Quarto. Nam ſi ſtrigimagę veniũt puniendæ quaſi hereticæ præſumptiue, aliquis ex præſumptione de hæreſi damnaretur, contra ca. Litteras, de præſump. Sol. In primis quidem ca. illud non vtitur verbo præſumptionis, ſed ſuſpitionis: ne tamen videamur effugere, Dico quod ſi pręſumptio de aliquo crimine inde venit, quod teſtes ſufficienter nõ probent crimen hæreſis, nullus damnatur, & hoc vult capitulũ illud. Si vero inde venit, quod vnũ crimẽ probat maius hæreſi, & illã includens, quod de hæreſi crimine minori facit præſumptionẽ, iam licet talẽ puniri vt hæreticũ: nõ enim punitur quia ſit hæreticus, ſed quia commiſit crimen, in foro Eccleſiæ hęreſim includens. Vnde hic eſt ſuſpitio violenta iuris, immo & de iure: de qua infra ca. vlt. puncto ſecundo. Inducerem hic rationes Franciſci Ponginibij, ſi eſſent alicuius momenti, & non ſcirem quod ex voluntate, non ex ingenio ſcripſit. Adduco autem in confirmationem prædictorum erudiſsimum virum dominum Io. de Turre cremata, qui ſuper dicto cap. Epiſcopi, doctiſsime probat impoſsibilia fore, & tãdem præſeruans ſe, ne crederetur tenere cõtra prędicta, dicit aliud eſſe quod vera ſint, quę illæ mulierculæ dicebãt, aliud quod diabolus hominẽ realiter de loco ad locũ ferat: quia primũ eſt impoſsibile, non ſecundum. Hæc ex illo.

Proceſſum in ſtrigimagas practice & obiter incboari. CAP. II.

QVIA iam quæ ſpeculatiue dicenda erant in modo contra ſtrigimagas procedendi, abſoluimus: iam ad practicam deſcendemus, breuiſsimã praxim edituri, quod hæc res iam abunde per multos expreſſa ſit, etiam quo ad omnium ſententiarum formulas, quas conſulto omittemus, quod ſcilicet paſsim haberi poſsint, aut ingenio proprio formari. Igitur obiter quonam pacto proceſſus inchoandus ſit, monſtremus oportet: quod multis punctis expediatur neceſſe eſt.

Punctum primum. Illud in primis notandum eſt, quod Inquiſitor & quiſque Iudex in cauſa fidei, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, abſque aduocatorum & iudiciorũ ſtrepitu, & figura procedit: de hære. Statuta, lib. 6. Quæ verba quid prætendant, patet de verb. ſig. Sæpe. vbi dicitur. Hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, vt Iudex cui taliter cauſam committimus (ſcilicet ſimpliciter, vt in cap. Statuta) neceſſario libellum non exigat, litis conteſtationem non poſtulet,

let,tempore feriarum ob neceſsitates hominum indultarum a iure procedere valeat,amputet dilationem,& naturā litis,quantum poterit,faciat breuiorem : exceptiones, appellationes, & dilationes fruſtratorias repellendo : partium aduocatorum, procuratorum contentiones, & iurgia, teſtiumque ſuperfluam multitudinem refrenando. Non ſic tamen Iudex litem obruat,quin probationes neceſſariæ admittantur: citationem vero,ac proteſtationem iuramenti de calumnia, ſiue de dicenda veritate, ne veritas occultetur,per conceſsionem huiuſmodi intelligimus non excludi. Hæc ibi.

Punctum ſecundum. Tres apud iura ſunt modi procedendi, extra de accuſa.denun.& inquiſi. per totum.Primus eſt per viam accuſationis,vbi neceſſario præcedit inſcriptio, quādo ſcilicet quis aliquem accuſat de crimine hæreſis proprie vel præſumptiue coram Iudice, offerens ſe probaturum,ad pœnam talionis inſcribens. Hunc modum Iudex non facile admittat: Tum quia in cauſa fidei, aut maleficarum non eſt vſitatus, & merito, quippe quæ horrenda crimina ſua, occulte admittant: Tum quia accuſanti valde periculoſus eſt, propter talionem: Tum dæmum quia valde litigioſus eſt. Secundus eſt per viā denunciationis,vbi neceſſario præcedit fraterna monitio, vt cum quis ſuper eo crimine denunciat aliquem deliquiſſe, nolens tamen obligare ſe probaturum, aut ſeſe partem efficere: ſed tantum nunciare, vel zelo fidei, vel vt obediat Iudici id exquirenti in genere vel ſpecie, & mulctam euitet.Tertius eſt per viam inquiſitionis, vbi neceſſario præcedit clamoroſa inſinuatio, quando ſcilicet nec accuſator,nec denunciator adeſt, verum in ciuitate, aut oppido, aut villa fama de crimine eiuſmodi laborat: quo caſu Iudex non ad inſtantiam partis,ſed ex officio ſuo procedet.Et hos duos vltimos modos vſus amplectitur:vtrūq; tamen commiſcendo, vt ſcilicet Iudex decretum ſuum publicet, & mandet ſibi denunciari crimen a ſcientibus, & denunciantium dicta conſcribat.

Punctum tertium. Si ergo proceſſus inchoetur per viam accuſationis, Praxis. In nomine domini &c. Tali tempore, tali loco, coram talibus comparuit talis de tali loco, & talis diœceſis, offerens ſchedulam accuſationis talis tenoris. Coram nobis, &c. Inferatur tota. Acta ſunt hæc tali tēpore,loco,& corā tali Iudice, & teſtibus &c. Sed hūc modū,quia nō cōgruit in ſequentibus,omittemus. Si aūt ſecundo modo procedatur,a generali citatione ſuū proceſſum modo iſto Inquiſitor exordiatur,ſequētibus litteris ad loca publica appēſis.Cū nos Inquiſitor talis loci,totis noſtris affectibus inhiātes, ac ex omnib⁹ noſtris præcordijs affectātes populū Chriſtianum nobis cōmiſſum in vnitate & ſerenitate catholicæ fidei cōfoueri, atque ab omni peſte hæreticæ

prauitatis

prauitatis viſceraliter elongari cupiamus: idcirco nos Inquiſitor præfatus, cui ex iniuncto officio hæc incumbũt, ad honorẽ & gloriã recolendã nominis Ieſu Chriſti, & ad exaltationẽ ſanctæ fidei orthodoxæ, atque ad depreſsionẽ hæreticæ prauitatis, præcipue in maleficis: Vniuerſis & ſingulis cuiuſcunque conditionis, & ſtatus, aut dignitatis exiſtant, qui ſunt infra terminos talis loci, ad quorũ notitiam deuenerint hæc mandata, authoritate qua fungimur in hac parte, in virtute ſanctę obedientiæ, ac ſub pœna excommunicationis, præcipimus & mandamus, ac mandando requirimus, quatenus infra 12. dies proxime computandos, quorum primos quatuor pro primo, & quatuor immediate ſequentes pro ſecundo, & vltimos quatuor pro tertio termino perẽptorio, hac trina monitione canonica aſsignamus: nobis reuelent, ſiquis ſcit, vidit, vel audiuit aliquam eſſe perſonam hæreticam, & maleficam, diffamatam vel ſuſpectam: & in ſpeciali talia prædicantem, quæ in nocumentum hominum, iumentorum, aut terrę naſcentium, & damnũ reipublicæ cedere valeant. Quod ſiquis noſtris antefactis monitis & mandatis noſtris non paruerit cum effectu, præmiſſa infra taxatum terminum non reuelando, ſciat ſe excommunicationis mucrone percuſſum: quam excommunicationis ſententiam in omnes & ſingulos (taliter vt prædicitur contumaces) præfata noſtra monitione canonica præeunte, & eorum inobedientia requirente, nunc vt ex tunc, & tunc vt ex nunc ferimus in his ſcriptis, abſolutionem ab his cenſuris, nobis tantummodo reſeruando. Datum. Et authenticetur. Poteſt autem quis, vt res exigit, addere, vel ſubtrahere, & ſæcularis Iudex mutanda mutare.

Punctum quartum. Cum vero aliqui denunciaturi comparebunt, neque probare, neque ſe partem facere volẽtes, ſed ex obedientia vel zelo bono denunciant, habeat Iudex notarium & religioſas ac diſcretas perſonas, ſaltẽ numero duas, ſiue clericalis ordinis, ſiue laicalis ſint, ſecundum Archi. & ſi notarius haberi nequit, loco eius duo idonei viri habeantur, qui teſtium depoſitiones cõſcribant, ſiue ſcripto, ſiue ſaltem verbo deponant, de hære. Vt officium. §. Verum, lib. 6. Et tunc notarius ſic exorditur. In nomine domini amen. Anno a natiuitate domini &c. tali die talis menſis, in præſentia mei notarij & teſtium infraſcriptorum, talis de tali loco, & de tali diœceſi, comparuit perſonaliter in tali loco, coram honorabili tali Iudice: & obtulit ei ſchedulam tenoris ſequentis: Inſeratur tota. Vel ſi verbo deponit, dicat: & denunciauit eidẽ, quod talis de tali loco talis diœceſis, aſſeruit & dixit, quod ſciret hoc, vel quod quis talia nocumenta ſibi vel alijs perſonis intulerit. Quo facto, ipſum denunciantem in continenti iurare faciet, modo conſueto ad ſancta Dei Euangelia, vel ſuper crucem, de veritate dicenda ſu-

da ſuper denunciatis: & præſtito iuramento, interrogabit eum, vnde ſcit eſſe vera quę denũciauit, et ſi vidit vel audiuit. Si dicit ſe aliqua vidiſſe, vt puta, quia ibi repertus eſt tali hora tempeſtatis, vel quod tetigit iumentum, vel quia intrauit ſtabulum, interrogabit Iudex vbi eũ vidit, & quando, & quotiens, & quibus præſentibus audiuit: formando articulos de quolibet prædictorum ſingulariter, & diuiſim: & Notarius omnia ſcribat, & ponat in actis poſt dictam denunciationem cõtinuando ſic. Qua quidem denunciatione, vt præmittitur, facta: ipſe Inquiſitor incontinenti fecit iurare ad quatuor ſancta Dei Euangelia, vel ſuper ſigno Crucis, denunciantem de veritate dicẽda ſuper denunciatis, & interrogauit eundem, vnde, & quomodo ea quæ denunciauerat, ſciret, vel ſuſpicionem baberet eſſe vera. Reſpondit, quia vidit, vel audiuit. Interrogatus vbi vidit, vel audiuit &c. & formentur articuli, vt dictum eſt: & totum ponatur in actis, ideſt in proceſſu. Et ſpecialiter interrogetur qui ſciunt cum eo in tali cauſa, & qui ſcire poſſunt. Quibus peractis, vltimo interrogabitur, ſi mala voluntate denunciat, odio, vel rancore: vel ſi aliquid omittat fauore, & amore: aut ſi denunciat rogatus & ſubornatus. Et poſtremo illi in virtute præſtiti iuramenti iniungetur tenere ſecretũ quicquid ibi dixit, vel dictum fuit per Iudicem, & totum in actis ponetur. & omnibus expletis, ponatur paulo infra. Acta ſunt hæc in tali loco, tali die talis menſis, & tali anno, in præſentia mei notarij vel ſcriptoris, adiuncto mihi tali in vigorem officij tabellionatus, & talium teſtium ad hoc vocatorum & rogatorum.

Punctum quintum. Quantum vero ad tertium modum, & vſitatum, & communem, ſi nullus aut accuſator, aut denunciator apparet, ſed laborat fama alicubi de aliqua ſtrigimaga, aut etiam de tali: & propter famam ex ſuo officio abſque accuſatore vel denunciatore Iudex procedere inſtitueret, abſque citatione generali, & monitione, de qua ſupra, eo quod talis clamor frequenter venerit ad aures eius: tunc iterum proceſſum inchoare poterit, in præſentia perſonarum, vt ſupra. In nomine domini amen. Anno a natiuitate domini tali, de menſe tali, ſeu de menſibus talibus, ad aures talis Iudicis, talis loci, peruenit pluries, fama publica referente, & clamoroſa inſinuatione producente, quod quidã vel talis de tali loco, dixit vel fecit talia ad maleficia pertinentia, contra fidem ac communem vtilitatem reipublicæ: & ponatur totum prout fama laborat, & exprimat ſuam intentionem inquirendi. Et Paulo infra. Acta ſunt hæc die tali talis menſis, de anno tali, in præſentia talium teſtium vocatorum & rogatorum, & mei notarij tali authoritate, ſeu ſcriptoris & ſocij vigore tali. Deinde Inquiſitor citabit & examinabit teſtes iuxta formam dicendam.

Punctum ſextum. Quot vero & quales debeant eſſe teſtes, dico

 quod

quod vbi teſtes non ſunt ſingulares, vel partiales, ſed in omnibus concordant, de rigore duo teſtes ſufficiunt ad damnandum de crimine hæreſis ſtrigimagarum: cum regula ſit, In ore duorum vel trium teſtium ſtare omne verbum. De æquitate tamen ſufficere ſemper non videntur propter criminis enormitatẽ, quia in criminibus probationes eſſe debent luce clariores. ff. de proba. l. ſi autem. Si vero dicatur in crimine hoc ſufficere leuiores probationes, quod leui quis argumento detegatur. C. de hære. l. 2. & leui argumento, recedẽdo a iudicio catholicæ religionis, & tramite, hæreticum ſe facit. Reſpondetur hoc vtique verũ eſſe ad ſuſpicandum, cæterum ad condemnandum minime; quia in crimine eiuſmodi iuris ordo truncatur: quia delatus nec teſtes iurare videt, nec ſibi innoteſcunt, vbi præiudicium graue illis imminere poſſet, vt in ca. Statuta. de hære. li. 6. vnde tenetur ipſe Iudex per ſe, & ex ſuo officio de teſtium inimicitia perquirere, quia excluduntur, vt patebit: & ſi confuſe depoſuere, iterato de cauſa ſcientiæ eos interroget: quod vtique poteſt. de teſt. Per tuas. ff. de quæſt. l. repet. Igitur ad duorum legitimorum teſtium dicta, aliquem de tanto crimine damnare tutũ non videtur, ſi ſit bonæ famæ: verum potius ſi diffamatus eſſet, purgatio eſſet indicenda, vel abiuratio propter vehementem ſuſpitionẽ ex duorum dictis obortam, vel eſſet quæſtionibus exponendus, aut ſententia differenda. Si vero eſſet malæ famæ, ſecus. De his Archi. in ca. Vt officium. §. Verũ, de hære. lib. 6. & in cap. Fidei. in fine gloſæ: & Io. An. ibi.

Punctum ſeptimum. An vero per teſtes ſingulares cum infamia poſſit quis de eiuſmodi crimine damnari, reſpõdetur quod nõ, extra de teſtib. Tam litteris: quia oportet in criminibus probationes eſſe luce clariores, vt patuit: & in hoc crimine nemo eſt ex præſumptione damnãdus. de præſump. Litteras. Vnde tali indicitur purgatio ratione infamiæ, & abiuratio ratione ſuſpitionis vehementis, ex dictis teſtium conſurgentis. Vbi tamen teſtes ſunt ſingulares, concordant autem in ſubſtantia facti, necnon facti euidẽtia cõcurrit, tunc Iudicis cõſcientia oneratur, & ex Directorio liquet quotiens poſſit teſtes examinare.

Punctum octauum. An vero Iudex ad iuramentum de veritate dicenda in cauſa fidei ſeu ſtrigimagarum, teſtes compellere poſſit, aut etiam eos pluries examinare: dicendum eſt quod ſic; præſertim eccleſiaſticus. de hære. Vt officium. §. Verum. lib. 6. vnde in cauſis eccleſiaſticis teſtes cogendi ſunt medio iuramento veritatem deponere. de teſti. cog. Peruenit & de hære. Excõmunicamus. §. Adijcimus. dicitur, quod Archiepiſcopus vel Epiſcopus parochiã, in qua fama eſt hæreticos habitare, circũeat, & tres vel plures boni teſtimonij viros, vel etiam (ſi expedire videbitur) totam viciniam iurare compellat: & ſequitur infra, & iurare nolentes hæretici reputantur. De repetitione vero examinis

per In-

per Inquiſitorem, vel Iudicem, Archi. in ca. Vt officium. §. Verum, ſuper verbo Teſtium. & ibi textus, de hære. lib. 6. quod etiam iure fieri poſſe liquet, de teſt. Per tuas. ff. de quæſt. l. repet.

Punctum nonum. Quantum vero ad teſtium qualitatem, id notandum in primis eſt, quod excommunicati, participes criminis, in defectum aliarum probationum contra hæreticos admittuntur, de hære. In fidei fauorem, lib. 6. Et ſimiliter infames, criminoſi, ſerui contra dominos, in cauſa fidei ad agendum & teſtificandum admittuntur. De quo Archi. eo. tit. in ca. Accuſatus, lib. 6. dicit, quod tanta ſit labes criminis hæreſis, quod ad eius actionem etiam ſerui aduerſus dominos ſuos, & quilibet criminoſus etiam infamis aduerſus quemlibet admittũtur, vt 2. q. 7. ca. Præſumunt. §. Huic oppoſitioni. Item ſicut hæreticus contra hæreticum, ita maleficus contra maleficum ad teſtificandum admittitur: in defectum tamen aliarum probationum, & ſemper contra, non pro. Vxor etiam, & filij, & familiares contra, & non pro: arg. cap. Filij, de hære. lib. 6. Et idem de periuris: vt in ca. Accuſatus, de hære. in 6.

Punctum decimum. An vero & capitales inimici admitti debeant, reſpondetur quod minime, vt dicit Archi. vbi ſupra. & 3. q. 5. cap. 2. & de ſimo. Licet heli. in fine: de quo etiam Hoſt. in Sum. de accuſ. §. Quis poſsit. Non tamen omnis inimicitia eſt repellendi cauſa, ſed capitalis: quæ tunc intelligitur, quando de facto mors interuenit, vel intentata fuit, vel ea quæ ad mortem inductiua, & via ſunt, ſecuta ſunt, vt vulnera grauia, & lethalia, & huiuſmodi. Aliæ vero inimicitiæ, præſertim graues (prout etiam mulieres ad inimicitiam faciliter commouentur) etſi a teſtificando a toto non repellunt, dictum tamen inimicorum dubitabile vtcunque faciunt, vt non ſit plena fides huiuſmodi atteſtationibus adhibenda: cum alijs tamen adminiculis & aliorum teſtium dictis plenam probationem poſſunt efficere: præſertim vbi Iudex delatum interrogat, an ne putet ſe talem habere inimicum, qui ſibi tale crimen auderet imponere, & ille aut reſpondet quod non, aut ſpiritualiter de perſona interrogatus, eam non nominat, quæ deponit, etiam ſi alij eum inimicum aſſerant, & inimicitiæ cauſa depoſuiſſe. Si vero perſonam exprimeret quæ depoſuit, & Iudex de inimicitiarum cauſa per alios honeſtos informatur, & alia adminicula non ſuccurrunt, eiuſmodi teſtem merito Iudex repellit. Non ergo prudenter plerique repellere conantur mulierum depoſitiones, quod crebro rixas habeant inuicem, aliud enim ſuadent Iudicum cautelæ, de quibus infra.

Proceſſum in ſtrigimagas continuari practice & obiter. CAP. III.

QVIA iam oſtẽſum eſt quonã modo proceſſus inchoãdus ſit, qualiter ſit cõtinuãdus oſtendendũ reſtat: quod multis punctis fiet.

Punctum primum. Quia ſuperius dictũ eſt quod Iudex denunciantem interrogare debet de his qui crimen nouerunt, aut noſſe potuerũt: ideo teſtes illos citari faciet, quos denuncians nominarit, & qui magis oportuni videntur: ſcriptor vero proceſſum hoc modo continuabit. Poſt quæ attendens ipſe Iudex denunciata ſibi antedicta hæreticalia fore, & ex ſui natura talia, & tam grauia, quæ nec poſſunt, nec debẽt conniuentibus oculis tolerari, cum cedant in diuinæ maieſtatis opprobrium, & tam fidei catholicæ quam reipublicæ detrimentum: deſcendit ad ſe informandum, & ad teſtes examinandum, per modum qui ſequitur.

Punctum ſecundum. Interrogatoria teſtium. Talis teſtis de tali loco citatus, iuratus, & interogatus ſi cognoſcit talem, exprimendo nomen delati, dixit quod ſic. Item, interrogatus de cauſa cognitionis, dixit, quod pro eo quod vidit, & locutus eſt ſibi pluries: vel ſic, vel ſic. Item, interrogatus de cognitionis tempore, dixit &c. Item, interrogatus de fama illius, & præſertim in his quæ fidei ſunt, dixit &c. Item, interrogatus ſi vidit, vel audiuit eum tale quid feciſſe, dixit. Item, interrogatus vbi, dixit in tali loco. Item, interrogatus de tẽpore, dixit. Item, interrogatus ſi ex ſua cõſanguinitate aliqui propter maleficia fuiſſent incinerati, vel ſuſpecti habiti, dixit. Item, interrogatus, an cum ſuſpectis maleficis habuerit familiaritatem, dixit. Item, interrogatus de modo, & cauſa quod dicta fuerunt, dixit. Item, interrogatus ſi videtur ſibi, quod talia dixerit, aut fecerit truſatorie, ſeu recitatorie, ſeu animo indeliberato, vel aſſertiue potius & deliberato animo, dixit. Item, interrogatus de cauſa credentiæ huius, dixit. Item, interrogatus ſi hæc deponit odio, vel amore, aut fauore, dixit. Et ſequitur. Et iniunctum eſt ſibi rem habere ſecreto. Acta ſunt hæc in tali loco, die tali, in præſentia talium teſtium vocatorum, & rogatorum, & mei Notarij, ſeu ſcriptoris, & ſocij. Vbi & illud aduertiſſe oportet, quod in eiuſmodi examine ſemper oportet eſſe perſonas, ſaltem quinque præſentes: quæ ſunt, Iudex inquirens, teſtis, vel denuncians, reſpondens, vel ipſe delatus poſtea comparens, & Notarius, ſeu ſcriptor, vbi Notarius deeſt (& tunc adiungitur ſibi alius honeſtus, & hi duo vicem Tabellionis implent apoſtolica authoritate, Vt officium, de hære. lib. 6.) & duo honeſti viri teſtes eorum, quæ deponuntur. Aduertere rurſus oportet, quod teſtis citatus, ſcilicet ad deponendum, ſemper iurare debet de veritate dicenda: aliter falſo ſcriberetur citatus, & iurans. Modo conſimili alij teſtes omnes examinandi ſunt.

Punctum tertium. Quibus examinatis, ſi Iudex factum aduertat probatum plene: aut ſi non plene, tamen videt eſſe maxima indicia, & ſuſpitiones vehementes, ideſt, non quæ ex leuibus coniecturis, ſed

quæ ex

quæ ex multa diffamatione ſuper crimine proueniant: tunc & eo caſu, ſi de fuga timet delati, eum capiat: alioquin ſi minime timet, eum citet, habito tamen, ſi expedit, conſilio peritorũ. Et ſiue capiat, ſiue citet, ex improuiſo ſcrutari faciat domum eius, apertis ſcrinijs, & pixidibus angulorum: & omnia inſtrumenta, & ſcripturæ tollantur. Conſequenter autem collectis his, de quibus eſt delatus, aut conuictus, aut ſuſpectus, ſuper eis interrogatoria formet, atque inquirat, habito ſecum Notario, vt ſupra: præſtito prius corporali iuramento de veritate, tam de ſe, quã de alijs dicẽda: & omnia per modũ qui ſequitur cõſcribãtur.

Punctũ quartum. Interrogatoria generalia ſuper delato, & conſtituto. Talis de tali loco, delatus, iuratus ſuper quatuor Dei Euangelia corporaliter tacta, tam de ſe, quam de alijs dicere veritatẽ, interrogatus vnde eſt, ſiue vnde originem traxerit: reſpondit, quod in tali loco, talis Diœceſis. Item, qui ſunt eius parentes, & ſi viui vel mortui: reſpondit. Item, an naturali morte, vel incinerati: reſpõdit. Nota id fieri, quia communiter tota progenies ſtrigimagarum infecta eſt; & vbi negant quod teſtes deponũt, ſe ſuſpectos exhibent. Item, vbi fuit nutritus, vel vt plurimum conuerſatus. Item, quare locum natiuitatis mutarit. Item, ſi in dictis locis, vel alibi de maleficarum natura loquentes audiuit, & de operibus earum. Item, quid loqui audiuit. Item, ſi credit maleficas eſſe, & talia poſſe, aut facere: Et ſi negat, vt conſueuere prima fronte, inde oritur ſuſpitio: vnde ſubito, interrogetur an credat quod innocenter damnentur. Deinde vero Iudex ſpecialius interroget, cur populus eum ſic timet. Item, an ſciat ſe diffamatum. Item, cur illi perſonæ minatus ſit; tu non tranſibis impune. Item, quid ſibi feciſſet illa perſona, vt talia proferret. Vbi & illud aduertendum eſt, quod interrogatio hæc eſt neceſſaria, vt inimicitiarum fundamenta veſtigẽtur: quia delatus tandem inimicitias allegabit: quamquam vbi non eſt capitalis, ſed muliebri more concitata, non præpediat. Hoc enim ſtrigimagarum eſt proprium, verbis, aut factis inutilibus efficere, puta, expetendo ſibi aliquid mutuari, vel damna inferendo in horto, & ſimilia, & id ea ratione, vt occaſionem captent: ab aliorum tamen præſentia cauent, ne teſtes eſſe poſſint. Interrogetur etiam quomodo effectus tam cito ſequi potuit poſt minas. Item, quare dixit illud verbum, & ita factum eſt. Item, ſi omnia negat, interrogetur de alijs maleficijs, & effectibus illatis hominibus, iumentis, & frugibus: Item, ſi viſus eſt in campis, vel in ſtabulo cum iumentis, ea tangens. Item, cur tetigit puerum, qui deinde ægrotauit. Item, quid egit in campis tempore tẽpeſtatis. Item, cur plus lacte abundat vna vacca, quam alij duabus, aut tribus. Et omnia reſponſa ſcribantur: & ſuper eodem, repetitis vicibus, interrogetur: vt norit Iudex an vacillet, necne. Qua confeſsione

peracta,

peracta, & ſcripta, ſiue affirmatiua, ſiue negatiua, ſiue ambigua, deinde ſubiungitur. Acta ſunt hæc tali loco &c. vt ſupra.

Punctum quintum. Quid Iudici curandum ſit, vbi delatus perſiſtit in negatiua. Eo caſu attendat Iudex ad tria, infamiam, indicia facti, & teſtium dicta: & vbi hæc tria concurrunt, immo duo vltima, immo tertium ſolum, eſt manifeſte in hæreſi maleficarum, ſeu ſtrigimagarũ deprehenſus. Apud Iuriſtas enim tribus modis aliquis in prauitate hæretica deprehenſus dicitur (vt notat Bernar. de hære. Ad abolendã. §. Præſenti, verbo deprehẽſus.) Primo facti euidentia, puta, quia publice hæreſim prædicauit, loco cuius hic ponimus indicium facti: quia publice minatus eſt in genere, dicendo videbis &c. & talis effectus ſecutus eſt, quem homo efficere nequiret: Vel ſecundo, legitima probatione per teſtes: Vel tertio, per propriam confeſsionem. Si autem horum vnumquodque reddit aliquem manifeſte in hæreſi deprehẽſum, multo magis illa tria: quia cum ſufficeret vltimum, ſcilicet teſtes, numero, & qualitate legitimi, ſufficiũt illa tria, vel duo, vel vltimum, immo vltimum ſolum. Eo etiam caſu locus eſt pœnæ d. cap. Ad abolendam. & cap. Excommunicamus ſecundo. de hære. etiam ſi crimen minime faſſus ſit. Nam ſic deprehenſus, aut fatetur crimen: & tunc vt pœnitens ſæculari brachio relinquitur puniendus vltimo ſupplicio, vt in cap. Ad abolendam (vide tamen mitigationem, quæ ibi fit) vel perpetuo carceri mancipandus, vt in capitulo Excommunicauimus. Si vero non confitetur, eſt impœnitens tradendus poteſtati ſæculari, vt no. Hoſt. in Sum. tit. de hære. Vnde caſu iſto Iudex, maxime cum ſimpliciter, & ſummarie procedat, nihil erroris admitteret, ſi delatum ad carceres perpetuos, aut temporales adiudicaret, vt forte ſqualoribus attritus fateretur.

Punctum ſextum. Amplior præteritorum declaratio. Quid eo caſu faciendum ſit, vbi fama, indicia facti, & teſtes concurrunt: ſunt tres dicendi modi differentes. Vnus, quod mancipetur carceri delatus, & nec quouis modo, ſub quacunque cautione dimittatur, vt rurſus citatus reſpondeat: hac ratione, quod ſicut manifeſte deprehenſus habeatur. Alius quod ante incarcerationem, fideiuſſorum cautioni relinqui poſsit, ita quod ſi fugam caperet, pro conuicto cenſeretur: licet poſt incarcerationem non ſit relinquendus cautioni. & hic modus conſuetudini innititur. Tertius vero is eſt, quod regula infallibilis danda ſit minime, ſed Iudicis moderationi relinquendum, vt ſecundum teſtium dicta, perſonæ infamiam, & indiciorum facti concurſum, diſcernatur: etſi fideiuſſores idonei haberi nequeant, & de fuga ſit fortaſſe ſuſpectus, eo caſu trudatur in carcerem. Qui modus tertius rationabilior videtur, modo modus modificatus ſeruetur. qui conſtat ex tribus. Primo,

vt do-

vt domus eius diligenter perluſtretur in omnibus ſcrinijs, angulis, foſſis, & latebris. Secũdo, vt ſi ancillam, aut ſodales habeat maleficas, ſeorſum includantur ad cuſtodiam, etſi non ad pœnam, etiam ſi non ſint delatæ, vt nonnullis placet: præſumitur enim quod eius ſecreta aliqua norit. Tertio, vt ſi in domo propria capitur, ſpatium intrandi cameram negetur: ſolent enim ſi intrarint certa maleficia ſecum ferre, gratia taciturnitatis in quæſtionibus ſeruandæ: immo alicubi id ſeruatur, vt captæ maleficæ ſubito eleuentur a terra, & in ſporta repoſitæ de cætero terram non attingunt. et id merito quidem, & licite: Tum in primis, quod attingentes pede terram, & ſe maleficijs liberarent interdum, & multos alios fulmine interimerent, vt nonnunquam ſic capti & terrã tangere eis id petẽtibus vetati, faſsi ſunt ſe effecturos, ſi tetigiſſent: Deinde vero, quia etſi omnes vires ad tactum iuſtitiæ publicæ perdunt, quo ad præterita maleficia, vt ſupra dictum eſt, tamen maleficio taciturnitatis, interdum a diabolo eis ſuccurritur: quod hic cauetur. Illud etiam aduertere oportet, quod cum duplex ſit carcer, ad pœnam ſcilicet, quo recluduntur criminoſi: & ad cuſtodiam, de hære. Multorum querela, in Cle. ad minus ad cuſtodiam, eo caſu maleficus incarcerãdus foret. Si autem ea, pro quibus eſt quis delatus, forent leuia, ita quod nõ extaret infamia, nec indicia facti in pueris, & iumentis, vel frugibus, remittatur ad domum: verum, quia forte cum ſtrigimagis familiariter verſatus eſt, & eorum ſecreta nouit, det fideiuſſores, ſi poteſt: alioquin iuramentis, & pœnis aſtrictus, domum, aut certos confines non exeat. Si vero ſic delatus aufugerit, agendum eſt iuxta cap. Vt commiſsi. & ca. Vt inquiſitionis. de hære. lib. 6.

Punctum ſeptimum. Quid vero poſt captionem agendum ſit, dico multa. Primum. Si delatus, ac detentus ſtet in negatiua, & ſe delatores, & delata velle ſcire dicat, ad nullum horum Iudex tenetur; nec nomina pandere debet niſi delatoribus placeret, & videri, & delata in faciem effundere. Licet enim diuerſa, diuerſi Pontifices ſenſerint, tamẽ quod Iudex eo caſu pandere deponentium, aut accuſatorum nomina teneretur, ſenſit nullus: quin potius aliqui id ſenſerunt, vt numquã; alij quod nõ ſemper, verũ in caſu, liceat. Tandẽ vero Bonifacius VIII. in cap. Statuta, de hære. §. inhibemus, ſtatuit in hunc modum. Inhibemus tamen, quod ſi accuſatoribus, vel teſtibus, in cauſa hæreſis interuenientibus, ſeu deponentibus, propter potentiam perſonarum, contra quas inquiritur, videat Epiſcopus, & Inquiſitor graue periculũ imminere, ſi fieri contingat publicationem eorundem: ipſorum nomina non publicent. Hæc ibi. Vbi Epiſcopi, & Inquiſitoris nomine, omnis Iudex intelligitur, procedens ex horũ conſenſu, etiam laicus, quod eadem ſit ratio: quia procedit authoritate apoſtolica, & non imperatoria ſo-

ria ſolum. Secundum. Potentia autem perſonarum triplex eſt:prima generis & familiæ,ſecunda pecuniæ, tertia malitiæ: quæ alijs duabus eſt formidoloſior:maius enim periculum eſt prædicta pandere delato pauperi,habēti in malo complices,rebelles,& homicidas,qui præter perſonam perdere poſſunt nihil, quam generoſo,vel diuiti temporalibus bonis affluenti. Tertium. Graue autem periculum Io. Ant. ibi dicit illud eſſe, ſi mors,vel truncatio timeatur eorum, vel filiorum, aut parentum,aut ſubſtantiæ deuaſtatio, & huiuſmodi. In eodem tamen cap.ſubditur. Cæterum in omnibus præcipimus, tam Epiſcopos, quam Inquiſitores,puram,& prouidam intentionem habere, ne accuſatorum vel teſtium nomina ſupprimendo, vbi eſt ſecuritas, periculū eſſe dicant: nec,in eorum diſcrimine ſecuritatem aſſerant, vbi tale periculum immineret,ſuper hoc conſcientias eorum onerantes. Hæc ibi. Vbi etiam patet,quod ſicut pœna annexa eſt, nomina teſtium indebite publicantibus; ita & indebite occultantibus,ſcilicet his quibus merito eſſent manifeſtanda, vt aſſeſſoribus,& peritis,de quorum conſilio ad ſententiam eſt procedendum. Quartum.Quia vero omnia præcedētia,& ſequentia,vſquequo ad modos ſentētiandi veniatur, abſq; pœna ſanguinis fieri poſſunt in quibus Iudex eccleſiaſticus iudicat, fieri poſſunt cum diœceſanorum conſenſu, per Iudicem ſæcularem: ideo non miretur quis, ſi in d. capite nominatur Iudex eccleſiaſticus, non ſæcularis, qui modum ſententiandi ſuper ſanguinem, ex modis ſententiandi etiam, & pœnitentiandi Ordinariorum capiet. Quintum.Petit autem delatus defenſionē ſibi dari, & expreſſe, & etiā implicite,vt cum dicit ſe cupere videre delatores,& huiuſmodi. Quæ defenſio ſtat in tribus.Primo, vt ei detur Aduocatus,qui et iamprocuratorio nomine agere poterit. Secundo, vt Aduocato nomina teſtium non pandantur,etiam præſtito iuramento,quod nō reuelabit (niſi eſſet irreprehenſibilis, & zelator, & iuſtitiæ amator) ſed de his, quæ in proceſſu continentur,informetur. Tertio,vt Aduocatus cauſam delati,quantum poteſt,in meliorem cauſam interpretetur,ſine tamen ſcādalo fidei,& iuſtitię damno,vt patebit.Et idem de procuratore.Pro his nota quod Aduocatus nullo modo dandus eſt ad arbitrium delati,ſed Iudicis,qui det probum,non autem litigioſum,vel maleuolum, qui facile pecunijs corrumpatur: vnde Iudex eum monebit, quæ ſunt boni Aduocati partes, & ſpecialiter quod nō mētiatur allegando falſas leges,vel quid ſimile faciendo: & diligenter moneat,ne de aduocato fiat fautor, quia eo caſu excommunicatus eſſet. per cap. Excommunicamus primo, extra de Hære. Nec prodeſt ſi perſonam, & non errorem ſe defenſare dixerit: quia non debet ſic quouis modo defendere,quin procedatur ſummarie ſimpliciter, & de plano: quod faceret, ſi peteret

omnino

omnino dilationes, vel immiſceret appellationes: quæ omnia refutantur. Licet enim non defendat errorem: quia peior eſſet ipſis maleficis, & hæreſiarca. 24. q. 3. Qui illorum. tamen quia indebite defendit, iam ſuſpectum de hæreſi, tanquam fautorem ſe facit, etiam uehementer ſecundum defenſionem quam facit: & debet publice abiurare coram epiſcopo, iuxta ca. Accuſatus. de hære. in 6. Si ergo Aduocatus ſit reprehẽſibilis, repellatur, & ſecundum acta & probata iudicetur: alioquin ex malo Aduocato mala multa prouenient, ut ipſe expertus ſum Romæ: vbi tamen non Iudex, ſed adiunctus iudici eram.

Punctum octauum. Quid vero ſit Aduocatus facturus, etiam procuratorio nomine agens, vbi ſibi nomina teſtium celantur, & clientulo ſuo. Dico, quod de omnibus contentis in proceſſu diligenter informabitur, habita etiam eius copia ſi mauult, ſuppreſsis tamen teſtium nominibus, qui delatum adiens, ſingula proponet, dicens, ſic dixiſti, ſic feciſti: ut ex his ipſe coniectet, & tandem ad id ueniat, ut inimicitias alleget, aut ſe excuſet, ſe talia quidem dixiſſe aſſerens, ſed non eo animo ut noceret, & eiuſmodi. Quo caſu, quantum attinet ad inimicitias, eas Iudici proponet, & ille inquiret an capitales interuenerint, necne: & ſi ſunt, cum ſuis aſſeſſoribus Iudex prouidus diſcutiet, an ex parte delati aggrauetur inimicitia, vel ex parte deponentis: puta, quia coniuncti delati alios ex parte deponentis iniuſte oppreſſerunt: tunc ſi deſit infamia & indicia facti, nec ſunt alij teſtes, præſumitur quod ratione uindictæ depoſitum ſit, & delatus abſoluitur ſub cautione de non vindicando. Quid ſi Catherina maleficiata in ſe uel in ſuis, ſuper illam ſuſpicatur, cuius coniuncti in publico iudicio oppreſſerunt ſuum maritum, ſcilicet Catherinæ? Reſpondetur, hic eſt duplex inimicitia ex parte deponentis, ſcilicet ratione maleficij, & oppreſsionis: unde ſi deſint alij deponentes, nec laborat infamia contra delatum, depoſitio iſta repellitur: delatus tamen redditur ſuſpectus, ſi & inquantum moribus eſt maleficioſus: de quo tamen infra. Si vero adſint alij deponentes, qui ſuper alia indicia facti deponant, res plana eſt: ſi vero ſuper infamia ſolum deponunt, & in re ita eſt, tunc licet Iudex propter inimicitiam repulerit deponentem, ipſum tamen indicium facti, quod protulerat & oſtenderat, Iudex ex alijs teſtibus ſuper infamia, capiet pro interſigno ſuper ſuſpitionem uehementem, ex qua delatus poteſt multipliciter plecti. Primo pœna canonicæ purgationis, propter infamiam, iuxta ca. Inter ſolitudines, de purg. ca. 10. Secundo abiurationis, propter ſuſpitionem, iuxta ca. Accuſatus, in principio, de hære. in. 6. & ſecundum uarias ſuſpiciones ad uarias abiurationes, ut infra. Et ſi acceſſerit confeſsio criminis & pænitentia, propter indicia facti non relinquitur brachio ſęculari ad punitionem ſanguinis, ſed per Iudi-

cem eccleſiaſticum ad perpetuos carceres damnatur: quo nō obſtan te,propter temporalia damna poteſt per ſæculare Iudicem ignibus tra di,iuxta ca. Ad abolendam.§.per ſe.& iuxta ca. Excommunicamus,ſecundo.de hære.& de his omnibus infra. Epilogando obiter. Primo,nō facile credat Iudex Aduocato ſuper inimicitijs capitalibus: quia depoſitiones eiuſmodi rariſſime ſine inimicitia fiunt, cum maleficæ omnibus ſint odioſæ. Secundo,attendat quod quatuor modis poſſet maleficus conuinci: per teſtes, per euidentiam facti, per indicia facti, per confeſsionem propriam: & hoc vel ſuper infamiam tantum, quod ſolum per teſtes fit: vel ſuper ſuſpitionem leuem, uehementem, violentam, & quantū ad hæc omnia ſine confeſſione propria: quæ ſi accedat, quid agendum ſit, dictum eſt. Tertio, applicet prædicta ad ſuum propoſitū, vt ſuper inimicitijs reſpōdeat Aduocato. Vbi autē ipſe Aduocatus allegaret ſecundum, ſcilicet verba non eſſe dicta animo nocendi, adducēs quod licet illa verba dicta ſint, ex alia tamen cauſa potuit effectus veniſſe, cum nouis modis infirmitates emergant, & commune ſit mulierū verbis eiuſmodi corrixari. His allegationibus Iudex obuiaturus; ſi quidem ex naturali defectu infirmitas aduenerit; excuſationem admittere poterit: ex ſignis tamen an maleficium ſit, aduertet ſi nullo remedio naturali curatur, ſi medicorū ſententia eſt morbus maleficialis, aut etiam aliarum incantatricum, ſi abſque debilitatione præuia ſuperuenit, ſi curata fuit ſubito, quia ſignum maleficij ſub lecto vel indumentis repertum, deſtructum eſt. Per hæc enim obuiabit Iudex accedentibus minis, quæ de maleficio ſuſpitionem ingerunt: ſicut ſiquis dicat; ſuccendam horreum tuum, & effectus ſequitur, ſuſpitio aut violenta aut vehemens emergit: licet id alius potuerit effeciſſe.

Punctum nonum. Rurſus capitales inimicitias ſubtilius indagaturi ſumus, Si circa eiuſmodi difficultas emergat: poterunt hi modi, & ſi cauteloſi, ad bonum fidei & reipublicæ practicari. Primus. Nam Aduocato in folio uno copia proceſſus tradatur: in alio vero nomina teſtium, non eo ordine quo depoſuerunt: ſed tali, vt nequeat coniectari, quod talis tale quid depoſuerit. Secundum. Datæ copiæ & nominibus vt prius inſerantur alia alibi a maleficis patrata, & a teſtibus in ſcriptis non depoſita. Sic enim delatus aſſertiue dicere nequibit iſtum, vel illum capitalem hoſtem. Tertius. Cum delatus examinatur, antequam defenſio & Aduocatus detur, interrogetur an putet ſe inimicos habere, qui tantum crimen auderent imponere: & forte reſpondebit, non: qđ forte ex improuiſo faceret: & ſi dixerit quod ſic, nomen eius & inimicitiæ cauſa ſcribatur, vt loco ſuo Iudex rem certius veſtigare queat. Quartus. Antequam defenſio, aut Aduocatus detur, accepto nomine eius qui grauiſſime depoſuit, interrogetur delatus an illum norit: & ſi

dixerit

dixerit quod non, iam ex poſt facto eum hoſtem capitalem in ea cauſa non poteſt facere, cum medio iuramento oppoſitum dixerit. Si vero dixerit quod ſic, interrogetur an audiuerit eum aliquid cõtra fidem maleficarum more egiſſe: ſi dixerit ſic, & ſic fecit: interrogetur ſi eſt eius amicus, vel inimicus: ſtatim reſpondebit forte, qđ eſt eius amicus, vt ei credatur, & ſic non poterit ex poſt facto hoſtem aſſerere. Si autẽ reſponderit ſe nihil ſcire de eo, interrogetur an ſit eius amicus, uel inimicus: & forte reſpondebit quod amicus, quia allegare inimicum, de quo nihil mali nouit, videtur dedecus: & ſic ex poſt facto idem erit quod prius. Si autem a principio allegauerit capitalis inimicitiæ cauſas, iam Aduocato adhibebitur fides. Quintus. Data copia proceſſus Aduocato, teſtium nominibus ſuppreſſis, Aduocatus delatum informabit, qui coniectabit quis contra eum talia depoſuerit, & crebro diuinabit. Tunc vero ſi dixerit; talis eſt capitalis inimicus, & volo probare per teſtes, eo caſu Iudex conuocato peritorum vel antiquorum conſilio clanculo, teſtes & cauſas inimicitiæ examinabit: & ſi inuenerit ita eſſe, repellet teſtes, & delatum dimittet, ſi non ſunt aliorum teſtium grauamina. & hic modus vſitatior eſt. Eſt & alius, & finalis modus, qui mandatur in iure, & quo Iudex tandem vtetur ſi prędicti non placerẽt, vt ſine omni imputatione tranſeat, vt ſcilicet habito peritorum, & prudentum, & honeſtorum conſilio, iuxta tenorem d. ca. Statuta. ab eis prius habeat iuramentum, quod rem celabunt, & eis proceſſum, & nomina deponentium per Notarium exponat, & quod inimicitiarum radicem habere non valuit; & ſi eis videtur, de duobus alterum fiat: Primum, vt per conſilium diſcernatur qui ex deponentibus ſint quaſi hoſtes repellendi: aut eligãtur aliqui, puta, tres, vel quatuor, aut quinque in oppido, qui amplius norint amicitias vel inimicitias delati ac teſtium, & qui in conſilio non ſint præſentes, & eis publicentur nomina delati, ac teſtium, non autem articuli proceſſus: & eorum iudicio ſtabitur.

Punctum decimum. Materiam vero quæſtionum multis punctis abſoluemus. Primum. Si, vt exigit iuſtitia communis, ad pœnam ſanguinis iudicatur nullus, niſi confeſſione propria deprehenſus: quãuis quis pro deprehenſo in prauitate hæretica ex alijs duobus, ſcilicet euidentia facti, ſeu ex indicijs facti, & teſtibus legitimis habeatur, utique talis delatus quæſtionibus exponetur, vt crimina fateatur. Pro quo etiam illud ſciendum eſt, quod indicium facti eſt aliquid minus, quam facti euidẽtia: capitur autem ex verbis maleficorũ, & factis ſimul, etiam ſi ipſa maleficia non ſubito emergant, ſed temporis lapſu, modo præceſſerint minæ. Secundum. Circa quæſtiones tamen oportet Iudicem aduertere ad plura propter taciturnitatis maleficium, & in pri-

in primis ad illud, ne ad quæſtiones maleficarum ſit pronus: quia niſi diuina uirtus per angelum bonum aſsiſtat, ut abeat diaboli maleficium, in doloribus inſenſibiles aliquando redduntur, adeo ut potius membratim ſcinderentur, quam faterentur: & ideſt, quando ſicut ore, ita & corde diabolum ſequuntur cordiali profeſsione, & homagio: de quibus ſupra. Vnde has diabolus pro uiribus iuuat taciturnitatis maleficio, ſecus de alijs quæ aliquando fatentur ſe nunquam diabolo uoluntarie adhæſiſſe, & coactas maleficia peregiſſe. Has diabolus, etiam ſi diuinitus non repellatur, fari ſinit, vt confuſione & morte in deſperationem trahat, quas allicere corde nequiuit. Tertium. Aduertat etiam ut ſententiam quæſtionum ſic, uel modo conſimili ferat, mutatis mutandis. Nos Iudex & aſſeſſores, conſiderantes merita proceſſus facti per nos contra te talem, talis loci, talis diœceſis: & diligenter omnibus examinatis inuenimus, quod tu es uarius in tuis confeſsionibus, vt pote quia dicis te tales minas protuliſſe quidem, non tamen animo nocendi, & nihilominus ſunt indicia uaria, quę ad te quæſtionibus exponendum ſufficientia ſunt. Eapropter, vt veritas ab ore tuo proprio habeatur, & vt deinceps aures Iudicis non offendas, interloquēdo declaramus, iudicamus, & ſententiamus die præſenti, & hora tali, te ſupponendum quæſtionibus & tormentis. Lata fuit hæc ſententia &c. Aduertat tamen Epiſcopus & Inquiſitor vt hæc ſententia cum ſit contra delatum, feratur coniunctim, iuxta cap. Multorum. de hære. in cle. Demum. Non ſit tamen Iudex ad quæſtiones pronus, ſed delatum carceri ad pœnam mācipet, ſicut prius ad cuſtodiam, & adhibitis amicis, videat an carcere, & bonis verbis ſuaſorijs euellere ab eo poſsit ueritatem. Quartum. Vbi vero fide bona ſibi ſuadet quod veritatem tegat, eum quæſtionibus modeſte exponat, ideſt, ſine ſanguinis effuſione, illud ſciens, quod fallaces ſunt quæſtiones, & vt dictum eſt, interdum etiam inefficaces. Dum vero miniſtri ſe diſponunt ad quæſtionandum, illum expolient: vel ſi mulier eſt, a matronis honeſtis priuſquam pœnoſos carceres adeat, ſpolietur, ne maleficia gerat in veſtibus. Et dum ligatur, moneatur & crebro, & miniſtri paulatim exequātur quaſi contra eum turbati. Quintum. An vero Iudex poſsit ei promittere vitam, ſi ſponte fateatur, cum ſit infamatus, & per indicia facti & teſtes deprehenſus, nihilq; deſit niſi ut crimen ſuo ore fateatur, ſunt opiniones: Quibuſdam putantibus quod ſic, modo perpetuo carceri macerādus deputetur, modo plene detegat ſua & aliena: Alijs ſimiliter qđ ſic, ſi carceri deputetur ad tēpus, ſed poſt eius interuallū interimatur: Alijs ſimiliter quod ſic, ſed ſubſtituatur alius qui interimat. Mihi videtur quod abſolute poſſit, cum adhuc non poſſit iuris æquitate inferre mortem, quia confeſſio non interceſſit. An vero debeat, generalis

ralis regula dari nequit: certum tamen eſt hoc modo ſæpe veritatem eluſiſſe, & multos eſſe, qui veritatem faterentur, niſi timor mortis interceſsiſſet. Sextum. Si vero nec ſic haberi poteſt veritas quæſita, quæſtionetur modis vſitatis, non aliter: & inter quæſtionandum de articulis interrogetur, a leuioribus inchoando, & totum Notarius in proceſſu ſcribat, & quomodo torquetur, & de quibus interrogatur, & quid reſpondeat. Et quidem ſi per tormenta fatetur, ad alium locum ducatur, vbi iterum veritatem recognoſcat: ſi vero minime fatetur, terreatur propoſitis alijs tormentorum generibus. quod ſi non iuuat, ſententia ad tormenta continuanda pro alia die (nõ enim poſſunt iterari niſi ex nouis indicijs) feratur in hunc modum. Et nos præfatus Iudex vt ſupra, aſsignamus tibi tali, diem talem ad continuandũ quæſtiones, vt a tuo ore proprio veritas oriatur. Et totum ponatur in proceſſu a Notario. Interim adhortetur ad fatendum, nec ſolus relinquatur, quia ſi diabolus eum deſerere aut vult, aut cogitur a Deo, eum, vt ſibiipſi manus inferat, ſollicitabit.

Punctum vndecimum. Quonam autem modo ſint continuanda tormenta, & de cautelis Iudicis, multis dictis enodabimus. Primum. Sicut variæ ſunt delatorum qualitates, ita & modos interrogandi, & cautelas Iudicum oportet eſſe varias, nec vna regula dari poteſt, nec expedit: quia facilius filij tenebrarum quaſi perditionis ſuæ laqueum euitarent. Vnde ſi taciturnitatis maleficium veſtigare curat, aduertat an coram eo lacrymare delatus poſsit. Hoc enim pro certo compertũ eſt, quod qui maleficus, aut malefica eſt, etiam ſi coniuretur vt lacrymetur, non poterit: quamquam voces gementis dabit, & ſputo genas & oculos liniet, vt fleuiſſe videatur. Modus autem adiurandi ad veras lacrymas & ad eas cohibendas, hic vel conſimilis eſt. Coniuro te per amoroſas lacrymas a Domino noſtro Ieſu Chriſto in Cruce pro mundi ſalute fuſas, ac per lacrymas ardentiſsimas ipſius Glorioſæ Virginis Mariæ matris, ſuper vulnera eius hora veſpertina emiſſas, & per lacrymas omnes olim Sanctorum & electorum omnium, a quorum oculis iam Deus omnem lacrymam abſterſit, vt quatenus innoxia ſis, lacrymas effundas, alioquin nullo modo poſsis effundere, in nomine patris &c. Experientia docuit quanto plus noxiæ coniurantur, tanto ſicciores effici, quamquam fingere conantur. Alibi autem a præſentia Iudicis, & extra locum tormentorum, coram cuſtodibus flere poſſunt. Cauſa vero eius rei putatur nobilitas doni lacrymarum in pœnitentibus: quod diabolus ſumme odit, & pro viribus impedit, vt finalis impœnitentia inducatur: aut quia facile malefica lacrymans, emollitis viſceribus pœnitere poſſet. Quod ſi permittente Deo aſtutia diaboli lacrymas a noxia excuteret, dico eiuſmodi nõ excedere terminos pro-

babilis

babilis coniecturæ,nec ſuper his iudicium abſolutionis,aut cōdemnationis eſſe fundandum. Secundum. Cautela ſecunda ſemper obſeruanda a Iudice & aſſeſſoribus.Caueant ne ſe tangi maxime ad nudū, maxime iuncturarum permittant: armati vero ſemper ſigno Crucis ferant,potius ſecum ſal exorcizatum,palmas & herbas benedictas & ceram itidem benedictam,ſimul omnibus inuolutis:ſunt enim efficacia, vt ex Eccleſiæ cōſuetudine,& ſtrigimagarum teſtimonijs conſtat. Immo nedum a tactu,ſed etiam ab auditu & viſu talium, eſſet cauendum pro viribus: quia & per verba,& viſum,cooperante diabolo,eas poſſe maleficijs afficere compertum eſt. Tertium. Cautela tertia.Abradantur omnes delatorum pili: in eis enim ſicut & in veſtibus interdū pro maleficio taciturnitatis ſcripturas aut alligaturas celant: immo interdum in locis ſecretiſsimis nō ſcribendis,nec nominādis, immo interdum inter cutim & carnē. Et quamquā dæmon haud dubio eiuſmodi taciturnitatem per ſe poſſet inducere:tamē eiuſmodi alligaturis & ſcripturis vtitur ad maiorem animarum perditionem,& offenſam diuinitatis: cum iſta per neces puerorum maxime non renatorum, & mille crimina procurentur. Nota vero taciturnitatem in quæſtionibus ex tribus emergere. Primo, ex naturali duritia cordis, ſicut in quibuſdam ex mollicie faſsio adeo eſt facilis, vt etiam non admiſſa fateantur.Secūdo ex maleficio apud delatum retento: Vnde in diœceſi Ratiſponen. quidam hæretici damnati illæſi in igne manſerunt,& rurſus adiudicati ſubmerſioni,idem fuit:indicto autem triduano ieiunio omni populo,cuidā innotuit,quod in certo corporis loco ſub cute erat maleficium: quo ſublato,ſtatim incendio perierunt. Tertio,ex maleficio aliorū,quantumcunq; diſtātium,ſicut in Isbruch quædam malefica ſe iactare ſolebat,quod ſi vel minimū filum veſtis cuiuſcumq; detenti haberet,id poſſet efficere vt mori potius,quam fateri poſſet. Quartū. Cautela quarta.Vbi vero eiuſmodi raſura foret horrida, nonnulli Inquiſitores contra taciturnitatē hoc vtūtur remedio. Abraſis capillis,ciphus aquæ benedictæ cum guttula benedictæ cerę infuſa, ieiuno ſtomacho ſancta Trinitate inuocata, ter potus delato miniſtretur. An verò omnibus remedijs ceſſantibus licitum eſſet diuinatrices inuocare pro ſoluendis maleficijs,quidam abſolute negando reſpondent. Ego vero diſtinguo: quia aliud eſt per diuinos inuocare dæmones,aliud inuocare ipſos diuinos ad ea quæ ſua virtute poſſunt,nō ſcilicet vt dæmones inuocent, ſed ut ſua propria notitia & uirtute utantur: quod illicitum non puto, etiam ſiquid alias per dæmonem ſciuiſſent,& nō ideo quia nunc me inſtante inuocarunt: ſicuti licite ad febrem quartanam pellendam naturali actiuo uterer, puta, pulueribus herbæ camedrios, quæ Italice, callamandrina, nuncupatur, mixtis uino bono albo,

potato

potato in hora accedentis parociſmi, etiam ſi alias id dæmon reuelaſſet; modo id me inſtante non fecerit. Primo ergo Iudex vtatur propria virtute, deinde virtute aliorum, & conſilio etiam malorum, necnon ſanctorum etiam viuentium: tandem ad Deum confugiat etiam indicta oratione & ieiunio, vt prouideat rei ſuæ eo modo quo ſuæ bonitati & ſapientiæ congruit, iuxta illud 2. Paralip. 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.

Punctum vltimum. Vltimam vero interrogationem delati nonnullis dictis explicare oportet. Primum. Sacratioribus diebus hora Miſſarum cum rebus & verbis ſacris, maximeq; ſeptem a Chriſto in Cruce prolatis, in ſchedula ſcriptis, & vt nonnulli ſcribunt, cum longitudine corporis Chriſti benedicta, ſi haberi poteſt, qua malefica cingatur; & ſanctorum reliquijs, Iudex aqua benedicta in potum exhibita, delatum iterum quæſtionandum aggrediatur, continue hortando, & dicta teſtium ſine nomine legendo, ac dicendo: ecce per teſtes conuictus es; & ſi teſtes id vellent, interroget an fateri velit, ſi teſtes in faciem deponant: quo annuente id fiat, ſi forte vel ſic rubore aliquid diceret. Et vltimo eo ſtante in negatiua, interrogabit, an pro ſua innocentia iudicium ferri candentis ſubire velit: quod ſi annuerit (vt libenter faciunt, putantes quod a dæmone iuuabuntur) erit ſignum quod ſit vere maleficus: & replicabit Iudex, qua temeritate tali periculo ſe ſubmittat: nec illud patietur, ſicut nec licet. Secundum. Si vero in negatiua perſtiterit, his cautelis Iudex vtetur. Prima. Carceri ad cuſtodiam, bene tamen munito, tradetur, nullo autem modo eum ſub fideiuſsione relaxet: quia numquam haberetur veritas: ſed in dies peior efficeretur: ſed id procuret, vt in cibo & potu humane tractetur: deinde ſubmittat honeſtos & tutos, qui de impertinentibus loquentes tandem ſe exhibeant mediatores, promittendo quod Iudex gratiã faciet, & idẽ etiam tandem faciat Iudex, caute tamẽ loquendo, intelligẽdo ſibi vel reipublicæ, & Notarius omnia ſcribat verba, & qua intentione ſint dicta, prius edoctus a Iudice. Secunda. Si qua complices examinati depoſuiſſent ad propoſitum, aut ſi qua inſtrumenta, vel vnguenta, vel pixides ex domo eius habuerit, de ſingulis diligenter interroget, ad quem vſum &c. Tertia. Procuret Iudex ſibi fidum, & malefico non ingratũ, qui colloquatur, ac tandem cauſatus temporis tarditatem remaneat cũ eo nocte: & ſi fieri poſſet, eſſet de complicibus confeſsis: foris autẽ ſint qui explorent, & verba audiant, & ſi opus fuerit, conſcribant. Quarta. Si quando incipiat confiteri, nulla ratione, vel pacto, vel hora Iudex confeſsionem dimidiet, donec principalia excipiat: interruptio enim multotiens ad vomitum reducit. Et poſt nocumenta illata interroget

Iudex de ſuccubo vel incubo, & tempore negatæ fidei, & quando cũ incubo coiuerit. Hæc enim non niſi dictis alijs fatentur. Quinta. Si prædicta omnia nõ iuuent; vbi fieri poteſt, in Caſtro aliquo recludatur in carcere, & poſt dies aliquot, Caſtellanus ſe receſſurũ fingat ad partes diſtantes, & honeſti viri vel feminæ intrantes adiutorium ſpondeant, modo eos de certis experimentis informet: puta, ſuper grandine concitanda, vel de carnalibus cum incubis, & eiuſmodi. Eo tamẽ caſu, quo omnia deficerent, vel omnia fateretur, quid agendũ ſit Iudici pro ſententia, iam dicere aggrediamur.

Sententias pro terminatione proceſſus in ſtrigimagas uario modo ferri.
CAP. IIII.

QVIA vero iam oſtenſum eſt proceſſus quonam modo continuetur: nunc quomodo per ſententiam claudatur, multis punctis oſtendemus.

Punctum primum. Iudicium ferri cãdentis, aquæ bullientis & duelli, quicquid ſit de ſæculari Iudice (qui tamen in hæreſi maleficarũ, crimine ſcilicet ex eccleſiaſtico, & ciuili mixto, ideſt hæreſi & maleficio, non poteſt ſententiare ca. Vt inquiſitionis, eo. tit. §. Prohibemus, li. 6.) eccleſiaſticus Iudex non exercet. 2. q. 5. Monomachiam. Item ibi cap. Quod ſanctorum. Vnde his miſsis, aut in conuictum, aut in ſponte cõ feſſum ſententia ferenda eſt, per Aug. 2. q. 1. cap. Nos in quemquam. Quæ ſententia triplex eſt, vt ibi dicit gloſſ. ſum. Prima eſt interlocutoria, quæ apud Ray. dicitur, quę nõ eſt ſuper principali, ſed ſuper alijs quæſtionibus emergentibus inter principium, & finem cauſæ: vt de teſte repellendo, vel dilatione danda, vel nõ, & eiuſmodi. Sic dicta quod inter principium & finẽ cauſæ Iudex eam loquitur, vel dicit: aut certe quia inter partes ſine ſcripturæ ſollemnitate profertur: De ſen. & re iud. Quod ad: quamquam prolata ſcribitur. de proba. Quoniam. Secunda eſt diffinitiua, quæ ea eſt, qua principalis cauſa finitur. ff. de re iud. l. 1. Tertia eſt ſententia præcepti, & ea eſt quæ maior minori præcipit ſine cauſæ cognitione: de qua in d. gloſſ. & ff. quod me. ca. l. vltima. Sed iſta tertia omiſſa, de prima, & de ſecunda præcipue intendimus. Prima autẽ & pręcipua, ideſt diffinitiua, ſi lata fuerit iuris ordine prætermiſſo, nulla eſt. 2. q. 6. Si quando. §. Diffinitiua. Quod de eo ordine ſecundum gloſſ. vbi ſupra intelligitur, qui de ſubſtãtia Iudiciorum eſt, vt ſcilicet fiat litis conteſtatio, & teſtes legitime recipiantur: non autẽ de eo ordine, qui de Iudiciorum ſubſtantia non eſt, vt quod ſententia non feratur ſub conditione, vt prius nõ pronuncietur de proprietate, quam de poſſeſsione, quæ ſi non ſeruentur, ſententia tamen tenet. 2.

q. 6. An-

q.6. Anteriorum.§. Biduum. In cauſa tamen ſtrigimagarum, quia eſt cauſa fidei, & crimen hæreſis, licet mixtum, proceditur ſummarie, ſimpliciter, & de plano, vt ſupra dictum, & declaratum eſt: & ſemper debet Inquiſitor & Iudex in videndo merita proceſſus & ſententia ferenda, adhibere peritos omnium facultatum pro viribus. Proferri autem debet a Iudice, non ab alio; alioquin non tenet: Item in loco publico, & honeſto, & ſedendo. 3.q.3. Induciæ.§. Spacium: & ſimiliter de die, non in tenebris: & ſic de multis quæ ibi notantur. Hic tamen fertur, ſi Iudici placet, etiam diebus feriatis; quod ibi prohibetur: & ſimiliter ſine ſcriptura, cum ſecundum Io. An. multotiens ſine ſcriptura teneat, maxime vbi eſt conſuetudo loci, vel fori, di.11. Conſuetudinis. Iudex etiam ſi eſt Epiſcopus, per alium ſententiam recitare poteſt, inſtar illuſtrium. Lata autem ſententia, licet in actionibus criminalibus executio non ſit differenda. 2.q.1. Sicut: fallit tamen in multis caſibus, e quibus pro iſta cauſa duos elicio. Primus eſt, ſi lata eſt in mulierem prægnantem, quia partus expectatur. ff. de re iudic. l. prægnantis. Secundus, cum is qui crimen confeſſus eſt, poſtea negat: quod intellige, ſi fuit confeſſus ſolum in loco torturæ, vel carceris, non aliter: de quo vide. C. de cuſto.re.l.2. Si autem eſt facta ſponte in libertate, non metu, non eſt audienda: alioquin quilibet vicinus patibulo ſe pro voto liberaret ad tempus, & totiens quotiens: quod nota.

Punctum ſecundum. Suſpitio autem vnde ad interdum ſententia emergit, multis dictis abſoluitur. Primum. Glo. in ca. Nos in quemquam. 2.q.1. dicit quatuor eſſe modos conuincendi reum: Aut iure, ſcilicet inſtrumentis & teſtibus: aut facti euidentia. de cohabi.cle. Tua: Aut iuris interpretatione, ut ſæpius citatum eſſe reum 3.q.9. Decreuimus: Aut ſuſpitione violenta 32.q.1. Dixit. Canoniſtæ vero ſuſpitionem trifariam ſecundum antiqua iura diuidunt: Et prima eſt temeraria, quæ in reum nihil iure operatur, & de qua 2.q.1. Nullum iudicetis ſuſpitionis arbitrio. Secunda eſt probabilis, & eſt quando aliquid videtur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus (tu hic accipe prudentibus) & his, aut omnibus, aut pluribus, aut præcipuis, vt patet ex diffinitione probabilis apud Ariſt. in lib.1. Topi. Et hęc inducit purgationē canonicam 2.q.4. Presbyter. Admittitur etiam ad ſemiplenam probationem, de præſump. cap. In multis. Vnde ad probationē coadiuuat, ſi alia adſint adminicula: Tertia eſt violenta, quæ condemnationem inducit: de qua illud Hiero. intelligitur 32. q.1. Dixit: Vxor dimitti poteſt propter fornicationem, aut fornicationis ſuſpitionem. Et iſta eſt duplex: Quædam, ſcilicet iuris, & de iure, vt cum ius fingit, & ſtatuit aliquid ſuper facto: contra quam probatio non admittitur, de ſponſ. Is qui fidem. veluti ſi data fide de contrahendo, ſequitur copula, ma-

trimonium præſumitur. Quædam vero eſt iuris, ſed non de iure, vt ibi ius præſumit, ſed non ſtatuit: vt ſi vir diu mulieri cohabitauit, præſumitur cognouiſſe. 32. q. 1. Dixit: & contra hanc admittitur probatio. Secundum. Quantum vero attinet ad noſtrum inſtitutum, & noua iura, ſuſpitio probabilis diuiſa, tria nobis membra parit ſuſpitionis, quæ ſunt modica, magna, maxima. Prima, ideſt, parua in iure vocatur leuis, vt in cap. Accuſatus, de hære. lib. 6. quod, ſcilicet, leuibus coniecturis oriatur: & parua vel modica, quod paruis indicijs ſeu modicis conſtet, & pro hac punitur ſtrigimaga, non tamen pœna relapſi. Exemplum in ſimplici hæreſi: Siqui occulta conuenticula celebrant, aut vita vel moribus a communi vita fidelium deuiant, de hære. Excommunicamus primo. Exemplum in hæreſi ſtrigimagarum: Si in angulis conuẽticula celebrãt, aut in temporibus anni ſacratioribus in campis vel ſyluis nocte vel die, aut ſi ſeorſum aliquæ reperiantur non frequentantes ex more diuina, aut modis conſuetis, aut cum ſuſpectis maleficis ſecretas familiaritates contrahere, eiuſmodi enim ſaltem leui ſuſpitioni de hæreſi ſubiacent; quippe quod talia crebro eiuſmodi hæretici facere conſueuerunt. De hac leui ſuſpitione habetur. C. de hære. lib. 3. in fi. vbi dicitur, Hæreticorum vocabulo continentur, & latis aduerſus eos ſententijs debent ſuccumbere, qui vel leui argumento a iudicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deuiare: Quod dictum Hoſt. in Sum. tit. de præſum. §. fi. exponit, quod hæretici leui argumento deteguntur quantum ad hoc, quod ſuſpecti habeantur, tamen non debẽt vt hæretici haberi. Adde tamen quod ſubijciuntur ſententijs datis pro leui ſuſpitione, non aliter. Secunda vero ſuſpitio, ideſt magna, in iure vocatur vehemens, ſiue fortis: de qua rurſus in d. c. Accuſatus, vbi dicitur ſuſpitio magna, & vehemens: vbi ly, &, non copulatiue, ſed expoſitiue tenetur, ſecundum Io. An. ibi. Vehemens autẽ idem eſt quod fortis, ſecundũ Archi. ibi: Et ſic dicitur, qđ niſi uehementibus & fortibus defenſionibus repellatur, & rurſus quod ex vehementibus magnis & fortibus coniecturis emergat. Exemplũ in ſimplici hæreſi: Aliqui eos, qui ſciuntur hęretici eſſe, occultãt, fauorẽ impendũt, aſſociant, viſitãt, munera offerunt, recipiũt, defenſant, & eiuſmodi faciũt. Et ſimiliter cognoſcuntur circa hæreſim ſtrigimagarũ, eo quod ſuſpitio oriatur, quia participant cũ eis in crimine. Et hæc patẽt per dicta Archi. in d. c. Accuſatus. Tertia ſuſpitio eſt maxima, & in iure vocatur violenta, ca. Cũ cõtumacia. & c. Accuſatus. de hær. li. 6. Quę ſic dicitur, qđ violentet & cogat ad credendũ, nec quacũque tergiuerſatione refellitur; vel quod ex indicijs & coniecturis conuincentibus emergat. Exemplum in ſimplici hæreſi. Siqui hæreticos adorauerint, ideſt, reuerentiam ſuo more exhibuerint, conſolationem vel communionẽ ab eis acceperint, vel ſimilia

quæ

quæ ad eorum ritum attinent, perpetrarint: qui conuicti ſunt per ca. Filij. & per ca. Accuſatus, de hære. in 6. Et per no. per Archi. ſuper ca. Quicunque hęreticos. & in verbo Credentes, eo. tit. li. 6. cũ non ſit dubium eos ita facere in credentiã hæreticę prauitatis. Et in hæreſi ſtrigimagarum a ſimili. Siqui patrant pertinentia ad ritum ſtrigimagarum, in verbo, Vt, Tu ſenties in breui quid tibi continget, & ſequitur effectus, & ſimilia. Et ſimiliter in effectu, ut ſolo tactu inficiendo hominẽ, aut beſtiam, & eiuſmodi. Hi enim vbi laborant infamia, ſunt conuicti. Tertium, Igitur ſuſpecti de ſtrigimagarum ſecta triplices ſeu certe tripliciter homines ſunt: leuiter, uehementer, violenter. Et leuiter quidẽ, qui talia leuia ſeu modica peragunt, quod ex his leuis aut modica ſuſpitio emergat: qui quamuis hæretici minime habendi ſint, his tamen indici debet canonica purgatio, de hære. Excommunicamus primo. vel tamquam pro leui ſuſpitione abiuratio, Vt per ca. Accuſatus patet. in 6. eo. ti. Non tamen punietur vt relapſus, ſi deinde hæreſim committat, vt ibi liquet. Quidam vero ſunt ſuſpecti vehemẽter, vt dictum eſt: qui licet nec ſint hæretici, nec vt hæretici damnandi: vt liquet in cap. Literas. §. Quo circa, de præſump. Tamen talibus debet mandari vt abiurent vniuerſaliter omnem hæreſim, ac particulariter in quam inciderunt, vt in cap. Accuſatus, de hære. in 6. Et per cap. Inter ſolicitudines, de pur. can. Et per ca. Literas, de præſump. Et ex verbis. d. c. Accuſatus, patet quod poſt abiurationẽ in triplici caſu pœna relapſorũ plectuntur: Primo, ſi relabatur in hæreſim, de qua erat ſuſpectus uehemẽter. Secundo, ſi hęreſim in genere abiurauit, & in aliã labitur. Tertio, ſi hęreticos receptat, & deducit, viſitat, aſſociat, dona mittit, aut eis fauet. Quod ſi adj mandatum Iudicis talis abiurare recuſet, quidam dicunt tradendum brachio ſæculari, ſecundum ca. Ad abolendam. §. Prę ſenti, de hære. Quod non bene probat: quia non loquitur de vehementer ſuſpecto, ſed de manifeſte deprehenſo, cum quo agitur rigoroſius. Vnde melius alij dicunt procedendum per ca. Excommnnicamus primo. eo. ti. §. Qui vero ſola. Vnde excommunicatione plectetur, in quã ſi anno integro durarit, vt hęreticus damnabitur. Quidam vero ſuſpecti ſunt violenter, vt etiam patuit: & hi ut hæretici ſunt habendi. Vnde ſi crimen fatentur, & volunt redire, abiurata hæreſi ad pænitentiã admittuntur per ca. Ad abolendã. & per ca. Excõmunicamus ſecũdo, eo. tit. Si vero abiurare recuſant, tradẽdi ſunt curiæ ſæculari per d. c. Ad abolendam. §. primo. Si autem crimen non fatetur poſtquam eſt cõuictus, nec cõſentit abiurare, eſt vt hæreticus impænitens condemnãdus per ca. Ad abolendã. Violenta enim ſuſpitio ſufficit ad damnandũ, & probationem in cõtrarium non admittit, de pręſump. Literis. & ca. Afferte. Quartũ. Et cum hæc in ſimplici hæreſi vera ſint abſq; euidẽtia,

aut indicijs facti (ſicut infra in ſexto modo ſententiandi patebit, vbi quis vt hæreticus damnatur, etiã ſi in re non ſit hæreticus) quanto magis circa hęreſim ſtrigimagarum, vbi ſemper concurrit aut euidens factum in pueris, hominibus vel iumentis, aut indicium facti, puta per inſtrumenta reperta. Et licet in ſimplici hæreſi pœnitentes & abiurantes, ad pœnitentiam & perpetuos carceres admittantur, in hac tamen hæreſi, licet eccleſiaſticus Iudex, vt ſic, recipiat ad pęnitentiam: Laicus tamen poteſt propter damna forte facta, vltimo ſupplicio interimere.

Punctum tertium. Si delatus, attentis meritis cauſæ, adhibito peritorum conſilio, inuentus fuerit immunis, id eſt, nullo ex prædictis modis deprehenſus in hæreſi, nec alias de ea infamatus, vel ſuſpectus, ſententiandi practica. Nos N. talis Epiſcopus, aut Iudex, talis dominij, attendentes quod tu talis, de tali loco, talis diœceſis, fuiſti nobis delatus de tali hæretica prauitate: attendentes etiam illa eſſe talia quod nequibamus, nec debuimus conniuentibus oculis pertranſire, deſcendimus ad inquirendum ſi prædicta fulcirentur aliqua ueritate, teſtes recipiendo, te examinando, & alia faciendo, quæ decebant ſecundum canonicas ſanctiones. Eapropter viſis, & diligenter examinatis omnibus actis & actitatis in hac cauſa, habitoq; peritorum in iure ac Theologica facultate, cõſilio, illoque ſæpius repetito, ſedentes pro tribunali more Iudicis iudicantis, ac habentes prę oculis ſolum Deum & negocij veritatem, ſacroſanctis Euangelijs poſitis coram nobis, vt de vultu Dei iudicium noſtrum prodeat, & oculi noſtri videant æquitatem: ad noſtram diffinitiuam ſententiam Chriſti nomine inuocato deſcendimus in hunc modum. Quia per ea quę vidimus, & audiuimus, & producta, & oblata acta, & actitata ſunt coram nobis in præſenti cauſa, non inuenimus aliquid cõtra te legitime probatum eſſe, de his, de quibus delatus fueras coram nobis: pronunciamus, declaramus, & ſententialiter diffinimus, contra te non eſſe actum legitime coram nobis, propter quod poſsis, aut debeas vt hæreticus, aut maleficus iudicari, aut de hæretica prauitate aliqualiter ſuſpectus haberi: quare a præſenti inſtantia, inquiſitione, & iudicio totaliter te relaxamus. Lata fuit hæc ſententia, &c. Cauendum vero eſt, ne in ſententia delatus dicatur inſons, vel immunis, ſecundum quod non fuerit contra eum legitime probatum; quia ſi proceſſu temporis iterum deferatur, & legitime probetur, poteſt non obſtante prędicta abſolutoria ſententia condemnari. Nota inſuper eodem modo abſoluendos eſſe, ſi deferantur aliqui de receptatione, defenſione, vel alia fautoria hæreticorum, vbi nihil legitime probatur. Et eiuſmodi ſententia cum ſit pro delato, non contra eum, diuiſim fieri poteſt ab Epiſcopo ſolo, vel Inquiſitore ſolo, per ca. Multorũ. de hęre. in cle. & ibi glo. Io. An.

Pun-

Punctum quartum. Aliquando delatus examinato proceſſu cum peritorum conſilio, inuenitur de hæreſi diffamatus ſolum: quod tunc eſt, quando nullo ex dictis modis eſt deprehenſus, nec indicia aliqua verborum, aut factorum probata ſunt contra illum, ſed infamia ſola, quam in cauſa hæreſis non refert apud bonos, aut apud malos etiã viliſsimos eſſe: quia a quibus poteſt quis legitime accuſari, apud hos etiam poteſt legitime infamari: & tunc hæc ſit practica. Nos talis Epiſcopus aut Iudex talis dominij, conſiderantes quod meritis proceſſus facti per nos contra te talem, talis diœceſis nobis delatum de tali hæretica prauitate, diligenter diſcuſsis de peritorum conſilio, non inuenimus te confeſſum, aut conuictum de prædicta labe, nec alias ſuſpectum: niſi quod te reperimus legitime & veraciter in tali loco apud bonos & malos publice diffamatum: ea propter ad purgandam eiuſmodi infamiam, & vt odor bonus in cœtu fidelium exiſtat; tibi indicimus canonicam purgationem, vt iuris eſt, aſsignando tibi talis menſis, talis diei, talem horam, in qua corã nobis perſonaliter compareas, vt infamiam tuam purges tanta manu vel perſonarum numero ordinis tui: qui quidem compurgatores ſint homines fide catholici, ac vita probati, & qui tuam conuerſationem & vitam nouerunt, non tam moderno tempore, quam tranſacto: ſignificantes, quod ſi in purgatione defeceris, te habebimus pro conuicto, prout volunt Canonicæ ſanctiones. Eiuſmodi autem ſententia authores Mallei malefic. videntur velle, quod ab Inquiſitore ſine Ordinario, & econtra ferri poſsit: Verum ego puto, quod non: quia eſt contra delatum, qui ſi deficiat, damnatur. Nec obſtat ſi aliquo modo ſit pro eo: quia odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari. de reg. iur. in 6. & tanto plus, quanto Inquiſitor per ſe quidem damnat, & grauat, iuuat autem per accidens. Et ita tenet Directorium inquiſitionis. Eiuſmodi tamen ſententiam multi tenent poſſe Inquiſitorem ſine Ordinario facere: quia aut clarum eſt, aut dubium de iure. Et ſi eſt dubium, cum Inquiſitores poſsint ex priuilegio interpretari ius in cauſa fidei, poterũt facere eiuſmodi ſoli. Multo autem magis ſi eſt clarum, vt videtur: quia in cap. Vt officium, in 6. hoc Inquiſitoribus conceditur, nulla habita mentione de Ordinario. Et confirmatur: quia in litteris Clementis, vnde illud cap. ſumptum eſt (quæ incipiunt, Licet ex omnibus) poſtquam mandatum eſt Inquiſitoribus recipere abiurationem, ſtatim ſubiungitur de aliquibus, quæ nõ poteſt Inquiſitor ſolus, dũ ſubditur. Quod ſi aliqui fuerint iudicandi hæretici, vel incarcerationis pœna perpetue &c. & tunc mandatur Inquiſitoribus vt Ordinarium requirant. Quia ergo hoc eis licet per hoc ius antiquum, & per nouum non exprimitur contrarium, tenendum eſt: iuxta gloſſ. in Cle. Multorum.

co.tit.

eo.tit. Nec obſtat, quod eis ibi prohibetur ſententia contra eos, ſcilicet hæreticos: quia intelligitur de ſententia damnatiua de hæreſi. Hęc ex his. Sed primum eſt veritas: quia illud uerbum, contra, corrigit antiqua iura, & hic male gloſſatur. Vide de his, De purg. cano. Inter ſolicitudines: Et nota, eiuſdem ordinis, ſi haberi poſſunt, alioquin erunt ordinis inferioris, uel etiam laici 24. q. 5. Si legitimi. Nota etiã, ſui ordinis: ut ſi delatus eſt religioſus, compurgatores religioſi ſint: ſi clericus ſæcularis, clerici ſæculares: ſi miles, milites: ſumitur enim ordo in genere. Vnde ſi purgatur Epiſcopus, admittuntur non Epiſcopi modo, verum etiam abbates, & religioſi presbyteri: & in alijs pari forma: De pur. cano. Quotiens. Numerus autem compurgantium hodie ſecundum Ray. Iudicis rationabili taxatur arbitrio, omnibus penſatis. Quod videtur graue, niſi vtatur proborum conſilio, alioquin poſſet tot imponere, quod pro voto damnaret. Si autem hic delatus ſe purgare noluerit, excommunicetur: & ſi per annum indurato animo ſic ſteterit, extunc vt hæreticus damnatur, de here. Excommunicamus itaque. §. Qui autem. Si autem voluerit quidem ſe purgare, ſed nequiuerit, quia quot & quales iniuncti ſunt, non inuenit, pro conuicto habetur: & conſequenter vt hæreticus damnatur, de hære. Excõmunicamus primo. §. Adijcimus. & de pur. cano. Cum dilectus. Si vero ſe purgare & voluerit, & potuerit, vt colligitur de pur. can. Quotiens. §. Porro. & cap. Accepimus. hæc erit practica. In termino, & loco ſtatuto, in quo ſcilicet eſt infamatus, purgandus cum ſuis coniuratoribus coram Epiſcopo & Inquiſitore perſonaliter comparebit: & manu ſuper libro Euangeliorum poſita, ſic exordietur. Ego iuro ſuper iſtà quatuor Euangelia ſancta Dei, quod hæreſim talem (eam exprimendo) de qua ſum infamatus, nunquam tenui, nec credidi, nec docui, nec credo, nec teneo. Quo facto, omnes compurgatores ponent manum ſuper Euangeliorum libro, & quiſque eorum ſic dicet: Ego iuro ſuper iſta ſancta Dei Euangelia, quod credo ipſum verum iuraſſe, & tunc eſt Canonice purgatus. Si autem in pluribus locis fuerit infamatus, iniungatur vt in omnibus publice fidem catholicam profiteatur, & hæreſim de qua infamatus eſt, deteſtetur, de pur. cano. Inter ſolicitudines, Nec contemnat ſic purgatus: quia ſi deinde labatur in hæreſim iam purgatam, pro relapſo iudicatur, & traditur curiæ ſæculari, de hære. Excommunicamus primo. §. Addijcimus. & cap. Ad abolendam. §. illos quoque.

Punctum quintum. Aliquando vero delatus, peritorum conſilio trutinato proceſſu, reperitur quæſtionibus dignus: vel quia varius, vel quia ſufficienter ad id indiciatus, & nullo dictorum modorum deprehenſus. Quo caſu ſententia eſt ferenda coniunctim, & nõ diuiſim per

cap.

cap. Multorum, de hære. in Cle. 1. nec per Inquiſitorem ſolum, nec per Epiſcopum ſolum: & hæc erit praxis. Nos talis Epiſcopus vel Inquiſitor talis, attentis meritis proceſſus per nos contra te talem talis loci, talis diœceſis, facti, & quod tu es in tuis confeſsionibus varius, aut nihilominus ſunt indicia varia ſufficientia ad te exponendum quæſtionibus & tormentis, ea propter vt veritas ab ore tuo proprio habeatur, & vt deinceps aures Iudicum non offendas interloquendo, declaramus, iudicamus, & ſententiamus die præſenti, & hora tali, te ſupponendum quæſtionibus & tormentis. Lata fuit hęc ſententia &c. Si autem delatus reperiatur & varius, & ſufficienter indiciatus ſimul, totũ in ſententia ponatur: ſi alterum tantum, ponatur illud. Sententia vero lata executioni mandetur: videantur tamen illa, quæ cap. priore, puncto 10. ſcripta ſunt, aſsignata etiam die ad continuandum quæſtiones, ſi oportuerit, vt ſupra. Si ergo veritatem faſſus veniam petiuerit, abiuret, iuxta cap. Ad abolendam. §. Præſenti. de hære. & ſententialiter vt deprehenſus publice damnetur per modum, qui dicetur infra puncto nono. Si vero veritatem dixerit, non tamen pœnituerit, ſed in hac pertinaciter ſteterit, & relapſus non fuerit, condemnabitur, iuxta. d. cap. Ad abolendam. §. præſenti: & expectatus competenter & decentęr informatus, tradetur brachio ſæculari, vltimo ſupplicio feriendus, vt infra puncto vndecimo. Quod ſi relapſus fuerit, damnabitur, vt infra ibidem. Si vero decenter tormentis expoſitus, veritatem fateri noluerit, de cætero non vexetur, cæterum liber dimittatur. Illud vero aduertendum eſt, quod ea quæ diximus de eo quæſtionando, vera ſunt, de quo nihil ante quæſtiones probatur, ſed neque ipſe fatetur, propter quod hæreſim abiurare debeat, vel poſsit vt hæreticus condemnari. Aliquando tamen eſt deprehenſus, vel ea ſunt probata indicia, propter quæ deberet abiurare, vt leuiter, aut vehementer ſuſpectus, propter quæ non eſt quæſtionandus: ſed aliquando vltra hoc negat aliqua, quæ non probantur, ſed ſunt indicia ad quæſtiones ſufficientia. Cum ergo pro talibus torquetur, & nihil confitetur, non eſt abſoluendus eo modo, quo dictum eſt, ſed ſecundum probata contra eum procedetur, & abiurabit vt ſuſpectus, vel deprehenſus, ſecundum merita proceſſus. Si vero propter quæſtiones, illa vel eorum aliquid fateatur, tunc abiurabit hæc & illa coniunctim, & non diuiſim: quia eſt contra, etiam ſi ſuſpicio ſit leuis: & pro his & illis ſententia contra eum feretur.

Punctum ſextum. Aliquando vero delatus, proceſſu peritorum conſilio trutinato, inuenitur de hæreſi ſolum ſuſpectus, & leuiter: quod tunc eſt, quando nullo ex tribus dictis modis eſt deprehenſus, nec cõtra eũ ſunt alia indicia fortia aut vehementia, ſed leuia tantũ iu-

dicio

dicio conſilij: quibus talis debet hæreſim, de qua delatus eſt, abiurare, & ſi relabatur, non vt relapſus punitur: licet grauius plectatur, quam ſi nunquam abiuraſſet, vt in cap. Accuſatus. de hære. in 6. & tunc iſta eſt praxis. Abiurabit enim & publice in Eccleſia, ſi publice eſt ſuſpectus in hunc modum. Ego talis, diœceſis talis, habitator talis loci, in iudicio conſtitutus coram vobis domino Epiſcopo tali, vel Iudice tali, ſanctis Euangelijs poſitis coram me, & proprijs manibus eis per me tactis, iuro me credere corde, & profiteor ore illam ſanctam fidem catholicam & apoſtolicam, quam Sacroſancta Romana Eccleſia credit, confitetur, prædicat & obſeruat. Item, iuro me credere, & profiteor ore, quod Dominus Ieſus Chriſtus cum omnibus Sanctis deteſtatur hæreſim talem, puta, peſſimam maleficarum, vel aliam: & quod omnes illam ſequentes ſeu illi adhærentes æterno igni cruciabũtur cum diabolo & angelis eius æternaliter, niſi reſipiſcant, & Eccleſiæ Sanctæ per pœnitentiam reconcilientur. Conſequenter autem abiuro, abnego, & reuoco illam hæreſim, de qua habetis me ſuſpectum, videlicet, quod familiaritatem cum maleficis habui, eorum errorem ignoranter defendi, odio habui Inquiſitores, & illarum perſecutores, ſeu etiam quod earum crimina non detexi. Item, iuro quod nunquã prædictam hæreſim credidi (ſupple pertinaciter) neque credo, nec illi adhæſi, nec adhæreo, neque vnquam credam vel adhærebo: nec illam docui, nec docere intendo. Quod ſi aliquod prædictorum fecero, in futurum (quod Deus auertat) pœnis viris taliter abiurantibus debitis prompto animo me ſubmitto, paratus ſubire omnem pænitentiam, quam pro his quæ feci & dixi, pro quibus merito me habetis ſuſpectum, volueritis mihi iniungere, & illam iuro me pro viribus adimplere, & nullatenus contrauenire: ſic Deus me adiuuet, & hæc Euangelia ſancta. Et ſi publice adiuratio fit, vulgariter fiat, quo intelligatur ab omnibus. Qua facta, moneatur delatus, vt nouerit quid fecit, & caueat. Conſimili modo abiurabit in camerali, vbi factum publicum non eſt. Quibus peractis ſententia hoc modo feratur. Nos talis Epiſcopus & talis Inquiſitor (ſi adeſt, vel econtra) attendentes, quod viſis & diligenter conſideratis meritis proceſſus per nos facti contra te talem, talis diœceſis, talis loci, nobis de hæretica prauitate delatũ, reperimus te hoc, & illud, vel illud admiſiſſe, quæ de hæreſi te leuiter ſuſpectum reddunt: propter hæc te talem merito habentes, te fecimus vt leuiter ſuſpectum de prædicta labe eandem hæreſim abiurare. Verum, ne prædicta per te commiſſa remaneant impunita, & vt in futurum cautior efficiaris, de conſilio multorum & magnorum iuriſperitorum, ac etiam religioſorum, in, & ſuper his habito, matuto pariter & digeſto, habentes præ oculis ſolum Deum, ac irrefragabilem

bilem ſanctæ fidei catholicæ veritatem, ſacroſanctis Euangelijs poſitis coram nobis, vt de vultu Dei iudicium noſtrum prodeat, & oculi noſtri videant æquitatem, ſedenteſque pro tribunali more Iudicum iudicantium, te talem hic in noſtra præſentia perſonaliter conſtitutũ per modum, qui ſequitur condemnamus, ſententiamus, ſeu potius pænitentiamus, ſcilicet vt de cætero nunquã ſcienter teneas, aſſocies, vel defendas talem &c. ponantur ea propter quæ fuit ſuſpectus. Lata fuit hæc ſententia ſeu pænitentia &c. Videatur etiam punctus ſequens, & caueat Notarius, ne, pro leuiter, ponat, vehementer: alias poſsibiliter eſſet magnum præiudicium.

Punctum ſeptimum. Aliquando peritorũ conſilio examinato proceſſu, delatus reperitur de hæreſi ſuſpectus vehementer: quod tunc eſt, quando non eſt aliquo trium dictorum modorum legitime deprehenſus: ſunt tamen indicia contra eum magna & grauia probata, & talia per conſilium iudicata: & eo caſu hæc eſt praxis. Hic enim abiurare debet vt ſuſpectus vehemẽter, adeo quod ſi labatur, teneatur pœna relapſi, iuxta cap. Accuſatus. de hære. in 6. & abiurabit publice, vel ſecrete, ſecundum quod publice vel ſecrete fuit ſuſpectus. Modus vero abiurandi hic eſt. Inquiſitor enim, vel alius ſermonem habebit in die Dominica, quo expleto, per Notarium vel Clericum legentur ea, de quibus eſt conuictus, & ea quæ illum reddunt ſuſpectum vehementer. Deinde ſubiunget Iudex vel officialis eius: Ecce ex his es nobis de tali hæreſi ſuſpectus vehementer: vnde quod te de hoc purges, & hæreſim illam abiures, oportet: & propoſito Euangeliorum libro, delatus imponet manus ſuper eo, & ſi ſcit competenter legere, cõſequens abiuratio ei legenda tradetur in ſcriptis, & leget audiente omni populo: ſi vero legere neſcit, Notarius leget eam vulgariter, & moroſe, & delatus ſemper Notarij verba replicabit alta & intelligibili voce. Hæc autẽ eſt abiurationis forma. Ego talis, de tali loco, talis diœceſis, in iudicio perſonaliter conſtitutus, coram vobis Reuerendiſsimo domino Epiſcopo tali, & Iudice vel Inquiſitore tali, ſanctis Euangelijs poſitis coram me, proprijs manibus ꝑ me tactis, iuro me credere, & profiteor ore &c. vt puncto priori, mutatis mutandis. Deinde ſequitur ſententia vel pœnitẽtia, hoc modo. Nos talis Epiſcopus & talis Inquiſitor, ſi adeſt, &c. vt priori puncto, mutatis mutãdis. Aduertendum vero eſt, quod ſuſpecti de hæreſi, ſiue leuiter, ſiue vehementer, & non deprehenſi, non debent perpetuo aut incarcerari, aut immurari: quia hæc eſt pœna hæreticorum pænitentium, vt in cap. Excommunicamus ſecundo, eo. tit. & in cap. Quoniam, eo. tit. lib. 6. Poſſunt autem in carceres ad tempus trudi, & deinde vt videbitur liberari. Non ſunt etiam eiuſmodi conſignandi Crucibus, quia iſta ſunt inſignia hæretici pænitentis: iſti autem ſu-

ſpecti quidem habiti ſunt, non autem hæretici. Poteſt tamen eis imponi, vt certis diebus ſollemnibus ad valuas ſtēt eccleſię, aut circa altare, dum miſſarum ſolleinnia celebrantur, tenētes manibus ardentem cereum, aut talem adeant peregrinationem, & eiuſmodi.

Punctum octauum. Aliquando vero trutinato peritorum conſilio proceſſu, delatus inuenitur ſuſpectus violenter: & id eſt quando non eſt legitime aliquo illorum trium modorum deprehenſus, ſed ſunt indicia non leuia, aut vehementia ſolum, verum iudicio conſilij fortiſsima & violentiſsima. Exemplum in ſimplici hæreſi. Non deprehenſus, citatus tamen, non in cauſa fidei, & propter non comparere excommunicatus, excommunicationem animo indurato integro anno ſuſtinens, eſt de hæreſi leuiter ſuſpectus: quia hoc non caret ſcrupulo hæreticæ prauitatis, De pœnis. Grauem. Citatus vero de fide reſponſurus, & excommunicatus propterea quod renuit comparere, iam eſt ſuſpectus de hæreſi vehementer, leui ſuſpitione in vehementem tranſeunte: & ſi integro anno ſic ſuſtinet indurato animo, eſt iam de hæreſi ſuſpectus violenter, vehementi ſuſpitione in violentam tranſeunte: contra quam non admittitur defenſio, vt in ca. Cum cōtumacia, eo. tit. lib. 6. Exemplum in hæreſi ſtrigimagarum. Si dixit vel egit aliqua, quæ ab eiuſmodi practicantur, quando aliquem maleficijs volunt inficere: vt ſi minatus eſt alicui; In breui ſenties quod tibi accidat, & ſequatur effectus aliquis inconſuetus, & maleficialis. Item, ſi adiuit diabolicum ludum ex voluptate, & id fatetur, negat tamen ſe Chriſtum negaſſe. vide ſupra, Vbi de triplici ſuſpitione tractatur. Eo caſu hæc eſt praxis in ſimplici hæreſi. Licet enim violenter ſuſpectus forte non ſit hæreticus: quippe qui nec in mente errorem, nec in voluntate forte habeat pertinaciam, vt no. Archid. in ca. citato: nihilominus eſt veluti hæreticus damnandus, propter eiuſmodi violentam ſuſpitionem, contra quam probatio non admittitur. Damnatur autem hæreticus ſic, quod ſi nolit reſilire, & abiurare, & condigne ſatisfacere, traditur brachio ſæculari, de hære. Ad abolendam. §. Præſenti. Si vero velit, & cum effectu conſentiat abiurare hæreſim, careeri perpetuo mancipatur, de hære. Excommunicamus, ſecundo. Et idem de ſuſpecto violenter in hæreſi ſtrigimagarum, licet idem modus obſeruandus eſſet: mitius tamen agendo, dicendum quod ſi ſtabit delatus in negatione, dicendo vt ſolent, quod illa verba non eo animo dixerit, ſed ex vehementi, maxime muliebri paſsione, vnde & Iudici ideo videtur eum poſſe ignibus addicere, non obſtante ſuſpitione violenta, tunc Iudex eo in carceribus detento, inquirat, & proclamet ſi dudum in ſimilibus notatus fuiſſet: & ſi ſic, vtrum publice ſit de tali hæreſi diffamatus: ex quibus ad vlteriora procedat, ante omnia quæſtionibus exponendo:

nendo: et ſi de tali hæreſi apparuerint indicia, aut de maleficio taciturnitatis, vt quia flere nequit, aut in tormentis non ſentit, vel ſtatim poſt recuperat vires, procedat per cautelas ſuperius tactas. Eo vero caſu, quo omnia defecerint, aduertat quod ſi ſimilia dudum patrauit, nõ eſt dimittendus omnino, ſed per annum ad minus ſqualoribus carceris mancipandus, & ſæpiſsime examinandus, præcipue ſacratioribus diebus. Si autem cum hoc eſſet diffamatus, licet per ea quæ in ſimplici hæreſi dicta ſunt, poſſet ignibus adiudicari: præcipue propter multiplicationem teſtium, & quia ſæpius in eiuſmodi vel ſimilibus maleficijs fuit notatus: pie tamen volens procedere, indicet ei canonicam purgationem, vt viginti vel triginta compurgatores habeat, & procedat prout de iure: ita quod ſi defecerit, concremetur. Si vero ſe purgauerit, abiuret omnem hæreſim modo ſuperius tacto, cum pœna relapſorum & pænitentia perpetua, per modum qui tangetur in ſententia. Et hic modus in omnibus ſequentibus modis ſententiandi ſeruari poſſet, vbi Iudex vellet pie procedere. Aduertat tamen Notarius, vt in actis ſcribat abiurationem factam per ſuſpectum violẽter. Poſtquam abiurauerit ab excommunicatione, abſoluatur, ſicut & omnis hæreticus rediens: cum ſit excommunicatus, per ca. Ad abolendam. & per ca. Excommunicamus primo, ac ſecundo: Deinde ſequitur ſententia. Nos talis Epiſcopus & talis Iudex (ſi adeſt Inquiſitor, vel alius loco Inquiſitoris) attendentes, quod tu talis, de tali loco, talis diœceſis, fuiſti nobis delatus de talibus & talibus fidem ſanctam tangentibus, & quod nos proceſsimus ad informandum nos ſuper illis, vt iuſtitia ſuadebat, & meritis proceſſus diligenter examinatis, & omnibus actis, & actitatis in cauſa præſenti, inuenimus te talia & talia cõmiſiſſe: ea propter & non immerito de tali vel tali hæreſi te ſuſpectũ violenter habentes, fecimus te vt taliter ſuſpectum omnem hæreſim generaliter, & publice abiurare: prout nobis mandant canonicæ ſanctiones. Sane, cum ſecundum eadem Canonica inſtituta, omnis talis ſit ut hæreticus condemnandus, & tu ſaniori conſilio inhærendo, & ad gremium ſanctæ matris Eccleſiæ redeundo abiuraueris (vt præmittitur) omnem hæreticam prauitatem, propter quod abſoluimus te a ſententia excommunicationis, qua vt obnoxius Dei Eccleſiæ aſtrictus merito tenebaris: ſi tamen de corde vero & fide non ficta reuerſus es ad Eccleſiæ vnitatem. Idcirco inter pænitentes deinceps computaris, ad miſericordiæ ſinum ſacroſancta Eccleſia te recipit de præſenti. Verum, quia indignum valde exiſtit offenſas diuinas impunitas conniuentibus oculis pertranſire, iniurias hominum caſtigare, cũ grauius ſit diuinam, quam humanam lædere maieſtatem: & ne tua

crimina alijs delinquendi incentiuum ſint, & vt efficiaris cautior in futurum, ac in poſterum minus procliuis reddaris ad prædicta, ſeu ſimilia committenda, & in futuro ſæculo leuius patiaris: nos Epiſcopus & Iudex præfatus, præhabito in, & ſuper his ſano & maturo conſilio peritorum, ſedentes pro tribunali, more Iudicum iudicantium, habentes præ oculis ſolum Deum, & ſanctæ fidei irrefragabilem veritatem, ſacroſanctis Euangelijs poſitis coram nobis, vt de vultu Dei iudicium noſtrum prodeat, & oculi noſtri videant æquitatem: te talem in noſtra præſentia perſonaliter conſtitutũ, hac die & hora tibi inantea aſsignatis, ſententialiter per modum, qui ſequitur, condemnamus, ſeu potius pænitentiamus. In primis, quod ſtatim induaris ſuper veſtes omnes, quas defers, veſte liuida ad modum ſcapularis monachi ſine caputio facta, ante & retro habẽte Cruces, de pãno croceo, longitudinis palmorum trium, & latitudinis duorum: quam veſtem deferre habeas ſuper omnes veſtes alias tanto tempore: & nihilominus cum dicta veſte & Crucibus ſtes in porta talis Eccleſiæ, tali & tanto tempore, ſcilicet, in quatuor feſtis principalibus Virginis Glorioſæ, vel alijs: atque ad talem carcerem perpetuo, vel ad tempus ſententialiter condemnamus: retinentes nobis ex certa ſcientia, & expreſſe, vt nobis concedunt Canonica inſtituta, quatenus dictam pænitentiam poſsimus mitigare, aggrauare, mutare, tollere in toto & in parte, totiens quotiens nobis viſum fuerit faciendum. Lata fuit hæc ſententia &c. Qua lecta, ſtatim executioni mandetur, & induatur veſte prædicta.

Punctum nonum. Aliquando delatus trutinato peritorum conſilio proceſſu, inuenitur ſuſpectus de hæreſi, & diffamatus: & id eſt quando nullo ex dictis modis reperitur legitimę deprehenſus; reperitur tamen diffamatus, ac ſic indiciatus, vt ſuſpectus reddatur, aut leuiter, aut vehementer: vtpote, quia ad hæreticos magnam habuit familiaritatẽ, qualis fuit is, de quo in ca. Inter ſolicitudines de pur. ca. Et eo caſu hæc eſt praxis. Nam tali ratione infamię indicitur canonica purgatio, & ratione ſuſpitionis abiuratio, iuxta d. ca. Inter. Vnde purgabit ſe modo ſuperius dicto: & deinde etiã modo prætacto abiurabit, vel vt ſuſpectus leuiter, vel vt vehementer: hoc obſeruato, quod ſi vt leuiter, illã tantũ hæreſim abiuret, de qua eſt ſuſpectus: ſi autẽ vt vehementer, abiurabit generaliter hæreſim omnẽ. Et quidẽ ſi vt leuiter, ſi deinde labatur in eandem, ratione abiurationis non debet puniri vt relapſus, vt patuit: ratione vero purgationis, videtur quod ſic, per cap. Excommunicamus primo. §. Adijcimus, verbo Vel ſi poſt. & ca. Ad abolẽdã. §. Illos quoq; de hære. Sit ergo cautus Tabellio, ne in actis ponat, leuiter pro vehemẽter, aut econuerſo. Quibus peractis ſequitur ſentẽtia vel pænitẽtia ſub hac forma. Nos talis Epiſcopus & talis Inquiſitor diligentius attendentes,

dentes, quod tu talis de tali loco, talis diœceſis, fuiſti nobis de tali vel tali hæretica prauitate delatus: nos volẽtes, vt tenebamur, iudicialiter informari, ad inquirendum de hac cauſa, teſtes examinandum, teque citandum & interrogandum medio iuramento, & ad alia faciẽda, quæ facienda erant per nos, deſcendimus, & proceſsimus, vt decebat. Quibus peractis, viſis & diligenter inſpectis pariter & diſcuſsis proceſſus meritis huiuſmodi cauſę, & omnibus & ſingulis productis, actis, & actitatis, habitoque in & ſuper illis Theologorum atque Iuriſperitorum pluries maturo conſilio ac digeſto: reperimus te de prædicta hęreſi in tali loco, ſeu talibus locis, apud bonos & graues publice diffamatum: propter quod, vt nobis mandant canonica inſtituta, indiximus tibi purgationem canonicam: qua coram nobis hic publice te purgaſti, & ipſi compurgatores pariter te purgarunt: inuenimus etiam te talia & talia commiſiſſe (exprimantur) propter quæ non immerito te ſuſpectum leuiter, aut uehementer habemus de prædicta hæretica prauitate, propter quæ fecimus te, vt taliter ſuſpectum hæreſim abiurare (vel talem, ſi leuiter erat ſuſpectus: vel omnem, ſi vehementer) Verum, quia non poſſumus, nec debemus talia quæ peregiſti ullatenus tolerare, ſed cogimur ea mulctare, iuſtitia ſuadẽte, ad hoc vt reddaris cautior in futurum, & vt crimina non remaneant impunita, & vt cæteri non reddantur procliuiores ad ſimilia committenda, & vt Creatoris iniuriæ non æquanimiter tolerentur: ea propter te talem prædictum, purgatum, & abiuratum, hic in noſtra pręſentia perſonaliter conſtitutum, in hoc loco & hora tali tibi inantea aſsignatis: nos Epiſcopus & Iudex præfati, ſedentes pro tribunali &c. ſententiamus, ſeu pænitentiamus per modum qui ſequitur (exprimantur quæ imponuntur) Lata eſt hæc ſententia: qua lata, executioni mandetur: poteritque diſpenſari, vel mitigari, vel mutari, vt videtur, iuxta cap. Vt commiſſi, de hære. lib. 6.

Punctum decimum. Aliquando peritorum conſilio trutinato proceſſu, delatus inuenitur hęreſim confeſſus, ſed pęnitens, nec alias relapſus: quando ſcilicet medio iuramento coram Iudice iudiciali vel confitetur talem vel talem hæreſim tanto ſe tempore tenuiſſe: ſed tamen vult reſipiſcere, & illam & omnem aliam ad libitum Iudicis abiurare, & ſatisfacere: quod antea nunquam fecit. Et eo caſu hæc eſt practica. Talis, modo vere reuertatur, eſt ad miſericordiam recipiendus, nec tradendus brachio ſæculari: aut ſi clericus eſt, degradandus, de hære. Ad abolendam. §. Præſenti: & prius abiurata hæretica prauitate, eſt perpetuo carceri mancipandus, de hære. Excommunicamus, ſecundo. §. Siqui autem. abſolutionis beneficio impartito, & iniuncto: quod talibus iniungi conſueuit, iuxta ca. Vt officium. Deinde vero ſequitur

ſenten-

ſententia, vt ſupra, mutatis mutandis: ita tamen vt exprimantur articuli, in quibus deliquit, & in pœnitentia ponatur quod induatur ueſte liuida, & ſententietur ad perpetuos carceres, & reſeruetur ſibi Iudex ex certa ſcientia, & expreſſe authoritatem mitigandi &c. Lata fuit hæc ſententia &c. & hortetur delatum ad patientiam, declarando pœnitentiam, & miſericordiam ſpondendo. Lecta ſententia, mandetur executioni, ſecundum quod in huiuſmodi ſeruari conſueuit. Dum tamen indutus, vt ſupra, ducitur ad portam eccleſiæ, Iudex eccleſiaſticus iam non ſe intromittit: ſi autem curia ſæcularis contentatur, bene quidem, alioquin agant ad libitum.

Punctum vndecimum. Aliquando vero delatus trutinato peritorũ conſilio proceſſu, inuenitur hæreticus confeſſus, relapſus, ſed pęnitens: quod tunc eſt, quando delatus iudicialiter confitetur ſe alias abiuraſſe, & ita legitime reperitur, & poſt hæſit tali errori, vel quod hæreſim aliquam ſpecialiter abiurauit, & rediјt in eandem, ſed poſt ſaniori vſus cõſilio pœnitet, & redit ad eccleſiaſticam vnitatem. Tali, ſi humiliter petat, non negatur pœnitentia, nec Euchariſtia: traditur tamen brachio ſæculari vltimo ſupplicio feriendus, quantumcunque pœniteat: vbi abiurauit vt deprehenſus, aut ſuſpectus vehementer, non autem leuiter tantum: Et eo caſu hæc eſt practica. Concluſo enim, maturo & digeſto (& ſi opus eſt) repetito conſilio, quod is ſit relapſus: mittet ad eum Iudex viros idoneos, qui loquentes de mundi huius contemptu, & vita futura, tandem illi indicent, quod mortem obeat oportet, & hortentur ad prouidendum animæ & ad ſacramentum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, & id crebro. Mortem tamen ei Iudex non ſignificet: nam facies Iudicis terret, & impœnitentiam magis adducit. Quibus perceptis, poſt duos vel tres dies, in quibus prædicti eũ pro viribus in catholica fide ſtabiliant, Iudex mandabit poteſtati loci, vel ei, cum attinet, quod tali die & hora tali loco ſit cum ſua curia, extra eccleſiam tamẽ, vbi erit ſermo de fide, & talis Iudex condemnabit quendam relapſum tradendum curiæ ſęculari. Interim ſi talis relapſus fuerit in ſacris, vel cuiusvis ordinis ſeu religionis obumbratione fuſcatus, eſt totius ordinis eccleſiaſtici prærogatiua nudandus, de hære. Ad abolendam. §. Præſenti: & hoc conuocatis conuocandis, iuxta ca. Quoniam, de hęre. li. 6. & modo, qui ſequitur. Cum igitur ſæculari curiæ tradendus erit, facto ſermone in eccleſia, vel aliqua platea, relapſo ibi conſtituto, & curia ſęculari, Epiſcopus põtificalib⁹ indutus, & prȩlatis ſuę diœceſis eidẽ aſsiſtẽtibus, & relapſo degradando induto iuxta ordinem ſuum, eum degradabit, incipiendo a ſuperiori ordine, vt fieri conſueuit. Finita degradatione, vbi fienda eſſet, Officialis mandet Notario, vt ſententiam legat, quæ ſiue relapſus fuerit degradatus, ſiue non, feratur per hunc modũ.

Nos talis Epiſcopus, & talis Iudex attendentes &c. ut de more: & in fine ſententiæ dicunt: Rogamus tamen, & efficaciter dictam curiam ſæcularem, quatenus circa te citra ſanguinis effuſionem, & mortis periculum ſuam ſententiam moderetur. Et ſic Epiſcopus, ac Aſſeſſores recedentes, curia ſæcularis ſuum officium exequetur. Quamuis autem & Epiſcopus, & Inquiſitor omnem diligentiam adhibere habeant, vt relapſus pæniteat, & ſaluetur: tamen pænitentia quantũcunque grãdis, non facit, quin veraciter ſit relapſus, & brachio ſeculari relinquendus. Non conſueuerunt autem eiuſmodi ſententiæ die feſtiua, aut ſollemni fieri, nec etiam in eccleſia: quia ſententia eſt, quæ reum ad mortem ducit, conſequenter autem honeſtius eſt vt die feriata, & loco profano fiat, quę non ſunt dicata Deo.

Punctum duodecimum. Aliquando vero delatus trutinato peritorum conſilio proceſſu, inuenitur confeſſus, ſed impænitens, & non relapſus: quod tamen rariſsime accidit. Cùm tali autem habita custodia bona, eſt moroſe procedendum, vt ſaluetur. Si tamen expectato congruo tempore, quod eſt quamdiu ſpes de eius conuerſione haberi poteſt, nullo modo emolliri poteſt: Epiſcopus & Iudices ſe ad eum tradendum brachio ſæculari diſponent, ſignificantes Poteſtati, vt puncto priore, quod cum ſua curia conueniat: & nihilominus proclamet per vicos, quod omnes conueniant habituri cõſuetam indulgentiam. Quibus expletis, per ſententiam tradetur delatus curiæ ſeculari in hũc modum. Nos talis Epiſcopus & talis Iudex &c. vt de more, in fine precantes curiam ſæcularem, vt ſupra.

Punctum decimum tertium. Aliquando vero peritorum cõſilio trutinato proceſſu, delatus reperitur confeſſus, relapſus, & impænitens, & quando id ſit, liquet: & tunc tradendus eſt curiæ ſæculari modo prædicto per ſententiam, more conſueto.

Punctum decimumquartum. Aliquando verò trutinato peritorum conſilio proceſſu, delatus inuenitur conuictus, & deprehenſus, omnia tamen negans: quod eo caſu eſt, quod de eius hæreſi conſtat per euidentiam facti, aut teſtes legitimos, contra quos excipere legitime non poteſt, & tamen ſtat firmiter in negatiua: & caſu iſto iſta eſt praxis. Duro enim carceri compedibus, & catenæ eſt mancipandus, & crebro per idoneos ad confeſsionem moneatur, etiam ſponſa miſericordia ſi fateatur: alioquin brachio ſæculari tradetur. Quod ſi noluerit, repetatur diligenter examen teſtium, ſeorſum monendo eos ne ſe æterno damnent, vt alius temporaliter damnetur: & ſingulariter illius, quẽ melioris cõſcientię Iudex putat. Qđ ſi ille in negatiua, iſti vero in affirmatiua ſteterint, tradatur brachio ſæculari, iuxta c. Ad abolendã. §. Prę-

ſenti.

ſenti. Non tamen cito tradatur: ſed modo delatus, modo teſtes ſollicitentur pro veritate indaganda: & ſi quis ex teſtibus vacillet, aut indicietur quod falſa depoſuerit, de bono conſilio peritorum arreſtetur, & agatur vt de iure. Frequenter enim repertum eſt etiam, quod teſtes agitati malitia ſe inuicem colligarunt ad imponendum hæreſis crimen: & diutius fatigati morſu conſcientiæ, inſtante Iudice, iniquitatem ſuã detexerunt: & quod delatus poſt diuturnum tempus ad cor redierit; maxime certificatus, quod brachio ſæculari ſit tradendus. Si ergo tãdem delatus confitetur & pænitet vere, vt deprehenſus pænitens abiuret omnem hæreſim publice, modo ſupra expoſito: ſi vero confitetur quidem, ſed non pænitet, vt impænitens tradatur brachio ſæculari, modo etiam ſuperius poſito. Si vero ipſe in negatiua ſteterit, teſtes vero culpam ſuam cognouerint, ille vt immunis abſoluetur, & iſti vt falſi teſtes punientur, vt no. Paulus ſuper ca. Multorum, de hære. in cle. & ſuper eos fertur ſententia ad arbitrium Iudicum. Habent tamen Epiſcopi poteſtatem mitigare, aut etiam aggrauare poſt annum. Si vero delatus in negatiua, & teſtes in affirmatiua per annum, vel alio maiori congruo tempore ſteterint, tradatur brachio ſæculari, obſeruatis quæ ſupra in ſimili dicta ſunt. Deinde ſequitur ſententia. Nos &c. more ſolito. Quod ſi forte poſt ſententiam, & iam relictus, & ad locum incendij ductus, dixerit ſe velle fateri, abiurare, & ſatisfacere ad arbitrium Iudicum: licet præſumatur hæc facere metu mortis, Quidam tamẽ putant, quod poſſit ex miſericordia recipi, vt hæreticus pænitens, & perpetuo murari, iuxta glo. ſuper ca. Ad abolendam. §. Præſenti. & uerbo Audientia. & ca. Excommunicamus ſecundo, de hære. quamuis de rigore iuris tali conuerſioni magna fides non adhibeatur: immo propter damna temporalia illata, ipſum ſemper plectere poſſunt. De hoc vero articulo olim in Silueſtrina ſic ſcripſi. Quæritur utrum parcendum ſit hereticis redire volentibus, poſtquã ſunt per eccleſiam condemnati: & dicit Io. An. in quadam apoſtilla in ca. Excommunicamus el primo, de hære. quod ſic: Et idem tenet glo. in ca. Excommunicamus el ſecondo, eodem titulo: & Archi. in ca. Vt commiſſi. eo. ti. lib. 6. Dicẽs, quod tantum relapſis non parcitur; & idem videntur velle iura noua, quæ indiſtincte parcendum dicunt redire volentibus, vt patet in ca. Vt officium, eo. ti. li. 6. Sed tamen contrarium videtur verum eſſe de iure: quia vt patet in ca. ad Abolendam, extra eo. non parcitur niſi redire volentibus continuo poſt deprehenſionem erroris: Quod quidem continuo ab aliquibus obſeruatur de prima ſeſſione Iudicis a prima die qua examinatur cauſa huius: quod videtur ſenſiſſe Ray. Sed hoc dictum non procedit neceſſario: Tum quia iura poſteriora non diſtin-

gunt,

gunt, ſed indiſtinctè dicunt parcendum eſſe redeuntibus: Tum quia conſuetudo, quæ ius interpretatur, eſt in contrarium: Tum quia illud capitulum loquitur de deprehenſione manifeſta, quæ nō eſt niſi poſt plenam probationem, inter quam & ſententiam iam nulla eſt difficultas, nec medius actus. Vnde quantum ad parcere non eſt ratio maior, ſi redire velint poſtquam ſunt conuicti, aut etiam condemnati: cum ſtatim in eodem actu iſta duo fieri poſsint probatio plena & vltimata, & Iudicum ſententia. Et ideo prima opinio, quæ magis pia eſt, videtur arbitrio Iudicis tenenda, vbi probabiliter viderit pænitentiam eſſe non fictam: Tum quia in conſtitutionibus pœnalibus, ſecundum iura fieri debet interpretatio benignior: Tum quia conuerſionem eſſe ante ſententiam, vel poſt, non eſt ratio parcendi, ſed veritas conuerſionis, cum ſpe non recidiuandi præſumpta, quæ etiam poſt ſententiam eſſe poteſt, & credi: licet non poſt relapſum, quia præſumitur inconſtantia.

Punctum quintumdecimum. Aliquando vero delatus examinato peritorum conſilio proceſſu, inuenitur conuictus, ſed fugitiuus, ſeu ſe contumaciter abſentans; congruo tamen tempore expectatus. Et id eſt in caſu triplici: Primo, quando eſt deprehenſus aliquo triū modorum, de quibus ſupra, ſed legitime citatus noluit comparere. Secundo, quando aliquis eſt delatus, & ex aliquali informatione leuiter ſuſpectus, aut plus, & citatus contumaciter non comparet, & excommunicatus per annum ſtetit animo indurato ſemper cōtumaciter abſens. Tertio, quādo quis directè vel indirectè impediuit proceſſum fidei per Epiſcopum vel Iudicem, vel ad hoc dedit conſilium, auxilium, vel fauorē, qui eſt excommunicatus: et ſi animo indurato per annum ſuſtinuerit, ex tunc eſt vt hæreticus condemnandus, per ca. Vt Inquiſitionis. §. Prohibemus. de hære. li. 6. In primo caſu damnandus eſt vt hæreticus, iuxta ca. Ad abolendam. §. Præſenti. In ſecundo autem & tertio caſu ſimiliter, iuxta ca. Cum contumacia. & per ca. Vt inquiſitionis. §. Prohibemus. de hære. li. 6. Et circa ſingulos horum talis erit practica. Nam cō gruo tempore expectatus citabitur per Epiſcopum & Iudicem in eccleſia cathedrali diœceſis, in qua deliquit, & in alijs eccleſijs illius loci, vbi domicilium contrahebat, & ſpecialiter vnde fugit. Citabitur, inquam, ad audiendam finalem ſententiam, quę feretur ſiue compareat, ſiue non, ſic. Nos talis Epiſcopus, & talis Iudex, &c. Adueniente autem die & hora præfixa ad diffinitiuam ſententiam audiendam, ſi cō paruerit pænitens, & omnem hæreſim paratus abiurare & ſatisfacere ad arbitrium Iudicum (ſi alias non eſt relapſus) ad miſericordiam admittetur: & ſi eſt deprehenſus aliquo illorum modorum, abiurabit &

pęnitebit vt hæreticus pęnitens, modo ſupra tacto. Si vero eſt ſuſpectus vehementer (vt in ſecundo & tertio caſu) abiurabit & pęnitebit vt hæreticus ſuſpectus vehementer & pęnitens, modo etiam ſuperius tacto. Si autem non conſentit abiurare, tradetur vt hæreticus impænitens brachio ſæculari, modo ſupradicto. Si autem contumaciter renuerit comparere, feratur ſententia, qua talem abſentem tanquam præſentem pronuncient hæreticum pertinacem, ſi fuit deprehenſus: & vt talem relinquant brachio ſæculari, a foro eccleſiaſtico expulſum. Si vero non fuit deprehenſus, ſed ſuſpectus, vt in duobus vltimis caſibus, non iudicabitur hæreticus, ſed vt hæreticus, & vt talis damnãdus.

Punctum decimumſextum. Aliquando autem trutinato peritorũ conſilio proceſſu, inuenitur tãtum ab alio malefico incinerato, vel incinerando delatus: & tunc aliquando reperitur immunis: quia non eſt deprehenſus vel inditiatus ita vt ſit ſuſpectus, aut infamatus; & tũc per ſententiam abſoluetur. Aliquando ſic delatus, eſt etiam de hæreſi diffamatus: & tunc Iudex attendens, quod vltra infamiam nihil ab alijs fidedignis contra eũ particulariter probatur (licet forte maleficus gratia contra eum depoſuerit, qui fidem perdidit dando eam diabolo, indicet illi purgationem canonicam, iuxta modum ſuperius tactum. Aliquando autẽ vltra infamiam, reperitur quęſtionibus exponendus, vt quia infamia aggrauatur delatione malefici aſſerentis eum ſecum in criminibus participaſſe: & facta vtriuſq; affrontatione, & reſpõſis diligenter notatis, inuenitur varietas vnde Iudex ſuſpicari poſsit, maleficum veriſimiliter eſſe torquendũ: quod tunc leuiter faciet, iuxta prædicta. Aliquando reperitur de hæreſi ſuſpectus leuiter, peritorum habito cõſilio, & tunc abiurabit, vel canonice purgabitur, iuxta prædicta. Aliquando inuenitur ſuſpectus vehementer, iudicio peritorum: & tũc abiurabit omnem hæreſim vt ſuſpectus vehementer. Ad hanc ſuſpitionem vehementem pertinent omnes officium inquiſitionis etiam indirecte impedientes, modo id ſcienter fecerint, ex ca. Vt inquiſitionis, de hære. in 6. Et omnes, qui impedientibus præſtant auxilium, cõſilium, vel fauorem, ex eo. ca. Vt inquiſitionis. Et hi qui citatos aut captos hæreticos inſtrunt de veritate celanda, vel falſitate dicenda: ex ca. Accuſatus. §. fin. de hære. li. 6. Regula tamen decidendi omnia iſta eſt peritorum conſilium. Aliquando reperitur ſuſpectus violenter, vnde damnabitur eo modo, quo ſupra dictum eſt: vbi & patet quid faciendum, ſi in negatiua perſtiterit. Aliquando reperitur diffamatus, & ſuſpectus ſimul, leuiter, aut vehementer, peritorum conſilio: & tunc ratione infamiæ indicatur canonica purgatio, iuxta ca. Inter ſolicitudines, eo. ti. & ratione ſuſpitionis hęreſim abiurabit, cum pœna relapſus, ſi ſu-

ſi ſuſpitio erat vehemens: vel ſine, ſi erat lęuis. Si vero hæreſim confiteatur, quid agendum ſit, liquet ex dictis.

Punctum decimumſeptimum. Aliquando delatus, peritorum conſilio cribrato proceſſu, reperitur maleficus non inferens, ſed auferens maleficia: Quędam enim maleficæ (experientia teſte) curant, & non nocent, non quod diabolus hominem diligat, ſed curat corpus, vt afficiat animam ad auxilia diaboli inuocanda, & eo caſu qualis ſit praxis obſeruanda, his dictis accipitur. Primum. Si id licitis remedijs agit, iam non eſt vt maleficus damnandus, ſed vt naturaliter induſtrius, vel in Deo fidens commendandus. Si vero id agit remedijs illicitis, ſecundum quid (puta, quia ſine expreſſa, etſi non ſine tacita dæmonum inuocatione) remedia non tam illicita, quam vana ſunt, & per Iudices in foro cauſarum toleranda: in foro autem animæ ſunt interdicenda, & plectenda. Si vero ſunt remedia illicita ſimpliciter (vt quia dæmon expreſſe inuocatur ore, vel intentione, ab eo ſcilicet expectando effectū: vel opere, dum aliquid ei exhibetur, quod non niſi ſuperiori exhibetur, vt ſacrificium, incenſum, adoratio, & eiuſmodi, quæ ſunt quædam interpretatiuæ preces, & eiuſmodi) nullo modo etiam in foro cauſarum ſunt toleranda. de hære. Accuſatus. lib.6. quia ſapiunt hæreſim manifeſte, vt patuit. Et hoc ſiue his remedijs vtatur ſine alicuius hominis nocumento, & multominus ſi cum nocumento, vt maleficium auferendo, aut etiam inferendo alteri: etiam ſi is cui inferuntur, ſit ęque maleficus: immo nec ſi ſit iumentum, vel planta, quia ibi ſemper eſt inuocatio dæmonis expreſſa voce, vel intentione (vt ſupponitur) quę ſemper acriter eſt plectenda. Secundum. Quod ſi licitis ſe remedijs & verbis diuinis, vt aſſolent, eiuſmodi ſe patrare dixerit, Iudex eo citato, diligenter examinet, & ſi eccleſiaſticus eſt, diligenter per ſe vel alium per parochiam inquirat, medio iuramento, quibus remedijs vtatur. Tertium. Illicita autem a licitis his modis ſecernet. Cum enim eiuſmodi ſua illicita remedia tegant, ne deprehendantur, & vt facilius illaqueent ſimplices, ideo verbis & herbis vtuntur: tamen ex quatuor ſuperſtitioſis actibus tanquam maleficę & ſortilegæ deprehenduntur. Primo quidem, ſi ea dicunt & reuelant, quæ non malorum ſpirituum doctrina norunt, vt cum & maleficium, & maleficientem, & cauſam maleficiendi referent: vtputa, die tali cum tali rixatus eſt, & fecit ſic, & ſic. Secundo, ſi ad vnius a maleficio ſanationem ſe intromittunt, non alterius, ſicut in diœceſi Spirenſi quædam ſtrigimaga aliquos curare nequibat, & dicebat, quod maleficia eſſent ab alijs nimiū fortiter impreſſa: non enim ſemper vnus dęmon cedit alteri, ſi ſit eo ſuperior. Tertio, dum faciunt quaſdam exceptiones, vt dicēdo ;

Te ſanabo, niſi tale quid apparuerit: ſicut in Spira malefica, intuito maleficiatum in tibijs, indicauit ei cauſam maleficij, cum attamen ex rure a duobus milliaribus Teutonicis aduenaſſet, dicens: Niſi in vulnere habueris ſquammas & pilos, ſanabo: quod & fecit. Quarto, vbi ſuperſtitioſis inſiſtunt, aut inſiſtere faciunt cæremonijs: ſicut ſe frequẽtari volunt ante Solis ortũ, aut alio determinato tempore nihil facien-te ad rem; aut dicendo, ſe non poſſe ſanare niſi perſonas talis patriæ: aut ſolum duas vel tres in anno, & eiuſmodi. Poteſt etiam ad famam & vitam aduerti præteritam. Quartum. Eiuſmodi maleficæ eo modo, quo cęteræ ab eccleſiaſtico Iudice plectendæ ſunt, quamuis damna non inferant: quia vere ſunt apoſtatæ a fide, & ea agunt, quæ ſapiunt hæreſim manifeſte: cum eiuſmodi peragant ex pacto diaboli expreſſo, iuxta capitulum prædictum Accuſatus.

Punctum decimumoctauum. Aliquando vero trutinato proceſſu, vt ſupra, delatus iuſte, aut iniuſte appellaſſe inuenitur, & eo caſu hæc erit praxis, quæ per multa dicta explicabitur. Primum. In negocio fidei, ſummarie, ſimpliciter, & de plano proceditur, de hære. Statuta, lib. 6. & conſequenter appellationis remedium interdicitur, de verbo. ſig. Sæpe. Quia tamen Iudices propter arduitatem negocij libenter interdum illud prorogant, & dilatant, aduertendum eſt, quod vbi delatus ſentiret ſe a Iudice realiter, & de facto grauatum iniuria, vt pote, quia eũ ſe defendere noluit, vel quia ſolus ſine aliorum cõſilio, vel ſine aſſenſu Epiſcopi, aut eius Vicarij pronunciauit delatum quæſtionari, cum alias ſufficientes probationes pro, & contra habere potuiſſet, & eiuſmodi: tunc equidem iuſta foret appellatio, alias non. Vnde Iudex eiuſmodi appellatione ſibi præſentata, quieto animo copiam appellationis petat, proteſtando verbo, quod ſibi non curat tempus. Habita vero copia, aduertat ſe duos habere dies ad reſpondendũ, & ad apoſtolos dandum triginta, de appella. ca. Cordi. & ca. Ab eo. li. 6. Licet autẽ ſtatim & reſpondere, & apoſtolos dare poſsit hos vel illos: ad grauitatem tamen officij aſsignet aliquod ſpatium infra triginta illos: dies ad dandum, & recipiendum apoſtolos, quales dare decreuit, cum poteſtate prorogandi terminum. Non autem ad dandum tantum: alioquin Iudex teneretur eos mittere. Dico etiam quales decreuerit, non autem negatiuos, vel affirmatiuos, vt quales dare debeat mature deliberet. Aſsignat autem determinatam diem, & horam, & locum ad omnem fraudem tollendum, puta, ſuam cameram. Secundum. Interim ſi ex conſilio peritorum ſe inuenerit delatum indebite grauaſſe, adueniente termino aſsignato, errorem corrigat, reducens proceſſum ad eum ſtatum & punctum, in quo fuit quando eum grauauit, & gra-

& grauamen auferat: quo ablato,procedat prout ante: quia per hanc ablationem appellatio,quæ aliqua erat,fit nulla, de appell. Ceſſante. Si tamen grauamen auferri nequit (quippe quod irreparabile ſit, vt quia indebite quæſtionibus eſt expoſitus, vel ſi qua inſtrumenta,aut vaſa ſunt combuſta,& eiuſmodi) tunc dicta reductio proceſſus locum haberet minime. Tertium. Si vero Iudex,iuſtitia exigente,decreuerit delatum arreſtare, aſsignet ei tempus ad apoſtolos dandum, vel recipiendum,& locum opportunum ad captionem,& inſtante termino det negatiuos, & ſtatim eum detineat. Quartum. Ab hora autem præſentatæ appellationis vſque ad traditionem apoſtolorum negatiuorum,aduertat Iudex, ne aliquid innouet circa appellantem,vel capiendo,vel quæſtionando, vel carcere liberando, aut aliter. Adueniente autem termino dationis, ſi Iudex eſt paratus apoſtolos dare, det: alioquin terminum alium ſtatuat vſque ad diem trigeſimum, qui eſt iuris terminus vltimus. Quintum. Adueniente ergo termino, ſi vult dare negatiuos,det ſub forma,qua dicatur iuſte proceſsiſſe, & rationes appellantis fuiſſe coloratas,& appellationem nullam:vnde nec eam admittit, et quod hanc reſponſionem offert delato pro apoſtolis negatiuis: et ſtatim eam ſcribi mandet poſt dictam appellationem ſic incipiendo: Et dictus Iudex reſpondens &c. & tradat etiam Notario,qui appellationem præſentauit. Sextum. Quibus apoſtolis negatiuis ſic exhibitis appellanti, ſtatim Iudex continuãdo proceſſum, officium ſuum exequatur,capiendo,vel ad comparendum terminum aſsignando, vel aliquid faciendo, quo appareat quod non deſierit eſſe Iudex, quouſque a Iudice ad quem appellatum eſt, ſit prohibitus ne procedat: & tunc cum proceſsibus clauſis & ſigillatis, & cum fida ac tuta cuſtodia,ac idonea cautione,ſi oportuerit, ad Iudicem appellationis remittat. Septimum. Si vero Iudex exhibere decreuerit apoſtolos affirmatiuos & reuerentiales,& adueniente termino peremptorio ad dandum, & accipiendum aſsignato, eos exhibebit ſub forma, qua dicat ſe iuſte proceſsiſſe, & indebite non aggrauaſſe,ſoluendo rationes appellantis: propter reuerentiam tamen Apoſtolicæ Sedis, dictam appellationem admittit,aſsignando appellanti tempus ad ſe præſentandum cum proceſsibus ſigillatis, cũ fida cuſtodia,vel debita cautione ſe præſentandi. Hanc reſponſionem tradet pro apoſtolis affirmatiuis, & iubebit eam ſcribi poſt appellationem,& tradet Notario, qui appellationem præſentauit:& ex tunc ipſe in tali cauſa deſinit eſſe Iudex, niſi cauſa ſibi remittatur: ſi tamen cum appellante habet aliam cauſam, in qua non appellauit, in ea remanet Iudex ut ante. Octauum. Inquiſitor ſentiens reum iuſte appellaturum, committat

alicui

alicui vices ſuas in totum, & non poterit recuſari. De offi.dele. Iudex, lib.6.vel amoueat grauamen, vt dictum eſt. Cum vero iniuſte appellat, eligat arbitrum iuris, iuxta ca.Suſpitionis, de offi.dele. & de appel. Requiris.& ca.Cum ſpecialiter, & mandet recuſanti quod eligat aliũ, & arbitros cogat etiam per ſententiam excommunicationis latæ ſententiæ, vt citent recuſantem exhibiturum rationem: & infra octo dies ambo, vel vnus eorum cum tertio ab eis electo pronuncient, aut ipſe vtetur ſuo iure & officio. Et ſi percipiat, quod propter falſos teſtes, vel aliter, contra ſe pronunciabitur, poteſt cum delati conſenſu, & non aliter, alicui committere plenarie vices ſuas, vt in d.ca. Iudex. Si autem infra tempus non pronunciant, remanet Iudex: & ſimiliter ſi pronunciarint, quod recuſatio ſit nulla. Si autem pronunciarint legitimam, nec Iudex eſt, nec poteſt committere vices ſuas, vt in d.ca.Iudex. Et cum ſine eo Epiſcopus non procedat, res Pontifici Maximo ſignificetur, rogando vt cum Epiſcopo procedere poſsit, vel aliũ ſubrogare. Nonum. Et ſi admiſſa appellatione, & datis apoſtolis, appellans nouiter accuſetur de alijs criminibus hæreſis, de quibus non agitur in cauſa, pro qua appellauit, non deſinit eſſe Iudex, ſed procedere poteſt vt prius, examinando teſtes, & ſe informando, & finita prima cauſa in Romana Curia, procedet libere in ſecunda. Non curet autem Iudex Romæ agere contra appellantem, nec ſe partem facere, ſed permittat eum ſuis iudicibus iudicandum, ex officio ſuo ad procurationem appellantis. Et ſi Inquiſitor perſonaliter citetur, caueat ne litem ingrediatur, ſed intendat ad exhibendum proceſſus, & totam cauſam ad illos reducere: & procuret, quam citius poterit, ad propria remeare, ne ipſe tædijs, laboribus & expenſis fatigetur, & cauſa fidei iacturam patiatur. De mirandis dæmonum & ſtrigimagarum liber tertius finit 1520. die 24. Nouembris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

263

Regeſtum.

a b c, A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk.

Omnes ſunt duerniones.



R O M Æ

In Aedibus Populi Romani.

M . D . LXXV.

LABORATORIO L. GOTTSCHER
VIA DEL BOSCHETTO [illegible] - ROMA
[illegible]